BIBLIOTECA NAZ.
Vittorio Emanuele III
XLIX
A
43
NAPOLI

XXXIV · N.º 32

XLIX
A
43

XL.IX
a
43

# FLORVS CHRISTIANVS,

## HOC EST TOTIVS HISTORIÆ ECCLESIASTICÆ EPITOME

### A CHRISTO GENITO AD noſtra tempora.

*Authore* R. P. AVGVSTINO RIBOTI, *Congregationis Doctrinæ Chriſtianæ Sacerdote.*

Secunda editio emendatior, & ex interpoſita Pontificum ſerie auctior.

PARISIIS,
Apud GEORGIVM IOSSE, viâ Iacobæâ, ſub ſigno Coronæ ſpineæ.

M. DC. LXXIV.

*Cum Priuilegio Regis, & Approbatione.*

ILLVSTRISSIMO

# ECCLESIÆ PRINCIPI

DOM. DOM.

# FRAN. DE BOSQVET,

EPISCOPO

# MONTISPESSVLANI:

Vni ex Epiſcopis aſſiſtentibus Capellæ S. D. N. P. Comiti Melgorij & Montis-Ferrandi: Marchioni Marchærosæ, Baroni Saluij, in ſanctioribus Christianiſſimi Regis Conſilijs Comiti Conſiſtorio.

*VT operi, cui vix vllum eſt ab authore pretium, ſit à Patrono; te vnum adeo (*PRÆSVL ILLVSTRISSIME*) qui ei eris & patrocinio, tàm ex dignitatis gradu, quàm ex eruditionis merito. Illa te inter Eccleſiæ Proceres ponit; hac te in doctorum choro facit eximium: in vtraque te dignum exhibes, qui ſupra etiam emineas, quam haberis. Sed ex eo creſcis imprimis, quod natus ad ſublimia, perſtitiſſes tamen in modicis; niſi dignitatesquas nolebas eſſe tuas, ſuum te ipſæ voluiſſent; atque adeo feciſſent. Te Iudice etiamnùm ſibi Narbo plauderet; ſi dum tribunal illud inuiolatum cu-*

*pis, & curas, in Aula, altiore te dignum non prodidiſſes. Sed nec te diu in Rhotomagenſi Senatu tenuit Regij Procuratoris dignitas, cui ſors excelſiora parauerat. Eam te non ambiuiſſe ex eo conſtitit; quòd faciliùs abdicaueris, quam admiſeras. Merito ergo Regi fuiſti charus inter primos; quem enim Rex, à Iuſtitiæ cultu nomen adeptus, iuſtius diligeret; quàm in quo ipſam quaſi ſpirare Iuſtitiam nouerat? Merito magnis illis Richelio & Seguerio, non tantum fuiſti in delitiis, ſed & in pretio: quorum vel ſolo iudicio magnus ipſe haberi poteras, niſi ante fuiſſes. Viri illi eximij, quorum elogium vel hoc vnum implet, quod fuerint altitudini ſuæ pares; ac iudicio magis, rerumque prudentia ſublimes, quam gradu, te in conſilium non rarò adhibere dignati ſunt. Sed exitu quam felici! Siue dum Aquitaniam Intendentis iuſtitiæ nomine luſtras & regis: ſiue dum tuam Occitaniam duplici nomine beatam facis, & quod ſe inuſitata felicitate donatam ſenſerit, & quod à ſuo. Experta eſt non tam fuiſſe laudis, quam veritatis, quod tibi ad muneris oblati prouinciam reſtitanti Rex æquiſſimus dixit* Velle ſe, vt & tuæ patriæ iuſtitiam redderes. *Imo eximia id laudis teſtimonium fuit, quia veritatis. Reddidiſti enim Intendens indigena tuæ patriæ iuſtitiam: non magis quia ad vnicam eius normam ius dixiſti; quàm quia temporum iniquitate excluſam quaſi poſtliminio reuocaſti: & quam prouinciam, vt Iudex recturus adiueras, adminiſtraſti* tanquam Epiſcopus, nouus Ambroſius: *potuitque Rex conſultiſſimus de Valentiniani ſibi placere elogio: quod eos Rectores in prouincias mitteret, quos ad ſacras infulas ambirent*

*populi, Præſules expeterent, atque adeo ſacrarent. In dignitate diuerſa eumdem te fuiſſe dicerem; niſi qui credebaris virtutum attigiſſe culmen, dum prophanis præeras, ſuprà te multùm extuliſſes, dum attigiſti ſacra. In te ſuum Fulcranum rediuiuum Lodeua ſenſit; cuius vitam non magis in lucem edidiſti per ſcripta; quam expreſſiſti per facta. At ex h.c dolor ei acrior; quòd te tantum ac talem amiſerit, poſtquam cognouerat. Quamquam, quod dare poteras reliquiſti ſolatium, noſtrorum apud ipſam excitato Collegio. Sciebas enim; qua tua eſt noſtram in Congregationem pronitas, viros te acciuiſſe, qui Præſulibus eſſent adminiſtri, ad Epiſcopales curas, & populis duces ad æternitatis calles. Vt enim noſtris nihil eſt antiquius, quam vt ex Epiſcoporum nutu pendeant: ita nihil prius, quam vt populos ex Dei nutu pendentes faciant. Fuit inde cur nobilius Montiſpeſſulanæ Eccleſiæ theatrum tuæ virtuti non inuiderent; vbi ex ampliori meſſe, plus fructuum ad horrea Domini eſſes collecturus. Id verò quo ſucceſſu præſtes, quî ſcribam ego? cum qui ſentiunt ac vident, magis admirentur, quam capiant; ſiue dum ipſam vrbem cœleſtis doctrinæ ſucco imbuis; ſiue dum nec ignobilibus pagis paſtoralem curam negas; & diuina ſæpius vtrobique è ſuggeſtu interpretaris oracula; ſiue dum omnes ſortis diuerſæ homines, ad eamdem virtutis viam, ſtudio non diuerſo ducis, & per monita ſæpius, & per exempla ſemper; & dum (ne quid tibi deſit Apoſtolici,) tam monita, quàm exempla, iis nonnunquam ſignis firmas, quæ nunc ſciuntur, olim dicentur Dignum te dicerem, quo ætas noſtra ſe veteri æquet; eique ſuos*

*Ambroſios aut Auguſtinos non inuideat; ni veritati publicæ malles iniuriam fieri, quam priuatæ modeſtiæ. At & hoc in tuæ laudis cumulum creſcet. Maiorem te credet poſteritas; quia nec qualem fuiſti, datum eſt coætaneis prædicrte. Tua opera fient aliquando appendix non modica iſtius hiſtoriæ, in qua vix tuum nomen iam legi ſinis. Quamquam ſi non fallit augurium, maior erit ætatis noſtræ Hierarchis, merita erga tua, gratitudinis cura; quam vt totam eius laudem ad poſteros tranſmiſſam velint. Scit conſcientia tua quid dicam; & quam magnum nomen in rationibus habeas. Memin ſti dictum olim*, Multum tibi Romam debere. *Ea verba quid velint & ſpondeant ſatis dico, & dum non interpretor. An ei iure neget ſuæ lucem purpura Roma; cui debet vt ſua gloria lux eximia Innocentius III. ad æternæ vitæ lucem reuixerit. Certe talem ipſa te nouit apud ſe aliquandiu Legatum Regis, qualem exoptare debeat ciuem perpetuum & purpuratum. Vt multa & magnifica de te audiſſet; confeſſa tamen eſt, multùm infra verum conſtitiſſe famam: Maiora de te omnia credidit, poſtquam vidit. Mirata eſt in te pietatem, quam apud ſe magis colit in mortuis, quam ſperare nouit in viuis. Accreuit admiratio, quod tanto ad diuina ſtudio, non diſpar eruditio acceſſit. Nam vt quod in pietate elogium Apoſtolicum merueras, æmulareris quoque in litteris, & in iſtis, omnibus omnia videris factus. Omnium linguas ita loqueris, vt inter Hebræos Hebræus: inter Græcos Græcus: inter Latinos Latinus haberi poſſis. De rerum notitiâ quid dicam? niſi quod in omnibus ita emines, quaſi conſenuiſſes in ſingulis. Hiſtoria*

*tamen Eccleſia tua imprimis videtur* Sparta, *quam colas jam ſtudio ; an ad quam te exigas opere, vt olim ornes exemplo. Noſti enim in ea eſſe pios ſenſus, quos ſequaris & exempla grandia atque diuina quæ aſſequaris, & aliquando ſis inter ipſa. Hinc mihi animus te adeundi. Amabis ſpero in me ſtudium, quod ipſe in te tam impenſe colis : & qualemcumque conatum meum, tuo non indignum habebis patrocinio, cui per exemplum fuiſti incitamento. Id ſi non negaueris, & operis incepti, quod maxime ambio, præmium habuero, & proſequendi incitamentum. Tu vero in eo habebis, non magis meæ erga te reuerentiæ, quam totius noſtræ Congregationis, quam amore foues, beneficijs promoues, tueris patrocinio, monumentum. Faue itaque, & diu vale : vt Congregationem tibi addictam continuato fauore diu promoueas, & me benigne reſpicias qui ſum,*

Tuæ Celſitudini

Addictiſſimus ſeruus, Auguſtinus
Riboti, Congr. Doctr. Chriſt.
Alumnus indignus.

# PROLOGVS.

MEi Proloquium Libri velim ante legas (Lector ſuauiſſime ſi quis ſis) quam ipſum. Ei opinor eris æquior, ſi quid mihi fuerit in ſcribendo conſilij, quid ſcopi non ignoraueris. Opus do cujus non author primus ſum; ſed tantum continuator. Incepti gloria debetur noſtro Boleranno, qui ſuo in Flero ſancto, Teſtamenti veteris hiſtoriam, ab orbe condito ad Chriſtũ natum in Epitomen collegit. Deberetur & perfecti, ni pulcherrimi operis, vnà cum vitæ, curſum mors abrupiſſet. Ei me ab aliquot annis Philoſophiam profitentem ſuccenturiauere, quibus Sacramentũ dixi: quaſi is eſſem, qui inter Philoſophorum ſpinas flores poſſem legere; inter barbariem elegantias: qui vix fueram Latinus, dum Humaniores profitens literas, verſabar inter Latinos. Eis, tametſi ex virium conſcientiâ, nonnihil cunctatus, ceſſi tamen. Nam, vt noſti, amamus decipi à blandientibus. Hiſtorias Philoſophis miſcui; & quod otium, ab Ariſtotelis commentatoribus, & ſcholæ munijs, ſuperfuit, Spondani imprimis lectioni, qui res docuit; tum antiquorum, qui verba & ſenſus, impendi: quo operæ pretio, tu judicaueris. Scopus eſt, vt res Eccleſiæ, quæ per multa volumina alibi diffuſæ Lectorum vel deterrent ſtudium, vel patientiam fatigant, hic breuitate alliciant, morentur floſculis, & aculeis ſententioſis reficiant; atque adeo excitent ad notitiam ampliorem. Nam ſi quis hic omnia quærit, nec titulum intelligit. Qui ſcripſi Epitomen multa nec tango, plura vix, nec fortè pauca fefellerunt imprudentem: & quæ ſcribo, magis ſunt excitandæ Lectorum fami ad opimiorem da-

pem, quàm ſatiandæ. Id Conſilij fuiſſe *Floro Romano*, mihi pro comperto: ob id, quem ſtili virtutibus aſſequi nec ſperaui, nomine ſaltem expreſſi,& impoſitum opus,ſub *Flori* titulo vulgaui. Vt ex eo noſcas, non quid fecerim, ſed quid voluerim,& me non tam ſcripſiſſe,vt haberes qui te doceret; quàm qui te duceret ad Doctiores. Id ſi fuero aſſecutus, non pœnitebit operæ,& quem imprimis fructum animo præceperam, re percepero; nec illum leuem. Quanti enim eſt,animos prophanorum ſollicitos & aſſiduos, ad ſacrorum excitaſſe ſtudium,& ſui officij commonuiſſe? Ob id interpoſita ſubinde monita, quæ Lectorem ex rerum ſerie & exitu Dei admoneant, & à terrenorum curâ, ad cæleſtium cultum reuocent. Hæc enim Hiſtorici Chriſtiani,& res Chriſtianas,atque adeo Eccleſiaſticas ſcribentis, vera politica eſt, vt rerum geſtarum author præcipuus, agnoſcatur Deus; qui per hominum conſilia,ſua implet; eique & Principes manus commodant & induſtriam; etiam dum ſuis vnis ſtudiis & commodis velificantur: & tam facilis obſeruatur, etiam inter hæc caduca & humana, ad innocentium prœmium, quàm ſeuerus ad impiorum pœnas. In paucis quæ dixi, erunt fortè multa,quæ vel obmiſiſſe præſtiterat, vel otioſius concoxiſſe. Imprudens ſim,& mearum ignarus virium; ſi hiſtoriam implicatiſſimam, & diffuſiſſimam, diligentiâ,claritate,& ordine quibus oportuit, me percurriſſe & collegiſſe profitear. Conteſtor tamen nihil à me conſultò vel dictum, vel prætermiſſum, quod orthodoxæ doctrinæ, dignitati Eccleſiæ, Pontificum reuerentiæ, integritati morum, hiſtoriæ veritati, & Paci Chriſtianæ,officere poſſe crediderim. Si quid contra fuerit, expunctum eſto.

# INDEX CAPITVM TOTIVS OPERIS.

## Index Libri primi.


De Ortu, Circumciſione, Epiphania & Oblatione Chriſti, Cap. I pag. 1.
De cæde Infantium, & diſputatione Chriſti in Templo. Cap. II. p. 2.
De Ioanne Baptiſta, & Chriſti Baptiſmo, 4
De jejunio & tentatione Chriſti, & Apoſtolorum vocatione, 5
De varijs Iudæorum Sectis, 6
De Chriſti Miraculis & Transfiguratione, 8
De Chriſti conſiliis & præceptis, 9
De Chriſti Sacramentis, 10
De Chriſti fide, 11
De Chriſti morte, 12
De Chriſti Reſurrectione & Aſcenſione, 15
De Miſsione Spiritu ſancti, Apoſtolorum prædicatione, miraculis & pœnis, 16
De electione Diaconorum & nece Stephani, 17
De Diſcipulorum fuga, & inde fructu, 19
De Pauli Conuerſione, 20
De Conuerſione Cornelij & vocatione Gentium, 21
De orbe inter Apoſtolos diſtributo, Iacobi nece, & Petri carcere, 22
De Apoſtolorum in ſuas Prouincias abitu & Romana ſede à Petro conſtituta, 23
De Pauli & Barnabæ Apoſtolatu, peregrinationibus, & prædicatione, 24
De Pauli carcere, & Romam appulſu, 26
De plurium Apoſtolorum factis & exitu, 28
De Synodo Apoſtolorum, 29
De Deipara & eius ſponſo, 30
Prima in fidem Chriſtianam hæreſis à Simone Mago, 31
Prima in Chriſtianos perſecutio ſub Nerone, quâ caſi inter alios Petrus & Paulus, 33
De Simonis Magi Gregalibus & Diſcipulis Hæreſiare. 35

*De Hieroſolymorum excidio,* 37
*Secunda in Chriſtianos perſecutio ſub Domitiano,* 4[illegible]
*Pontifices primi ſæculi,* 4[illegible]
*Anacephalæoſis & Epilogus,* 45

## Index Capitum Libri ſecundi.

PRologus Libri, pag. 46
*Tertia ſub Trajano & Hadriano perſecutio,* 47
*Quarta ſub* [illegible] *perſecutio,* [illegible]
*Secunda in fidem hæreſis à Valentino,* 51
*De Valentini gregalibus & Diſcipulis Hæreſiarchis,* 52
*Tertia in fidem Hæreſis ab Hermogene,* 55
*Quarta in fidem hæreſis à Montano,* 56
*Primum in Eccleſiam ſchiſma Quartadecimanorum,* 57
*Pontifices ſecundi ſæculi,* 59
*Quinta ſub Seuero in Chriſtianos perſecutio,* 61
*Noua Iudæorum clades ſub Traiano, Hadriano, Seuero, & aliis,* 63
*Sexta ſub Maximiano perſecutio,* 65
*Septima ſub Decio perſecutio,* [illegible]
*Secundum in Eccleſia ſchiſma Nouatianorum & Lapſorum,* 68
*Tertium in Eccleſia ſchiſma Rebaptizantium,* 70
*Octaua ſub Valeriano perſecutio,* 72
[illegible]
*Sexta in fidem Hæreſis Paulianiſtarum,* 74
*Nona ſub Claudio & Aureliano perſecutio,* 75
*Septima in fidem Hæreſis Manichæorum,* 76
*Decima ſub Diocletiano & conſortibus perſecutio,* 78
[illegible]
*Quintum in Eccleſia ſchiſma Meletianorum,* 88
*Anacephalæoſis de fide perſecutorum, cladibus vindicata,* 89
*Fides inter perſecutiones propagata,* 91
*Infidelitas à Conſtantino proculcata,* 94
*De Cœnobiis inſtitutis,* 98
*De Crucis Archetypæ inuentione,* 100
*Pontifices tertii ſæculi,* 101

## Index Capitum Libri tertij.

PRologus Anacephalæoticus, 108
*De Conſtantini Liberis,* 109
*Anacephalæoſis de Arianis,* 1[illegible]

*De Ario & eius hæreſi,* 112
*De Arianorum ſeu Euſebianorum molitionibus in fidem ſub Conſtantio,* 115
*Sextum in Eccleſia ſchiſma Felicianum,* 118
*De Variis Arianorum fidei formulis,* 120
*De Semiarianis & Macedonianis, ſiue Pneumatomachis,* 122
*De Arianorum molitionibus in fidem ſub Valente & iſtius clade,* 124
*De Arianorum in Occidente excidio,* 126
*Septima in fidem Hæreſis Apollinariſtarum,* 128
*Octaua in Eccleſiam Hæreſis Photinianorum,* 129
*Nona in fidem hæreſis Pſeudo-Monachorum,* 130
*Prima in Perſide, contra Chriſtianos perſecutio,* 132
*Noua ſub Iuliano Apoſtata perſecutio,* 133
*Ethnicorum noui conatus ab Ambroſio, Theodoſio & aliis repreſſi,* 136
*Septimum in Eccleſia ſchiſma Vrſicinij,* 139
*Octauum in Eccleſia ſchiſma Luciferianorum,* 140
*Decima in fidem hæreſis Priſcillianiſtarum,* 142
*Anacephalæoſis de Origeniſtis,* 143
*De Origene & eius erroribus,* 144
*De Origeniſtis,* 145
*Molitiones Eudoxiæ & Theophili in Chryſoſtomum Origeniſmi nomine,* 148
*Pontifices quarti ſeculi,* 152
*Vndecima in fidem hæreſis, Antropomorphitarum,* 159
*De Millenariis,* 160
*Duodecima in fidem hæreſis Pelagianorum,* 161
*De Semipelagianis, ſeu Pelagianorum Reliquiis,* 164
*Iudæorum noua clades ſub Conſtantino, Conſtantio & aliis,* 166
*De* [illegible] *ſeu Heluidij, Iouiniani, Vigilantij, &c,* 167
*Secunda in Perſide perſecutio & primum pro Religione bellum,* 169
*Nonum in Eccleſia ſchiſma Eulalianum,* 171

## Index Capitum libri quarti.

*ANacephalæoſis de nouis Arianorum motibus & laceratione Imperij,* pag. 173
*De Saracenorum primordiis,* 174
*De Gottis & Erulis,* 176

*De Uvandalis,* 178
*De Burgundionibus,* 180
*De Francis,* 181
*De Hunnis,* 183
*De Anglis,* 185
*De Arianorum in Hiſpania moribus & interitu,* 186
*De Arianorum moribus in Africa & interitu,* 189
*De Arianorum moribus in Italia & interitu,* 191
*Decima quarta in fidem Hareſis, Neſtorij,* 194
*Decima quinta in fidem Hareſis, Eutychetis,* 197
*Anacaphaleoſis de Eutychetis fautoribus,* 200
*De intruſione Æluri heretici in Alexandrinam Eccleſiam; eius audacia & pœna,* 200
*De Acephalis, Corrupticolis, Incorrupticolis & inde Alexandriæ turbis,* 201
*De Iuſtiniani hereſi, & eius nec non Zenonis & Anaſtaſii Imperatorum pœna,* 204
*De Zenonis Henotico & inde turbis,* 205
*Decimum in Eccleſia ſchiſma Laurentianum,* 207
*De Theopaſcitis hæreticis,* 209
*Rixa inter Catholicos de Theopaſcitis,* 211
*Pontifices quinti ſæculi,* 213
*Undecimum in Eccleſiam ſchiſma Vigilij,* 220
*Duodecimum in Eccleſiam ſchiſma, de tribus Capitulis,* 222
*Byzantini Præſules pro titulo uniuerſalis contendunt,* 225
*De fide ad varios latè propagata,* 227

## Index Capitum Libri quinti.

*DE Longobardorum conſtituto Regno.* 230
*De Exarchorum & Præſulum Rauennatũ ferocia,* 233
*De Auarum interruptionibus,* 235
*Secundum bellum in Perſas pro Religione,* 238
*De S. Cruce à Perſide reportata in Hieruſalem,* 241
*Pontifices ſexti ſæculi,* 242
*Decima-ſexta in fidem Hæreſis Monothelitarum,* 248
*Monothelitæ damnati in Synodo & de Synodo quiniſexta,* 251
*De Mahometis primordiis & erroribus,* 254
*De Mahometanorum in Aſia & Africa victoriis & ferocia in Chriſtianos,* 256
*De Mahometanorum irruptione in Hiſpaniam,* 258

De Saracenorum in Chriſtianos Hiſpanos ferocia, 260
De Saracenorum irruptionibus in Gallias, 262
Chriſtianitas ex Maurorum ruinis in Hiſpania exſuſcitata, 263
Pro Pontificatu Certamina, 266
Conſtantini in Pontificatum intruſio & cædes, 267
Anacephaleoſis de fide in Anglia & Germ. promota, 268
Angliæ pars fidei aſſerta & relapſa, 269
Anglia tota vel reſtituta fidei vel adducta. 271
Anglorum Regum eximia pietas, 272
Fides ad Friſios & finitimos propagata, [illegible]
Pontifices ſeptimi ſæculi, 278
Fides per Germaniam latè diffuſa à Bonifacio & vindicata, 284
Bellum Sacrofrancum à Pepino in Longobardos, 285
Bellum Sacrofrancum à Carolo in Deſiderium, 288
Decima ſeptima in fidem Hæreſis & Iconomachorum primus furor. [illegible]
Iconomachorum ſecundus furor, 293
Iconomachorum tertius furor, 295


Index Libri ſexti.


Prologus. ſeu Anacephaleoſis dicendorum, pag. 299
Res Franciæ ad Carolum Magnum. 300
Occidentis imperium exſuſcitatum à Francis, 302
De Bulgaris. [illegible]
Pontifices octaui ſæculi, 307
De Manichæis repullulantibus, 312
Schiſma Photianum duodecimum in Eccleſiam, 314
De progreſſu & fine ſchiſmatis Photiani, 319
Turba in Eccleſiis Gallicanis ex Ludouico Pio abdicato, [illegible]
Turbæ in Eccleſiis Gallicanis ex Regum vitiis, 323
De Normannorum in Gallias incurſionibus, 325
Normanni à Francis victi, & facti Chriſtiani, 326
De Danorum in Angliam incurſionibus, 328
Noua Danorum de Anglis victoria, 329
De Danorum conuerſione, 331
De Gotheſcalco & Prædeſtinatianis hæreticis, 332
Anacephalæoſis de tranſlatione imperij, 335
De laceratione Italiæ à Longobardis Regulis & alijs, 336
De turbis Eccleſiæ Romanæ à Sergianis, 339
Noua turba Eccleſiæ Rom. ex intruſis vi & deiectis Pontificibus, 341

*Noua turbæ Eccleſiæ Rom. ex intruſo Bonifacio & Creſcentio Conſule*, 344
*Imperium Occidentis Germanis aſſertum à Pontifice*, 346
*Anacephalæoſis de fide ad Borealia propagata*, 347
*Fides ad Slauos, Danos & Noruegios propagata*, 348
*Fides in Bohemiam diffuſa*, 350
*Pontifices noni ſæculi*, 355
*Fides in Poloniam diffuſa*, 360
*Fides in Hungariam diffuſa*, 361
*Fides in Ruſsiam propagata*, 362
*De rebus Saracenicis in Italia & Oriente*, 364
*De cladibus Saracenorum in Hiſpania*, 367
*Turba Eccleſiæ Byzantinæ ex Mæchia*, 370
*Turba Byzantinæ Eccleſiæ ex Polygamijs*, 372
*Schiſma decimum-tertium, & inde turba à Benedicto nono*, 374
*Pontifices decimi ſæculi*, 376

## Index Libri ſeptimi.

*ANacephalæoſis de Henriciano ſchiſmate*, 384
*De Cælibatu Clericorum*, 385
*De Sim[illegible]*, [illegible]
*De Inueſtituris*, 390
*Decimum-quartum in Eccleſiam ſchiſma Henrici III* 395
*Decimum quintum in Eccleſiam ſchiſma Henrici IV.* 402
*Decimum-ſextum in Eccleſiam ſchiſma Friderici Ænobarbi*, 406
*Turba [illegible]lica ex Regum audacia*, [illegible]
*Noua Turba Anglicæ ex Regum audacia in ſacra*, 412
*Turba An[illegible]lica è factorum [illegible]*, 414
*Turba in Eccleſia Gallicana ex Regum polygamia*, 416
*De Normanno-Siculis aduerſus Pontifices*, 419
*Pontifices undecimi ſæculi*, 422
*Decima-octaua in fidem Hæreſis Sacramentariorum, ſeu de Berengario Sacramentariorum præcipuo authore*, 433
*De Tenchelino, Petruſiano & alijs Berengarij ſectatoribus*, 435
*De Vualdo & Pauperibus de Lugduno ac Albigenſibus*, 436
*Bellum primum in Albigenſes*, [illegible]
*Bellum II. in Albigenſes*, 440
*[illegible] ſextum in Eccleſiam Schiſma, Petri Leonis.* 441
*Anacephalæoſis de iure Politico Eccleſiæ Romanæ, & de [illegible]*, 442

*Decima-nona in fidem Hæreſis Politicorum, ſeu de Arnaldo Brixiano Politicorum Hæreſiarcha,* 445
*Commotiones Romanorũ in Pontifices ex iure Politico,* 446
*Commotiones Romanorũ in Pontifices ex iure Politico,* 448
*Commotiones Romanorum in Pont, ex iure Politico,* 448
*Commotiones Roman. in Pontif. ex voce politico.* 450
*De Abailardo hæretico,* 451
*Porretanus & Eon,* 452
*De Almerico hæretico,* 453
*De Bongomilis hæreticis,* 452

Index Libri octaui.

*DE Turcarum Primordiis,* 454
*I. In Orientem ſacra expeditio,* 456
*II. In Orientem ſacra expeditio,* 457
*III. In Orientem ſacra expeditio,* 459
*Hieroſolymitanum Regnum amiſſum,* 461
*IV. In Orientem expeditio ſacra,* 462
*V. In Orientem ſacra expeditio,* 465
*Byzantinum Imperium Francis aſſertum & ademptum,* 468
*VI. In Orientem ſacra expeditio,* 470
*De Paſtorellis Hæreticis,* 472
*Anacephalæoſis de fructu Orientalium expeditionum,* 473
*De Equitibus Hoſpitalariis,* 474
*De Equitibus Templariis & Teutonicis,* 475
*De fide Latina ad Armenos diffuſa,* 476
*De ſacra Æde Lauretana in Italiam tranſlata,* 478
*Pontifices duodecimi ſaculi,* 479
*Anacephalæoſis de Cœnobitis reſtitutis aut inſtitutis,* 488
*De Carmelitis.* 489
*De Brigittanis,* 490
*De Fontebraldinis,* 491
*De Cluniacenſib. Ciſtercienſib. Clareuallenſibus & aliis Benedictinis,* 491
*De Carthuſienſib. Grandimontenſibus & Pramonſtratenſibus,* 493
*De Camaldulenſibus, Vallumbroſenſibus, & Petro Damiani,* 494
*De Franciſcanis & Dominicanis,* 495
*De Auguſtinianis variis,* 496
*De ſacris Hiſpanorum equitibus,* 498
*De Redimentibus & Trinitariis,* 499
*D. Monialibus,* 500
*De perſecutionibus Cœnobitarum,* 502

*Cœnobita*

*Cœnobitæ Iuriſdictioni Præſulum addicti, & exempti,* 505
*De nouis perſecutionibus Cœnobitarum,* 504
*Bellum Sacro-Prophanum pro Imperio,* 504
*Bellum Sacro-Prophanum pro Imperio,* 506
*Decimum ſeptimum in Eccleſia ſchiſma Friderici II.* 507
*Fridericianæ ſobolis per parricidia interitus,* 510
*Bellum Prophano ſacrum Caroli Andegauenſis contra Manfredum pro Sicilia,* 511
*Veſper Siculus,* 512
*Bella Prophano-ſacra inter Francos & Aragonios pro Sicilia,* 514
*Bella Prophano ſacra inter Francos & Aragonios pro Sicilia,* 516
*Celeſtinus abdicans,* 517
*Diſsidium inter Bonif. VIII. & Philippum Pulchrum Franciæ Regem,* 518
*Sedes Pontificia tranſlata in Gallias & Romā reducta,* 520
*Pontifices ſæculi decimi tertij,* 522

## Index Libri noni.

*IMperium Occidenti à Rodolpho reſtitutum,* 535
*Anacephalæoſis de motibus Italicis.* 537
*Florentinorum diſsidia, & bellum in eos prophano-ſacrum,* 538
*Noua Florentinorum diſsidia, & bellum in eos prophano-ſacrum,* 540
*Bellum prophano ſacrum in Encelinum Marchiæ Taruiſianæ Tyrannum,* 541
*Bella prophano-ſacra in Turrianos & Vicecomites.* 543
*Bella prophano-ſacra inter Vicecomites & alios Longobardos,* 545
*Varij Reguli Longobardiæ in Vrbibus inter turbas excitati,* 548
*In Venetos interdictum, & bellum ſacrum,* 549
*Ditio Eccleſiaſtica à Tyrannis vindicata,* 550
*Decimū-octauū in Eccleſia ſchiſma Ludouici Bauari,* 552
*Romanorum politica diſsidia,* 554
*Minoritarum tumultus in Ordine & Eccleſia,* 557
*Viceſima in fidē Hæreſis. De Bizochis & Fratricellis,* 559
*De Beguinis,* 561
*De Apoſtolicis,* 562
*De primis Flagellantibus,* 563
*De ſecundis Flagellantibus,* 565
*De tertijs Flagellantibus ſeu Albatis,* 566

ẽ

*Viceſima-prima in fidem Hæreſis. De Lolhardis & Foſſariis*, 567
*De Condormientibus* Hæreticis, 569
*De Stadingenſibus* Hæreticis, ibid.
*De ſolemnitate* Corporis *Chriſti*, 570
*De Iubilæo*, 572
*De Iudæorum vbique cladidibus*, 574
*Iudæi Francia dejecti*, 575
*Iudæi paſſim è Germania & tota ex Anglia dejecti*, 577
*Iudæi ex* Hiſpaniis *dejecti*, 578
*Tartarorum eruptiones prima*, 580
*Tartarorum pro Chriſtianitate & contra certamina*, 581
*Latinorum pro Oriente conatus vltimi*, 584

## Index Libri decimi.

*Turcicum Imperium conſtitutum Pruſiæ ab Ottomano*, 587
*Turcarum primæ in Europa Victoria*, 558
*Turcarum in Europa imperium* Hadrianopoli *per varias victorias conſtitutum*, 589
Pontifices *ſæculi decimi-quarti*, 591
*Decimum-octauũ in Eccleſiam ſchiſma, Petri de Luna*, 600
*De fine ſchiſmatis in Concilio Conſtantienſi*, 604
*Anacephaleoſis de Bellis per ſchiſma & ex ipſo*, 607
*Primum ex ſchiſmate bellum Neapolitanum*, 607
*Secundum ex ſchiſmate Neapolitanum bellum*, 609
*Tertium ex* Schiſmate *Neapolitanum bellum*, 612
*Bella à Braccianis & Sfortianis in Pontificem & inter ſe*, 614
*Tartarorum noua eruptio ſeu de Tamberlane*, 617
*Turcarum noua in Europa Victoria ſub Mahomete I. & Amurate II.* 620
De *Huniade Chriſtianitatis in Amuratem II. & Mahometem II. vindice*, 621
*De Scanderbergo Chriſtianitatis in Amurathem & Mahometem II. vindice*, 623
*De Stephano Vaiuoda Moldauiæ, Chriſtianitatis in Turcas & Tartaros altero vindice*, 624
*Viceſima ſecunda in fidem Hæreſis. De Vuiclefo hæreſiarcha*, 626
*Viceſima tertia in fidem Hæreſis Huſsitarum in Bohemia*, 627
*Huſsitarum prima tragœdia*, 629

*Huſsitarum ſecunda tragœdia*, 631
*Decimum nonum in Eccleſiam ſchiſma, ſeu de Synodo Baſileenſi*, 633
*Anacephaleoſis de viceſimo in Eccleſia ſchiſmate Græcorum*, 637
*Schiſma Græcorum exaggeratum per hæreſes*, 639
*De multiplici Græcorum cum Latinis concordia*, 640
*Schiſma Græcorum in Florentino Concilio ſopitum*, 642
*Schiſma Græcorum Ruſſos peruaſit*, 644
*Huſsitarum tertia tragœdia*, 646

## Index Libri vndecimi.

*IMperium Conſtantinopolitanum à Turca exciſum*, 649
*Turcarum ſub Mahomete II. noua victoria & alicubi clades*, 651
*Græca Muſa in Occidentem digreſſa*, 654
*Neapolitani Reges placant Pontifices, pelluntur à Francis & reſtituuntur*, 655
*Rex Neapolis pellitur à Francis & Hiſpanis, & poſtea Franci ab Hiſpanis*, 659
*Alex. Pontif. & Cæſaris Borgiæ ambitio, perfidia, & caſus*, 661
*Pontifices ſæculi decimi quinti*, 663
*Bellum ſociale prophano-ſacrum in Venetos*, 675
*Bellum ſociale prophano-ſacrum in Francos*, 676
*Mauri in Hiſpania prorſus exuti capta Granata*, 679
*Marrhani ex Hiſpania ob impietatem & rebellionem eiecti*, 681
*Mauri in Affrica à Caſtellanis vario ſucceſſu tentati*, 682
*Caſtellanorum in America Boreali progreſſus*, 685
*Caſtellanorum in America Auſtrali progreſſus*, 687
*Caſtellanorum in America Auſtrali rebellio*, 688
*Chriſtianitas in America propagata*, 690
*Luſitanorum ad Orientem progreſſus*, 691
*Chriſtianitas in Indiis propagata*, 693
*De Iſmaëlis Sophi orto in Perſide Imperio*, 696
*De Xeriforum orto in Affrica Imperio*, 698
*Turcarum progreſſus in Epirum & Illiricum*, 700
*Mamaluchorum à Selimo excidium & Mahometanorum in Ægypto res*, 702
*Rhodos tandem expugnata*, 704
*De Turcarum irruptionibus in Hungariam*, 706

*Turcarum in Calabriam, Dalmatiam, & Niceam irruptiones,* 709
*Bella inter Francos, Hiſpanos & Pontificios in Inſubria,* 711
*Bellum prophanum-ſacrum in Hiſpanos,* 713
*Medicæi à Sixto IV. & populo afflicti & Clementis VII. Caroliquè auxilio Florentia potiti.* 715
*Pontifices ſæculi decimi ſexti.* 718

## Index Libri duodecimi.

*Viceſima quarta in fidem hæreſis Lutheranorum & de ipſorum ortu,* 732
*De Lutheranorum progreſſu & Lutheri fine,* 734
*Lutheranis Pax indulta, & violata,* 737
*Primum bellum Proteſtantium,* 739
*Lutheranorum inter ſe diſsidia,* 742
*Viceſima quinta in fidem hæreſis de Anabaptiſtis,* 743
*Hæreſis in Sueciam propagata,* 746
*Hæreſis in Daniam, Pruſsiam & vicina propagata,* 748
*Viceſimum primum in Eccleſiam ſchiſma Anglicanū,* 749
*Anglia ſub Eduardo ad hæreſim pertracta, & à Maria ad fidem reuocata,* 751
*Anglia ab Elizabetha in hæreſim retracta, & inde cædes fidelium,* 753
*Anglia à Iacobo & Carolo Regibus in hæreſi ſeruata, & inde pœna fidelium & Regis cædes.* 755
*De Puritanis,* 757
*Scotia in hæreſim pertracta,* 758
*Viceſima ſexta in fidem hæreſis Sacramentariorum ſeu de Heluetiis à Zuinglio in hæreſim pertractis,* 761
*Hugonotorum à Caluino in Gallia ortus, & Geneua apoſtaſia,* 763
*Primum bellum in Hugonotos,* 764
*Secundum bellum in Hugonotos.* 766
*Tertium bellum in Hugonotos,* 767
*Fœdus ſeu Liga inter Catholicos contra Hugonotos, & quartum in Hugonotos bellum,* 770
*Liga diſſoluta ex Henrici IV. conuerſione,* 772
*Pax inter Catholicos & Hugonotos ſtatuta per edictum Nanaetenſe,* 773
*Gueuſiorum in Belgio ortus & primi conatus.* 775
*Gueuſiorū in Belgio 2. conatus & clades victoriaque,* 777
*Gueuſiorum in Belgio 3. conatus, & victoriis mixtæ clades,* 779

*Gueuſorum in Belgio 4. conatus & mixta victoriis clades*, 781
*Gueuſiorum in Belgio noui progreſſus, & libertas per inducias aſſerta*, 782
*Hæreſis à Colonia excluſa*, 784
*Caput Anacephalæoricum, de hæreſeon cladibus vel vindicatis vel reſarcitis*, 785
*De Concilio Tridentino*, 787
*De Ordinibus Minimorum, Theatinorum, Capucinorum & Recollectorum inſtitutis*, 789
*De Ordinibus Barnabitarum, Somaſchorum, & Doctrinæ Chriſtianæ inſtitutis*, 790
*De Ordine Oratoriorum & Ieſuitarum*, 793
*De Humilitatis extinctis, & Oblatis inſtitutis*, 794
*Abyſſini in Æthiopia ad obſequium Eccleſiæ & Pontificis, adducti*, 795
*Poteſtas Pontificia in Orientem latè propagata*, 797
*Poteſtas Pontificia Maronitis & aliis agnita*, 798
*De Cophtorum pertinacia*, 799
*De Iaponiorum conuerſione & eorum ad Greg. XIII. legatione*, 801
*De cauſis interrupti Concilij Trident. & de bellis inde inter Pontifices, Farneſios, Francos, Hiſpanos & Caraffas ortis*. 802
*Turcæ ab inſula Melite fœde pulſi*, 805
*Turcæ inſula Cypro potiti*. 807
*Victoria Naupactea de Turcis*, 808
*Diſſidium inter Paulum V. & Venetos*, 810
*Hæreſis apud Griſones & Valeſtincnſes afflicta*, 812
*Hæreſis in Bohemiam, Hungariam, Tranſiluaniam & Auſtriam propagata*, 814
*Secundum bellum Proteſtantium ſeu Bohemopalatinicum*, 816
*Tertium bellum Proteſtantium, ſeu Suecicum*, 818
*Quintum & vltimum bellum in Vgonotos*. 821

## APPROBATIONES.

EGo infra-ſcriptus, in ſacra Theologiæ Pariſienſis Facultate Doctor Sorbonicus; legi Librum cui titulus eſt: *Florus Chriſtianus, hoc eſt totius Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ Epitome, &c.* Pariſijs die 8. Ianuarij, 1665.

M. GRANDIN.

---

IOannes Aſterius Præpoſitus Generalis Congregationis Doctrinæ Chriſtianæ. Permitto Librum cui titulus eſt; *Florus Chriſtianus, hoc eſt totius Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ Epitome, &c.* à Reuerendo Patre AVGVSTINO RIBOTI noſtræ Congregationis Theologo compoſitum, & à duobus ejuſdem Congregationis Theologis reuiſum typis mandari. Datum Auenione in domo noſtra ſancti Ioannis Veteris, die 3. Decembris 1665.

I. ASTERIVS,
Præpoſ. Gen.

*De mandato Reuerendi admodum Patris Generalis,*
FERRYOL Secret.

NOs infra ſcripti, de mandato Reuerendi admodum Patris noſtri Ioannis Aſterij, Præpoſiti Generalis Congregationis Doctrinæ Chriſtianæ, legimus hunc Librum, qui inſcribitur, *Florus Chriſtianus, hoc eſt totius Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ Epitome*, *&c.* Authore Reuerendo Patre AVGVSTINO RIBOTI, ejuſdem Congregationis Sacerdote, & in Collegio noſtro Narbonenſi Theologiæ Profeſſore: in quo cùm nihil deprehenderimus, quod rectæ Fidei aut bonis moribus officere poſſit, dignum cenſuimus, qui in lucem ederetur, ad communem Studioſorum vtilitatem. Datum Pariſijs in domo noſtra ſancti Iuliani die vigeſima Octobris, anni 1665.

A. MAVRINVS, | Congregationis Doctrinæ Chriſtianæ.
M. A. DEROYS, |

## *Extrait du Priuilege du Roy.*

PAR grace & Priuilege du Roy, donné à Paris le 28. jour de Mars 1665. ſigné OLIER; il eſt permis au R. P. AVGVSTIN RIBOTY, de la Congregation de la Doctrine Chreſtienne, de faire imprimer vn Liure intitulé, *Florus Chriſtianus, hoc eſt Epitome totius Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ à Chriſto genito ad noſtra tempora*, par tel Libraire & Imprimeur que bon luy ſemblera; auec defenſes à tous Libraires & Imprimeurs, d'imprimer ou faire imprimer, vendre & diſtribuer ledit Liure, ſans le conſentement dudit R. P. ou de ceux qui auront droit de luy, à peine de trois mille liures d'amende, & de tous dépens, dommages & intereſts, ainſi qu'il eſt plus amplement porté par leſdites Lettres.

Le R. P. LE BIGOT Procureur general de la Congregation de la Doctrine Chreſtienne, fondé de Procuration dudit R. P. RIBOTY, a cedé & tranſporté le droit du preſent Priuilege, à George Ioſſe Marchand Libraire à Paris, pour en joüir le temps porté par iceluy.

*Regiſtré ſur le Liure de la Communauté des Marchands Libraires & Imprimeurs de Paris le 30. Ianuier 1666. Signé S. PIGET, Syndic.*

FLOR I

# FLORI CHRISTIANI.

## LIBER PRIMVS.

### CAPVT PRIMVM.

*De Ortu Circūciſione, Epiphaniæ & Oblatione Chriſti.*

CÆSAR AVG. quo tempore multa per bella pacem fecit, dignum in terris pacis Principi parauit hoſpitium: & clauſo Iani templo, cœli non diu poſt aperiendi preſagium dedit. Nihil enim Deo hominibus conciliando efficacius quàm ſi ipſi inter ſe homines pacem colant. Nec fefellit augurium nam per hæc Deum Maria peperit; quæ ad ſolum Angeli nuncium, Virginitatis illibato flore, niſi de Deo, fœta eſſe non potuit. Ioſepho tamen nupſerat contribuli ſanctiſſimo; ſed vt caſtitas eſſet illuſtrior, poſtquam ſine vitio fœcunda eſſe potuit. Bethleemi partus mirabilis contigit, quò pios coniuges, ad profitenda nomina, Imperatoris edictum, ex

*Chriſti Incarnatio.*

*Ortus.*

Nazareth acceſſerat. Exceptus eſt in præſepio, inter jumenta, Cæli conditor, & Angelorum Dominus; qui enim quærebat hominem, vbi facilius reperiret; quam quò illum peccata demiſerant? Octauo ab ortu die Ieſus ei nomen indi tum eſt, ſed

*Circumciſio.* poſtquam fuit ante, ex more, circumciſus; quippe ſalutis nomen, ſine ſanguine, habere noluit, nè tibi rem gratis futuram crederes. In eo cultu, qui vix hominem

*Adoratio à Regibus.* deceret, ne Deus lateat; non à Paſtoribus ſolum adoratur; ſed etiam à Regibus. Ac vt à ſe nullum excluſum monſtret, illos Indigenas Angeli: hos alienigenas ſtella ad pium officium adduxit. Fulſit hæc etiam per diem; quippe rerum mutatis vicibus, nocti Sol nouus affulſerat. Et ne

*Oblatio in Templo.* qua ætas ab officio ſacro ceſſaret; in templo, quò eum mater, Domino vt offerret, attulerat, adoratur à Sene; quem mors diu tranſmiſerat, vt vitam amplecti poſſet. Potuit poſt hæc felix Simeon aduocare mortem; nam viſo Deo, quid in terris videat Senex beatiſſimus?

## CAPVT II.

### *De cæde infantium, & diſputatione Chriſti in Templo.*

NE proſpera, vel in Ieſu qui proſperitatis fons eſt perennare crederes; dum nimis in ortu lucet penè extinguitur; & in cunis ei paratur excidium, qui eſt omnium deſtinata ſalus; quippe Rex ve-

rus Tyrannum terret, etiam vagiens. Nec abs re ad eius famam timet Herodes ne ruinâ cadat è ſolio ; in quod per ruinas multorum aſcenderat. Adeò tamen non ſe deſerit , vt vel Deicidium moliatur , dum illud ſit conſtabiliendæ potentiæ , quam parricidiis fundauerat. Et ne unus in turba tortores lateat : omnes circa Bethleem infantes contrucidari mandat. Quid enim non attentet in exteros , cuius , cum feralem in filios ſæuitiam Auguſtus audiuiſſet , porcus eſſe maluiſſet quam filius? At quàm præpoſtera ſæpe humanæ prudentiæ conſilia ! quem oppreſſum Tyrannus voluit , illuſtrem reddidit, dum illi ſoli cædes non nocuit , propter quem patrata eſt; ejuſque ad gloriam tot Infantibus ora aperuit , quot vulnera impreſſit. Panegyriſtæ Nobiles ! qui cum nouum Regem prædicare loquendo non poſſent , prædicauere moriendo. Si tamen illi mortui;qui vita ſua redemere diuinam. Viuunt ſane illi & poſt mortem , quando Tyrannus nec ſpirans viuit ; & viuens adhuc jam cadauer eſt ; ſuumque de ipſo vermes fecere pabulum , qui hærentem ad pænas animam nondum efflauit. Abſumpto demùm Tyranno & à pœnis ad pœnas rapto , rediit ex Ægypto Ieſus , quò eum parentes ab Angelo moniti detulerant , & nouo ſe miraculo, breui poſt , prodidit. Nam in templo, vbi clam parentibus , poſt feſtum ſubſtiterat, Doctorum mentes doctrinæ ſuæ altitudine defixit ; & duodennis adhuc , cæleſti ſe ſapientiâ pluſquam virum probauit. Quid

*Herodis timor.*

*Infantium exedes.*

*Pœna & mors Herodis. Ieſus ex Ægipto redux.*

12. poſthæc vobis Doctores cum libris? Ei vos erudiendos tradite, cujus ſapientia à Deo tota eſt, quia in puero nulla eſſe poteſt ab ſtudio. Poſthæc, quaſi Doctrinam vellet commendare ſilentio, ad trigeſimum ætatis annum, in fabrili patris officina delituit. O prodigium! tandiu ſilere; qui tam alta loqui poteſt. Quid non diuinum diceret, qui diuinitatis eſt Verbum?

*Ieſus inter Doctores.*

*Ieſus ſubditus parentibus.*

## CAPVT III.

## *De Ioanne Baptiſta, & Chriſti Baptiſmo.*

NON dubitauit Maria, quin vterum ferre Virgo poſſet: vbi ſenectutis & ſterilitatis vitium in cognata ſua Elizabeth victum fuiſſe, ab Angelo didicit. Ad eam ſtatim profecta: non matrem ſolùm, ſed infantem etiam adhuc vtero clauſum exhilarauit. Ad proximum enim exortum ſolis Lucifer emicuit: & quâ in vtero voce potuit, Diuinus præco Deum clamauit. Infante nato, vocalis properè fit pater Zacharias, vt cui cunctanter creditus, dùm concipitur, vocem abſtulerat, eamdem redderet, dùm naſcitur: & radiarent vtrobique prodigia. Non multò poſt concidit ad altare Senex venerabilis, quod paruulum, à fœda Innocentiûm cæde, in deſertum ſubduxiſſet. Sed Innocentiæ illibatæ puer qui non fuerat alienæ crudelitatis victima; ſuæ auſteritatis fuit: dum, inter feras, obuiis dumtaxat herbis & locuſtis vixit: &

*Maria ad Elizabeth.*

*Ortus Ioannis.*

*Vita auſtera.*

hiſpido cilicio membra texit, ad trigeſimum ætatis annum. Tunc demum, diuini Regis Præcurſor è latebris ſuis prodiit, vt concurrentes densè turbas cohortaretur ad pœnitentiam; & ipſum, inter alios, Chriſtum aquis ablueret, ac cæleſti voce, Aliteque præcognitum, digito monſtraret. Felix indicium! hoc vno Prophetarũ omnium exſcriptis oraculis, pluſquam Propheta jure audiit. Eremum jam repete ſalutis prodrome? Deo monſtrato, nihil ſupereſt quod oſtendas. At qui Chriſto naſcituro præiuerat, præire debuit & morituro, noui ſolis Veſper ſimul & Lucifer. Occidit autem diminutus capite noui Herodis iuſſu: quo vinculis ante addictus fuerat. proh quanti conſtitit impudica ſaltatio vel ſaltatrice teſte? vt quæ ex Herodiadis matris conſilio, reciſum Innocentis caput regni dimidio, quod in ſaltationis prҫmium Herodes promiſerat, prætulerit. Culpa in eo nulla; niſi quòd polluti fraterni thori flagitium, nec in Rege tacuit. Eremi quippe cultor, & Aulæ rudis, Regum vitia nec probare didicerat, nec ferre. *31. Prædicatio.* *Mors. 33*

## CAPVT IV.

## *De jeiunio & tentatione Chriſti & Apoſtolorum vocatione.*

QVaſi pœniteret è domeſticis prodiiſſe latebris, & diuinis, dum baptiſmo intingitur, inclaruiſſe prodigiis; in deſertum à Spiritu abripi Chriſtus voluit. Vbi ad imminentis pugnæ diſcrimen, quadrageſimali

*Chriſtus in deſerto.* *31* *Jejunat & tentatur.* *Apoſtoli & Diſcipuli vocati.*

jejunio ſe munit, & eo quaſi clipeo fortior, Athleta nouus, hominum hoſtem & ſuum eluſit & vicit, Angelis ipſi gratulantibus victoriam. Reliquum erat vt victo prædam eriperet, & genus humanum antiquæ felicitati redderet. Ad hoc reuerſus in patriam qui ſuæ militiæ duces eſſent, duodecim Apoſtolos elegit. Eis addidit velut auxiliares duo & ſeptuaginta Diſcipulos: qui quò erat ipſe venturus, hoſpitia paraturi præcederent. Hæc fuit naſcens Eccleſia, quæ fœcundo poſtea germine pubeſcens, Orbe toto ramos diffudit. Ei pro viſibili ſub Chriſto capite Petrus fuit, à quo ad ſemota procul membra vigor & ſpiritus commearent. Primos illos Eccleſiæ Proceres ſubigendis latè populis voluit incumbere, ſine commeatu, ſine ſarcinis: ne terrenorum ſollicitudine diſtraherentur, qui de cœleſtibus tantum debebant eſſe ſolliciti. O prouidentiam! nihil vſpiam vlli defuit: adeò liberaliter Deus prouidet, quibus, vt ei ſeruiant, nulla ſui cura eſt.

## CAPVT V.

### *De variis Iudeorum Sectis.*

IN Chriſtum ſtatim & Diſcipulos, tanquam inReligionis transfugas Iudæi antea diſcordes inuicem conſpirant, ne laudis eſſet exiguæ, alma ex facili. Medicos nempe auerſabantur ægri, ne ſanarentur; nec Doctores volebant, quibus ſuus placebat error. Quin & errare ſe negabant, qui do-

ctrinam olim è cælo hauſtam profitebantur. At quæ vera fuit, vt Redemptoris prænuncia, veritatem exuat, ſi duret poſtquam Redemptor venit. Locum debet alteri facere, quæ doceat aduenîſſe. Alio etiam ex capite Lex Moſaica finem meruit. Nam quæ defæcata fuerat in fonte, cæni multùm in curſu contraxerat: tot jam diſtortis ritibus inhorruerat, vt apud Iudæos Iudaiſmum fruſtra inquireres. Totam ipſi in varias diſtracti ſectas diuidendo perdiderant: Nec enim aliter vera conſtat Religio, quam ſi vna ſit. An veros inter Iudæos Phariſæi, & Scribæ? cum illos ſtoica de fato deliria & Pithagoræ de tranſanimatione ſomnia, ad prophanos tranſcripſiſſent: iſtos tortuoſa de Moſis ritibus interpretatio ad impios? Apud Saducæos, quod Moſaicæ doctrinæ veſtigiũ ſupererat? Cum vt pecudes immerſi materiæ, nihil extra, vel ſupra crederent. Nec ſaniores Eſſenij: qui Samaritis aſſenſi, nullum in Sacris cum Iudæis habebant commercium, niſi quòd cum Saducæis ſpem reſurgendi adimebant: vt vel in quo aſſentiebantur aliis, impij proderentur. Hemerobaptiſtarum quæ fuit Religio? quam totam, in repetitis per diem ablutionibus poſuerant; quaſi corpus abluere ſatis eſſet, cum anima ſordeſcit? Quid Nazaræorum ſuperſtitio? qui, animatis veſci, nefas putabant. Herodianorum vero ſecta, in adulationem tota compoſita, Herodem Meſſiam aſſerebat, quem Carnificem probauerat. O cæcos! illum Saluatorem credere, à quo Saluator, tantum non periit. His, vt ad cu-

*Legis Moſaica finis.*

*Phariſæi & Scribæ*

*Saducæi*

*Eſſenij.*

*Homerobaptiſt.*

*Nazaræi*

*Herodiani.*

mulum impietas perueniret, aduerſus Chriſtum omnes, blaſphemias addiderunt. O ſi ſolas fuiſſent illis pro innocentia verba ſacrilega, ſi quem lingua percuſſerant, manu non violaſſent. Merito ergo factum eſt, vt qui emendari noluerant exſcinderentur: & qui Chriſti verbis & factis animum ſubduxerant, Veſpaſiani gladiis colla ſubderent. Quam enim ſalutem meruerant Saluatoris peremptores?

## CAPVT VI.

## *De Chriſti Miraculis & Transfiguratione.*

AD nouam legem reclamaſſe vulgus, nihil mirum: ſuis aſſueto vitiis probari ægrè poterat innocentiæ magiſtra. Non indigni tamen prorſus veniâ: ſi qui verbis aures occluſerant, miraculis animum aperuiſſent. In Legiſlatore Deum agnouiſſent.
*Ad 14.* Quis enim ſupra vim naturæ operetur, niſi qui eius eſt conditor? Primum porro miraculum vinum fuit ex aqua factum in Cana
*Vinum ex aqua factum &c.* Galileæ. Vtriuſque ſe conditorem probauit; dum vnum ex altero fecit. Hic vnde ſitis; alibi vnde fames ſedaretur, creſcentibus ejus ad nutum panibus, iterum prouidit. Illius ad arbitrium lepra ceſſit; febris deſiit, ſanguinis fluxus conſtitit, viſus rediit, Diabolus abſceſſit, genus omne morborum euanuit. Mira illa; ſed quæ non videntur tanti; cùm narratur Adoleſcens in ipſa funebri pompa vitæ matrique redditus;

Iairi filia rediuiua ; & Lazarus à tumulo
reuocatus. Quid alia referam? Ei miracu-
la adeò in vſu ; vt ab eis ceſſare pro miracu-
lo fuerit. Id certe tunc oſtenſum, quando *Chriſti*
ſub Taboris vertice , diſcuſſa quaſi nube *Trāſfigu-*
corporis, Diuinitatis ſuæ radios circumfun- *ratio.*
di palàm paſſus eſt. Nec enim id in eo mira-
culum; cui fulgor & Majeſtas natura eſt: ſed
miraculi ceſſatio: Quando non minùs præ-
ter naturam in Deo fuit, latere in homine,
& humilem videri, quam ſoli non lucere.
Tam clarâ prodigiorum luce illi caligaue-
rant; qui ſigna poſtulabant, vt crederent.
Eorum ſub oculos cæci vident ; claudi am-
bulant ; leproſi mundātur ; ſurdi audiunt;
mortui reſurgunt , & tot inter miracula,
miracula quærunt.

## CAPVT VII.

## *De Chriſti conſiliis & præceptis.*

MAgnum ſane tam ſtupendis incla-
ruiſſe prodigiis : ſed quanto mirabi-
lius, cum doctrinâ informaturus hominem;
neceſſarium, ſtatuit agere & exemplis. Sic
facta digeſſit in dogmata ; & legem, quam *Ad 14.*
ſcribi voluit in Euangelio , in ſe viuentem
expreſſit. Cæterum doctrinæ illius pars
altera , nudæ cognitionis eſt, altera opera- *Chriſti*
tionis. Primæ ſuus infra locus erit : iſtum *doctrina.*
ſecunda ſibi vendicat. Hæc verò Conſiliis
continetur , atque Præceptis. Quam autem
ſancta Conſilia. Audi Chriſtiane? & quæ
non capis , venerare : & eò magis diuina

crede, quòd tàm ſupra hominem ſunt. Ea
*Conſilia.* negant reponendas eſſe injurias; vnam percutienti maxillam, alteram offerendam monent; rapienti tunicam pallium dimittendum; inimicis benefaciendum; & id genus alia, quæ cum naturam doment; ſupra tollere neceſſe eſt. Sed hæc altiora, quam
*Præcepta.* vt à quouis impleri valeant. Ideo non præcepta ſunt; ſed conſilia;& quamquam proponuntur omnibus, vt cultu digna; ab iis tamen exiguntur tantum, quibus de cælo datur audiendi fiducia. Verum à Præceptis nullus eximitur; quamuis,ſi ſenſum æſtimes, grandia præſcribunt. Rediguntur omnia quidem, ad hoc vnum Verbum, *Ama.* At tres Literulæ, quantam Doctrinæ molem complectuntur! id vnum qui fecerit: qui Deum; qui proximum amauerit, totam legem impleuit; & quoddam in ſe Diuinitatis præjudicium habet, *Deus enim Charitas eſt.*

## CAPVT VIII.

## *De Chriſti Sacramentis.*

ARduam iubemur viam inſiſtere, quippe ad cælum reuocat, vnde excidimus. Ne tamen deficiamus, qui ad tam ſublimia nos vocat, robur ingerit; & per *Sacramenta,* in nouam authoratos ſeu vitam, ſeu militiam, occulta vi fulcit. Naſcimur miſeri, nî renaſcamur? Nam parentum generatio, vt Orci mancipia, pronos in terram gignit. At generatione ſua Chriſtus ſibi aſſerit, &

renatos vndâ Baptiſmatis, adoptat in cælum. Vt magnum ſit illud beneficium; auget tamen, qui dedit: ſiue dum Chriſmatis Vnctione, in noua nos vita firmat, ſiue dum ſuo nos corpore paſcit. Plures tamen, nefas, franguntur animis, & hoſti ſe ignauè dedunt; quem Deo paſti plenique, vel leui flatu diſpuliſſe debuerant. Dignæ orco victimæ; quibus cælum tam flocci eſt. Eis tamen, quæ Dei eſt bonitas! euadendi ſit rurſum copia. Hoc vnum ab eis petitur, vt cecidiſſe doleant. Ne dubita peccator? veniam Dei legatus pronunciat: & cælum peccatis clauſum aperit, verborum claue. Nec qui tam glorioſè potuit ſanus vincere, de victoria moriturus deſperet. Vltima illa hora, ob hoſtis pertinaciam, non eſt ſine pugna; ne ſit etiam ſine palma. Ad hoc, Extrema Vnctione morientes roborat Aliptes Sacer, vt etiam cum deficiunt triumphent. Ad hæc omnia Miniſtros inſtituit, qui cæleſti charactere animam ſignati ipſius eſſent in Eccleſia Vicarij: ac in terras deducto Deo, in cælos promouerent homines. Denique ne filij Eccleſiæ, ex ſpuriis hominum colligerentur; Conjuges Sacramento jungi voluit. Hæc ſunt Sacramenta; quæ qui dixerit, ætarium Eccleſiæ, Chriſtianæ militiæ armamentarium; diuinæ in nos beneficentiæ pignus; & noſtræ in Deum reuerentiæ ſtimulum, rei vmbram exprimet; non meritum: quis enim color diuina delineet?

## CAPVT IX.

### *De Chriſti Fide.*

DOctrinæ pars altera, quà noſtrum imprimis intellectum imbutum Chriſtus voluit, de Deo eſt. Quid enim ſe dignum Deus doceat, niſi Deum? At de ipſo, mortali ſcire anxium, credere ſecurum. Ideo ſatis habuit vt olim ſcituri, nunc crederemus: & hodierna fides futuræ ſcientiæ eſſet prærogatiua. Credulitatis iſtius obſcuritatem, certitudo emendat, & meritum remunerat: dum enim humana caſtigatur curioſitas, humilitas exercetur & aſſenſio laudem habet obedientiæ. Hæc autem doctrina, quæ rationis conatum ſupergreſſa, Diuinitatem ipſam comprehendit, non multorum voluminum opus eſt: breuiſſimo eam gyro, in Symbolo, Apoſtoli clauſerunt. De breuioribus vitæ meritis, nemo jam querebatur Hypocrates. Ea vel incipiens ſatis eſt, ad arcana profundiſſima. quantũ nec Ariſtoteles nouit, infans intelliget, ſi plus amet credere, quam ſcire. Quid enim ſupra Deum diſcat? O admirabilem Doctrinæ Chriſtianæ indolem! Scitur ignorando.

## CAPVT X.

### *De Chriſti morte.*

QVi mortem in aliis ſæpe vicerat, in
34. ſe tantem paſſus eſt, vt glorioſiùs

triumpharet, In horto ad agonis moleſtias Oratione ſe muniit, vt nullum aduerſum hoſtes firmiorem eſſe clipeum nos doceret, qui nec precatus, Angelorum miriadas ſuum ad auxilium potuit habere. Oratio in eo non fuit argumentum indigentiæ: ſed vnde noſtræ haberi poſſet auxilium, documentum. Ex ejus orantis membris cruentus ſudor largè manauit, vt vltro ad noſtri pretium crederetur obtuliſſe ſanguinem, quem ante fudit quam cæderetur. Ex horto, proditoris Apoſtoli fraude tractus in vrbem eſt, quàm paulò ante, inter populi plauſus, adiuerat. Ab Anna & Caipha Pontificibus Reus dictus eſt, à quo omnis hominum manat innocentia. Quia ſe Dei Filium confeſſus eſt, tamquam Dei hoſtis depalmatus eſt, & ad Præſidem Pilatum adductus, vt morti addiceretur. At quem ſceleris conſcium ſperauerant, innocentis patronum reperere. Inſtant eò magis illi quaſi innocentiæ ſuæ intereſſet Innocentem perire, quem ſemel infamauerant. Vnde magis cunctari Pręſes, & accedente inſuper Sponſæ monito, quæ illum in ſomnis culpæ immunẽ nouerat, incumbere ad eius ſalutem. Optionem improbis facit, vt de more, ex Barraba & Christo, alterum peterent ad libertatem. O furorem! Innocentiſſimum cum ſceleſtiſſimo; Chriſtum cum Baraba componi, atque adeò infra demitti, & vita minus dignum haberi, & ad tantam iniuſtitiam Iudicem, qui tam accuſati innocentiam, quam accuſatorum inuidiam nouerat, acquieſcere! Nempe amicum Cæ-

*Chriſtus erat in horto. Sudat ſanguinem.*

*Capitur.*

*Præſes cunctatur eum dãnare.*

*Barraba poſtponitur.*

ſaris probare ſe non poterat, niſi Dei ſe inimicum oſtenderet. Auſus tamen lotis manibus iſto ſe parricidio abſoluere; quaſi manuum lotio innocentem faceret; quem iniquiſſima ſententia æternum damnabat. Nec mora, alienæ ferociæ victima, flagellis humeros cæſus, colaphis genas percuſſus, ſputis vultum fœdatus, appoſitâ ad manum arundine pro ſceptro, & ad caput, ſpineâ coronâ pro diademate, per crudele ludibrium adoratur. Proludebatur ita immaniori ſupplicio; nam mox ferali Crucis onuſtus ſarcinâ, in Caluariæ montem actus eſt, vt ibi, è ſua Cruce, latrones inter duos medius penderet; & effuſi cruoris balneo ſordes noſtras abſtergeret;cum ſuas nòn poſſet. A tanta beneficentia nec illos excluſit, per quos occiſus eſt: eis precatus veniam à Patre, à quibus ipſe ſibi non impetrauerat. Ex eo Ieſu ſuauiſſime, vel ſi alia deficiant, Deum te fateor. Quippe humanitas, quæ acceptas injurias, ſtimulum amoris, & indulgentiæ facit, hominis virtus non eſt, ſed Dei. Id ſi te non mouet ad ipſius Diuinitatis fidem, ô Iudæe? moueat ipſa natura, quæ tantum horroris non prodidiſſet, niſi ad ſui mortem opificis. Terra tremuit, diſſiluere ſaxa, tumuli reddidere cadauera, & obtenebreſcente per diem Sole, totus orbis inhorruit. At nefas, affectis etiam inanimis, ex ſenſu parricidij, cuius erant innoxia; obduruere homines, qui patrauerant. Vſque adeò difficile eſt,culpam odiſſe,quam nimium amaueris.

*agellatur, &c.*

*Crucifigitur.*

*Prodigia ad eius mortem.*

## CAPVT XI.

## *De Chriſti Reſurrectione & Aſ-ſenſione.*

QVaſi parum Iudæis eſſet, egiſſe ad mortem vitæ Dominum; ſatagunt ne reuiuiſcat; militibus in tumulo ad excubias conſtitutis. At cæci; culpam promunt, dum tegunt, & quem reſurgere potuiſſe indicant, (nec enim erat, cur à tremulis diſcipulis furtum metuerent,) Deum fatentur. Talem ſe ipſe moriens probauerat, talem ſe prodidit rediuiuus. Nam cum tertia iam à morte, lux appeteret, vitæ ſe ipſe reddidit, ad prodigium intremente cuſtodiâ, & nouus Phœnix, ſuis è cineribus, pulchrior emicuit. Obdureſcunt inde magis impij, & quem in perpetuum occiſum voluerant, ne reuixiſſe credatur, allaborant; ſubornatis pretio militibus, vt cadauer ſubtractum à diſcipulis dicerent, dum ipſi dormirent. O ſtolidos! non ipſi ſomno, ſed furore ſenſum amiſerant, qui dormientibus habitum iri fidem putabant. Nihil ergo improbitati profuit ſollicitudo latendi, niſi vt innoteſceret. Quid pertinacibus optes in pœnam, niſi vt ipſi neſciant; quod neſciri tantopere curant? Id, certè meruerant, ſi ſuæ Chriſtus, vel læſus manſuetudinis ſciret obliuiſci. Deſertus toties, adeò ipſos non deſeruit, vt non minus illis quam aliis, tum Reſurectionis, tum reliquæ ſuæ doctrinæ fidem voluerit annunciari à Diſcipulis, quos non vno ſui rediuiui

*Cihrſti tumulo excubia.*

134.

*Reſurrectio.*

conſpectu per quadraginta dies hac in fide
*Chriſtus apparet.* conſtabilierat. Poſt hæc vt de ſua Diuinitate
dubium diſcuteret, ex Olineti vertice, ſtupentibus ad prodigium Diſcipulis, in Cælos
ſe ſuſtulit. Ibi gloriam aſſecutus poſt pœnas,
*Aſcendit in cælos.* dici poſſet ſuo creuiſſe caſu, & factus ex
morte potentior; ſi is eſſet, cuius Maieſtas
augmentum caperet.

## CAPVT XII.

### *De Miſſione Spiritus ſancti Apoſtolorum prædicatione, miraculis & pœnis.*

IAm decem dies erant, ex quo cælum
Chriſtus aſcenderat; cûm ecce intremente domo, quam intereà ieiuniis & precibus
conſecrauerant Diſcipuli, in ipſos ſe Spiritus ſanctus, ſub linguarum ignearum ſpecie,
infudit. Nec mora in publicum egreſſi, cæ-
*34. & Spiritus ſanctus in Diſcipulos.* leſtia promunt, qui de cœlo pleni erant.
Chriſtum palam Deum clamant, quem
ante vix fatebantur hominem: & arcana
profundiſſima omni linguarum genere ex-
*Apoſtoli palam prædicant.* plicant, cum ſtupore omnium. Tanti eſt,
igne diuino ſuccendi, & linguis cœleſtibus
erudiri! quam eximio id documento Petrus
inculcat: qui tria ſtatim, poſtea quinque
hominum millia Chriſto addixit. O miraculum! vix loqui didicit, & iam eloquio
*Petri prædicatio.* triumphat, quippe nec vox ſonabat hominem, nec facta Deo ſimilem abnuebant.
Cuius enim virtutis fuit claudum ex vtero
ſanum facere, Ananiam & Saphiram coniuges,

iuges.dum reſeruatam, ex agro diuendito, pecuniam negant, morte ſubita, verbo ſolo percellere! Tabitham luci reddere, & omnis generis ægros, vel ſolâ corporis vmbra, ſanare? Non mirum ergo, quòd tot per prodigia loquentibus, fidem multi dederint, mirum magis, quòd multi negauerint; indicto, etiam per catenas & carcerem, ſilentio. At quæ vis à Dei iuſſis abſtrahat, qui Deum vnum ſpirant? inualeſcunt inde magis, & per Angelum nocte liberati, qui putabantur eſſe in vinculis: Doctores reperiuntur in templo. Adducti tamen rurſus ad Synædrium, ſed vt quos miraculis perculerant, verbis defigerent: quando Petrus infracto ad minas animo, nihil eos proficere teſtatus: *Deo potius, quàm hominibus, obediendum eſſe palam dixit.* Ex Gamalielis itaque, dubium an Chriſtiani, certè probiſſimi Hæbreorum conſilio dimiſſi ſunt, ſed verberibus crudeliſſimè caſtigati. Vnde illi magis ſe felices credere, quibus datum erat, & per flagella, ſuum Chriſto probare obſequium.

*Miracula*

*Apoſtoli in vinculis. Liberantur & prædicãt.*

*Electantur*

## CAPVT XIII.

## *De electione Diaconorum & nece Stephani.*

EXterno defuncti periculo, Euangelicæ prædicationis munus, ſtrenuè proſequebantur Apoſtoli: Cùm ecce ex motu domeſtico remora, & inde ab externo diſcrimen: quo tantùm non concidit Eccleſia, quæ vix-

dum benè ſurrexerat. Moris tunc erat, vt recens intincti bona diuenderent, & eorum pretium in commune deferrent; plane quaſi nihil defuturum crederent, quibus in ſortem Deus obtigerat. Ex eo tamen, origo diſſidij, dum in diſpenſandis, in egenos opibus, Paleſtinæ Viduis, ſuas poſthabitas, Græci queruntur. Volebant & iſtæ piis in operibus ſuum probare zelum. Ex malo tamen, vt fit inter probos, bonum emerſit. In fœminarum, quæ prorſus excluſæ ſunt, locum, ſeptem virtutis eximiæ Diaconis ſubſtitutis. Sed ecce grauior inde procella, Cauſa Stephani Diaconorum piiſſimi zelus ardentior, & doctrina ſublimior. Ei cum non poſſent Iudæi reſiſtere colloquendo, voluere ſequendo: ſubornatis, qui eum in iudicio reum blaſphemiæ teſtarentur. At nec damnatus ad mortem, ſuæ erga impios charitatis oblitus eſt; & Chriſti ſortem aſſecutus in mortis cauſa, eum etiam manſuetudine expreſſit: in ipſo incurrentium densè lapidum grandine, proijcientibus veniam precatus. Dignum ſanè ſpectaculum, cui cœlum ad plauſum & premium ſe panderet! Digna virtus quam Chriſtus è cælis ſtans, & veluti mirabundus inſpiceret! Quid verò tantum veniam tuis precaris hoſtibus, purpuratæ legionis Primipile? grates debes, qui ſic te obruunt, coronant.

*Opes in communi primis Diſcipulis.*

*Diaconi 7. electi, Stephanus accuſatur.*

*lapidatur*

*Cælum apertum videt.*

## CAP. XIV.

## *De diſcipulorum fuga, & inde fructu.*

EX effuſo Stephani ſanguine non reſedit
hoſtium furor, ſed inualuit: actis in fu-
gam Diſcipulis. Ferociæ tamen non pœni-
tet, quæ vt citò latè diuinæ ſe fidei lumen
diffunderet, occaſio fuit. Ex illo turbine Sa- *Samari-*
mariam Philippus Diaconus euaſit, ibique *tani fide-*
non pauciores Chriſto aſſeruit: quam Petrus *les.*
nuper Hieroſolymis: in idem conſentienti-
bus populis, quos odium pluſquam ferinum
dudum diſtraxerat. Digna ſoboles, quam
Petrus & Ioannes, qui cum aliis Apoſtolis
clam Hieroſolymis ſubſtiterant, inuiſerent, 33.
& vnctione Chriſmatis confirmarent. Quan- *Fides latè*
tùm optabilis iſtis perſecutio! quantum & *diffuſa.*
Damaſci, Phœniciæ, Antiochiæ, & aliarum
circa gentium Iudæis! Perierant illi, nî
Diſcipuli periiſſent.. Ex quo iſtis clauſum
Hieruſalem, illis ad cœlum via patuit. In-
ualuit inde nomen Chriſtianum: & appro- *Fideles*
bante imprimis Barnaba, qui dicti Diſcipuli *dicti*
fuerant, Antiochiæ dici cœpere Chriſtiani. *Chriſtia-*
Quid verò tam arctas diuinæ luci metas po- *ni.*
no? Vltra ſe protulit, & ab Aſia in Africam
Europamque radios effudit. Philippus enim
Diaconus in Eunucho Candacis Æthiopum
Reginæ, Africanas victorias auſpicatus eſt.
Ioſephus ab Arimathia: & Lazarus cum ſo- *Magda-*
roribus Martha & Magdalena, famulaque *lena in*
Marcella, lacera naui, in qua ad certum nau- *Gallia,*
*&c.*

fragium fuerant expoſiti; Maſſiliam appulſi, Gallias & Britanniam, quam Ioſephus adiiſſe dicitur, Chriſto initiauere. Quanta gentibus felicitas, ex Hebræorum odio! Id fatere Galle, nec tu Brittanne diſſitere, ni illi ſæuiiſſent, tu perdebaris.

## CAP. XV.

## *De Pauli Conuerſione.*

ILlos populos per Diſcipulos, Saulum per ſe ſibi Chriſtus ſubdidit: tanti ſupra gentes varias de vno Saulo victoria fuit! Hic Moſaicæ legis ad furorem tum vindex; vt quam fidelium ſtragem in Stephano inchoauerat,

*Stephani neci conſentit.* (cum enim lapidantium veſtibus cuſtos appoſitus, nihil minus quam ſi lapidaſſet, afflixerat) Damaſci impleret, à Pontifice literas ad ſynagogas, expreſſerat. At, qui

35. lupus ibat ad ouile, vt diſperderet, conuerſione mirabili mutatus eſt in Paſtorem, vt vindicaret. Nam in via emicante deſuper lu-

*Excutitur ab equo & excæcatur.* ce, oculis captus eſt, vt per cæcitatem hominis promoueretur ad lucem Dei. Excuſſus etiam ex equo eſt, vt poſt caſum, alter exurgeret: Ac ingeminante voce *Saule, Saule quid me perſequeris?* agnouit in Chriſtianis ſpirare Deum, & ad eum pertinere cruciatuum ſenſum, ad quos ipſi adeò non dolent, vt gaudeant. Ideo ſecutus Dei monentis imperium, Ananiam, è Chriſti diſcipulis non poſtremum; qui ex fuga Hieroſolymis Damaſcum elapſus, Eccleſiam ibi colligerat; vt ab eo luſtralibus vndis ablutus, in alium euaderet. O miraculum! jam non Saülus, ſed

Paulus, non Chriſtanorum tortor, ſed aſſertor, Iudæos premebat; & Ieſum, quem interemerant, Chriſtum eſſe acriter euincebat. Vnde Iudæorum primùm ſtupor, tùm, quia non abſiſtebat, fremitus & minæ, demùm furor: dùm quem legis vindicem ſperauerant, impugnatorem ſentiunt. At fruſtra fuerunt inſidiæ, eo noctu per mœnia demiſſo, & rurſum Hieroſolymis, quò, cum ipſo inſidiæ conceſſerant, Cæſaream, & Tarſum elapſo. Nouæ doctrinæ tyrocinium in eo fuit; quod in aliis complementum eſt, *pati*. Et iam tum probabat, in Chriſtiano, non tam quæri quid agat, quam quid pro Chriſti nomine perferat.

*Baptizatur.*

*Chriſtum prædic*

*Euadit Iudæorum inſidias.*

## CAP. XVI.

### *De Conuerſione Cornelij & vocatione Gentium.*

NOuo Chriſtianorum Alexandro nouus erat quærendus orbis quem vinceret. Quid enim Iudæa ad Pauli animum? Apoſtolis tamen ire vltra nondum fuerat animus, quia licitum id eſſet necne nondum liquebat. At nulli Deus ſalutem inuidet, qui omnes condidit, & ſuo ſimilis cœlo, bonitatis ampliſſimæ ambitu vniuerſos amplectitur. Id iam Philippus in Eunucho Candacis, id iam Lazarus & ſocij in Gallijs probauerant. Id tamen à membris inferioribus geſtum, dubiæ fidei videri poterat, donec eſſet probatum à capite. Petrus itaque Dei inſtinctu Cæſaream Ioppe profectus in Centurio-

fragium fuerant expoſiti; Maſſiliam appulſi, Gallias & Britanniam quam Ioſephus adiiſſe dicitur, Chriſto initiauere. Quanta gentibus felicitas, ex Hebręorum odio! Id fatere Galle, nec tu Brittanne diffitere, ni illi ſæuiiſſent, tu perdebaris.

## CAP. XV.

### *De Pauli Conuerſione.*

ILlos populos per Diſcipulos, Saulum per ſe ſibi Chriſtus ſubdidit: tanti ſupra gentes varias de vno Saulo victoria fuit! Hic Moſaicæ legis ad furorem tum vindex; vt quam fidelium ſtragem in Stephano inchoauerat,
*Stephani neci conſentit.* (cum enim lapidantium veſtibus cuſtos appoſitus, nihil minus quam ſi lapidaſſet, afflixerat) Damaſci impleret, à Pontifice literas ad ſynagogas, expreſſerat. At, qui
35. lupus ibat ad ouile, vt diſperderet, conuerſione mirabili mutatus eſt in Paſtorem, vt vindicaret. Nam in via emicante deſuper lu-
*Excutitur ab equo & excæcatur.* ce, oculis captus eſt, vt per cæcitatem hominis promoueretur ad lucem Dei. Excuſſus etiam ex equo eſt, vt poſt caſum, alter exurgeret: Ac ingeminante voce *Saule, Saule quid me perſequeris?* agnouit in Chriſtianis ſpirare Deum, & ad eum pertinere cruciatuum ſenſum, ad quos ipſi adeò non dolent, vt gaudeant. Ideo ſecutus Dei monentis imperium, Ananiam, è Chriſti diſcipulis non poſtremum; qui ex fuga Hieroſolymis Damaſcum elapſus, Eccleſiam ibi colligerat; vt ab eo luſtralibus vndis ablutus, in alium euaderet. O miraculum! jam non Saülus, ſed

Paulus, non Chriſtanorum tortor, ſed aſſertor, Iudæos premebat; & Ieſum, quem interemerant, Chriſtum eſſe acriter euincebat. Vnde Iudæorum primùm ſtupor, tùm, quia non abſiſtebat, fremitus & minæ, demùm furor: dùm quem legis vindicem ſperauerant, impugnatorem ſentiunt. At fruſtra fuerunt inſidiæ, eo noctu per mœnia demiſſo, & rurſum Hieroſolymis, quò, cum ipſo inſidiæ conceſſerant, Cæſaream, & Tarſum elapſo. Nouæ doctrinæ tyrocinium in eo fuit; quod in aliis complementum eſt, *pati*. Et iam tum probabat, in Chriſtiano, non tam quæri quid agat, quam quid pro Chriſti nomine perferat.

*Baptizatur.*

*Chriſtum prædic*

*Euadit Iudæorum inſidias.*

## CAP. XVI.

## *De Conuerſione Cornelij & vocatione Gentium.*

NOuo Chriſtianorum Alexandro nouus erat quærendus orbis quem vinceret. Quid enim Iudæa ad Pauli animum? Apoſtolis tamen ire vltra nondum fuerat animus, quia licitum id eſſet necne nondum liquebat. At nulli Deus ſalutem inuidet, qui omnes condidit, & ſuo ſimilis cœlo, bonitatis ampliſſimæ ambitu vniuerſos amplectitur. Id iam Philippus in Eunucho Candacis, id iam Lazarus & ſocij in Gallijs probauerant. Id tamen à membris inferioribus geſtum, dubiæ fidei videri poterat, donec eſſet probatum à capite. Petrus itaque Dei inſtinctu Cæſaream Ioppe profectus in Centurio-

*Petrus gentilium conuerſionem auſpicatur.* ne Cornelio ipſiuſque domeſticis, primitias Chriſto fecit ex Gentibus. quidni vero? cum ſe ille iam per pia facta Deo ſacraſſet? Nec factum diſplicere aliis Apoſtolis potuit, quod Spiritus ſanctus, viſibili ſpecie ſupra baptizandos illapſus, ratum habuerat. Id & Petro manifeſtatum in extaſi, quando genus omne animantibus etiam immundis, ei de cœlo intra linteum oblatis, veſci iuſſus eſt. *Viſio Petri de gentium vocatione.* Quippe non debet immundum videri homini, quod Deus mundauerit. Nec diſcrimen in Gentibus inuenit electio diuina: ſed facit.

## CAP. XVII.

### *De orbe inter Apoſtolos diſtributo, Iacobi nece, & Petri carcere.*

DEi obſecuti monitis Apoſtoli, orbem inter ſe partiti ſunt, vt dum ſuam quiſque partem Deo aſſerit: totum Dæmoni eriperetur. Vt verò conſona docerent; conſcripſere omnes fidei ſeu Chriſtianæ doctrinæ ſymbolum, quod ſinguli explicarent, & in populorum animis vel proprio cruore inſcriberent. Id cùm alibi alij, eo quo infra dicetur exitu, tum Iacobus Zebedei in Hiſpania, pro virili proſequutus eſt, vt Hieroſolymis impleret, Regis Agrippæ iuſſu capite cęſus. *Iacobi cædes.* Ei deſtinabatur ad pœnam ſocius Petrus, nî eo per Angelum vinculis exempto, vt malum conſilium in Authoris caput recideret, Deus voluiſſet. *44. Petri carcer & libertas.* Nam qui populo vt placeret, innocentem plecti voluerat:

eum Deus, vt innocentem vindicaret, Cæſa-
reæ actu plexuit, ac vermibus abſumendum
tradidit. Dignus quem tales carnifices ex *Agrippæ*
hominibus auferrent, qui popularitate ſa- *pœna.*
crilega, Deum ſe dici in theatro ſuſtinuerat. 46.
Talis impioꝝ exitus manet, quando inno-
centibus ſuæ pœnæ cedunt in gloriam: &
inſtrumenta ſupplicij venerationis argu- *Catenæ*
mentum fiunt. Id in Petri catenis proba- *Petri in*
tum: quæ orbe toto venerabiles, Romæ *cultu.*
etiam templa meruerunt.

## CAP. XIX.

## *De Apoſtolorum in ſuas Prouincias abitu & Romana ſede à Petro conſtituta.*

PEr Agrippæ furorem, extinctum iri ſe-
gem nouam, putabant Iudæi: Per eum-
dem illam Deus promouit. Adeo diuinis
conſiliis ancillantur ſæpe homines, & dum
obſiſtunt. Nam, ex perſecutionis metu in
aſſignatas Prouincias feſtinare Apoſtoli, &
quæ vna ex vrbe exulauerat, in omnes fidem
diffundere, quaſi non Tyranni ferociâ pulſi *Petrus*
eſſent; ſed Dei iuſſu, ad ſuum miniſterium *Romæ.*
dimiſſi. Petrus inter alios, qui iam à ſepten-
nio Antiochenam Eccleſiam conſtituerat,
Romam contendit, vt Eccleſiam in ea om-
nium futuram principem & magiſtram fun- 47.
daret. Sic diuinitùs ſtatutum erat nimirùm,
vt quæcumque ſors ingrueret, Gentium
domina Roma ſemper eſſet. Ex ea enim miſſi
à Petro Diſcipuli, qui quas in Aſia victorias

inchoauerat, per orbem reliquum propagarent. In Gallias præſertim curam intendit, quaſi iam tum Eccleſiæ Romanæ naui, variis olim agitandæ fluctibus, portum & perfugium prępararet. Hinc ex Pauli ſchola Diſcipuli nobiles Paulus Sergius Narbonenſem, & Creſcens Viennenſem & Moguntinam Eccleſias erexerunt. Hinc Martialis Tholoſanos, Burdegalenſes, & finitimos latè Chriſto ſubiecit. Eucharius demum, vt multos prætercam, Germanicas auſpicaturus victorias, Treueris conſedit: vt Rheno tranſmiſſo, eò nomen Romanum pax Chriſtiana proferret, quò bellicus labor non perſuaſerat. Nec intentus Europæ Africam neglexit; conſtituto Alexandriæ Marco, qui ſuperſtitioſam Ægypti Gentem melioribus ſacris imbueret. Nec puduit Carthaginem nouis Romæ legibus ſubdi, quæ antiquas adeò exhorruerat. Sic Petrus alter velut Imperij conditor Chriſtianuſque Romulus, ſupra Scipiones & Cæſares Romam extulit: quippe quam illi per aliorum clades, ipſe per beneficia prouexit. Beauit quos ſubdidit, nec quemquam in terris ſibi ſubiecit, niſi vt promoueret ad Cœlites.

*46. &c. Petrus per Diſcipulo eorbem ſubdit Roma.*

## CAP. XIX.

## *De Pauli & Barnabæ Apoſtolatu, peregrinationibus & prædicatione.*

PAulus Tarſo, quò Iudæorum inſidias veritus euaſerat, Antiochiam accitus à Barnaba, in Apoſtolum ibi vna cum ipſo, ritu

ritu ſolenni cooptatus eſt. Hinc vtrique zelus ardentior, & in tolerandis miniſterij ſacri laboribus patientia robuſtior. Felix tùm Cyprus, cui excæcato ad tempus Elyma Mago, ac Paulo Sergio Proconſule fidei aſſerto; (vnde ex Saulo dictum Paulum volunt). per illos diuinæ lucis facta copia eſt. Felix Antiochia Piſidiæ, Felix Iconium; niſi fulgorem iſtum beneficum repuliſſent. Felix & Lyſtra, ſi quos vt deos, etiam deſtinatis ſacrificiis reuerita eſt; eoſdem mox vt impios, lapidibus non violaſſet. Chriſtianorum ſpes altera conciderat; ſi Paulus, excuſſo lapidum quo fuerat obrutus cumulo, ſe ſibi ſuperſtitem non oſtendiſſet. Poſthæc orta inter ipſum & Barnabam, de Marco peregrinationis comite, diſſenſio diſtraxit eorum corpora, vt plura diuiſi luſtrarent; non animos, vt in idem ſemper diſtracti contenderent. Barnabâ itaque in Italiam profecto, vt cum alias, tum Mediolanenſem Eccleſiam conſtitueret: Paulus primò Sylam ſibi, tùm Timotheum, deinde Lucam, ad ſacrum miniſterium adiungens, varias Aſiæ Græciæque Prouincias obiuit, hoc eſt, Chriſto ſubdidit. Quot enim fundauit Eccleſias? Indicio ſunt Creta, Cyprus, Epheſus, Philippi, Corinthus, Athenæ, & aliæ paſſim vrbes, quas vel oculis tantum in tabella percurrere, operoſum eſſet. Quam ſanctis eas legibus inſtituit! Teſtantur Epiſtolæ iis plenæ ſanctionibus, quas in cœlo didicerat. Quot eas miraculis fulcit; dicant Claudus ab vtero ſanatus; Pythoniſſa liberata; adoleſcens rediuiuus; innumeri demùm ſolo

*Paulus. Serg. à Paulo conuerſus.*

*Paulus & Barnabas pro dijs habiti.*

51.

*Paulum inter & Barnab. contentio.*

*Pauli miracula.*

eius contactu ſudarioli, ſanati. Quantùm verò pro illis inſtituendis; quantùm pro tuendis pertulerit, vix fidem habeat, ni ſuus ipſe ſit hiſtoricus, in ea quam iterùm ad Corinthios ſcripſit epiſtolâ, vt per quas victorias ſupra vim hominum ſe probauerat; eas ipſe ſupra vim temporum poneret.

## CAP. XX.

## *De Pauli carcere, & Romam appulſu.*

PAulus non tam paſſibus quàm victoriis Aſia, Græciaque peragratis, tametſi obluctabatur Agabus, & vincula præſagiebat, Hieruſalem tamen rediit; quò enim lubentius, quàm in arenam patientiæ? Ibi poſt carceres, colaphos, & mille conuitia tolerata, virgas euaſit. Nam Romanum ciuem eſſe longè pluris tùm erat, quàm innocentem. Inualuit inde impiorum furor: & vt quem virgis ſubductum noluerant morti addicerent; ſe nec potus aliquid, nec eſus capturos vouent quadraginta Sicarij, donec eum interemerint. Impij, quia ita vouerant; periuri, quia voto fruſtrato ſuperuixerunt. Tanta in accuſatoribus improbitas: accuſato poterat eſſe pro Apologia, ſi apud Iudicem auarum juris aliquid haberet innocentia, ſed Felix dum immemor extremi iudicij, cuius eum imagine Paulus perculerat, vendere libertatem mauult, quàm dare: tamdiu captiuum detinuit, donec eum Feſtus excepit. Iſtum cum nec magis æquum

*Pauli pœna & inſidiæ.*

58.

*Votum ſacrilegum de nece Pauli.*

experiretur, prouocauit ad Cæſarem. Nimirùm vt etiam Roma probatæ dudum patientiæ ſpectaculo defigeretur, & clarum adeò ſydus non vno in cœlo luceret. Profectioni ſibi formidandæ viſus eſt intercedere erebus, concitatis ab imo fluctibus. At quem in Oriente victorem ſenſerat, ab eo quoque vinci debuit in Occidente. Idcirco Melitem Inſulam, procellis victis, incolumis tandem euaſit. Nec vllus nauigantium periit, quamuis eliſâ naui, & ſarcinis abjectis. An enim quiſquam periret, vbi Paulus erat, pro quo cœlum ſtabat? Felix Inſula quam tanti hoſpitis fortunauit acceſſus; abactis, ab incolarum animo, errorum tenebris, à corpore morbis. Ad noui Æſculapij vel vmbram morbos ibi omnes deficere decuit: nec ſtare debuit inferni ſerpentis imperium, vbi terreſtris inaudito prodigio virus amiſerat. Nam æquitate ſummâ Deus voluit, vt vipera, quæ Apoſtoli manum, dùm ſarmenta tractat, violare morſu auſa fuerat; quamquam innoxiè, pietate veri veneni vim, cum adſtantium ſtupore, ſuperante, alios poſthac, illa in Inſula, continuato tandem miraculo, inficere non poſſet. Romæ denique, biennio in libera cuſtodia tranſacto, libertatem obtinuit ſanctus Apoſtolus, &, quod vix fidem habeat, iuſſu Neronis. Adeò nulla tàm deſperatè corrupta indoles eſt, vt apud eam, ius omne ſuum amiſerit innocentia.

*Paulus ad Cæſarem prouocat.*

*Paulus Melitem applicat & illuſtrat.*

*Innoxie læsus à Vipera.*

59.

60.

## CAP. XXI.

### *De plurium Apoſtolorum factis & exitu.*

NEc ſegnius intereà alij Apoſtoli ſuas quiſque Prouincias ereptum ibant Orco, aſſertum cœlo, vel per ſuas pœnas & mortem. *Andreas.* Andreas igitur Petri Germanus, de redactis, magnam partem, Scythis ad leges Eccleſiæ, in Græcia triumphauit. Fuit enim illi pro triumpho diù optatiſſimo, in ſui throno Domini, quæ Crux eſt, ſedere tandem & exſpirare. *Philippus* Philippus in ſuperiorem Aſiam, & fines Scythiæ, Chriſti iura promouit. Felix qui vbi populos illos cœli viam docuit: eò ipſe lapidibus obrutus euolauit. *Thomas.* Thomas Parthis, Medis, & Indis Chriſti ſubiugatis imperio, tantùm eius ditionem protulit, quantùm nec ſuam Alexander. Et cæſus ab Idololatris, tùm demùm euolauit ad cœlos, cum vltrà, quò triumphos extenderet, in terris non fuit. *Bartholomæus.* Bartholomæus ſuas quoque partes viriliter executus, Armenos & Albanos ritibus Chriſtianis informauit. Dicunt ei detractam cutem. In eos enim, qui Deo ſe addixerunt, nihil vltra poteſt humani generis hoſtis. *Mathæus* Mathæus ſcriptor Euangelij, profectus Æthiopas, & Eunuchi Candácis cœpta perſecutus, ſalutari balneo coloratos illos populos dealbauit. Quo exitu vitam clauſerit antiqui non referunt; quippe non ei vita deſijt, ſed quæ temporaria erat, in æternam

tranſiit. Iacobus alter cognomento Iuſtus, *Iacobus.* *67.*
vberem Hieroſolymys nactus meſſem, quid
non egit, vt quos, in Moſis ritibus ſocios
habuerat, Chriſtianorum conſortes fa ce-
ret? Sed dementibus fabulę. Nam tan-
dem Ananiæ Pontificis iuſſu è Templi faſti-
gio deiectus eſt, & caſu quo aſſurrexit ad
cœlum, alliſit qui deiecerunt. Hinc enim,
vt creditum eſt, clades Palęſtinæ. Simon
Chananęus, vnà cum Iuda Thadæo, Meſo- *Simon* *Thadæus.*
potamiâ ſubactâ, ſuum fluminibus cohiberi
zelum non paſſi, Perſidem cogitarunt. Vo-
tum ipſis pro re fuit. Ad triumphum ante
vocati ſunt ad cœlos, quàm meditatam in
terris expeditionem abſoluerent. Mathias *Mathias.*
demùm Africanorum animos, flammis ca-
lidioribus accendit, quàm quibus corpora
inardeſcunt. Hæ ſunt Apoſtolorum victo-
riæ, hi triumphi (nam de Petro & Paulo,
Ioanne & Iacobo altero, dictum alibi) à
quibus mirum tantùm gentium, tam citò,
actum fuiſſe ad nouas leges. Nempe vt Deo
potiſſimùm tribuerentur progreſſus mirabi-
les. Nam vbi minùs de humana virtute fuit,
plus fuiſſe de diuina neceſſe eſt.

## CAP. XXII.

## *De Synodis Apoſtolorum.*

Eccleſia corpus eſt, tot membris compa-
ctum, quot ſunt Chriſtiani. Vita illi *Mat. 16*
manat ex capite, qui Chriſtus eſt; Pręſulibus
adminiſtris: ſed imprimis Romano, quem
ſupra cęteros ſuas in terris vices agere Chri-

*Rom. Pontif. Christi ſupra reliquos vicarius.*

ſtus voluit in Petro. Illi ſe adfuturum ſemper promiſit, vt qui regit homines regeretur à Deo: nec in errorem deflecteret, cui via & veritas eſſet pro duce. Iam quam à Chriſto accepit authoritatem, ipſe Pontifex plerumque temperat, Synodis congregatis. Id certè quater factum à Petro, qui vt poſt Chriſtum Pontificum caput fuit, ita norma. In prima ſtatim poſt ſublatum in cœlos Dominum, in locum Iudæ proditoris Mathias ſorte ſuffectus eſt. In altera non diu poſt electi Diaconi. In tertia diſtributus eſt orbis inter Apoſtolos. In vltima, quam aliqui primam ponunt (quaſi aliæ magis priuatæ deliberationes fuerint de rebus piis, quàm Eccleſiaſticæ Synodi) à legis Moſaicæ vmbris & jugo Chriſtiani vindicati. Quorſum enim vmbræ poſt ſolis ortum? Quid iuris antiquo iugo, poſt Chriſtum vindicem?

## CAP. XXIII.

## *De Deipara & eius ſponſo.*

NVllius ſit nominis noſter Florus, ſi flos omnium pulcherrimus, Maria Virgo, locum in eo non habeat. Ei, Regum atque Sacerdotum fuiſſe neptem, parùm eſt ad laudem; poſtquam Dei Mater audiit. Quid enim decora alta parentum ad Deum Filium? Poſt Filij mortem, Ioanni credita migrauit Epheſum, quæ mallet ad cœlum. Quamquam dici poteſt ibi tum fuiſſe cœlum, vbi ipſa, cui famulabantur Cœlites. Qui & mortuæ corpus extulerunt ad cœlos;

quippe dignus eo tumulus terra non fuit, in quo cœli Dominus quaſi tumulatus aliquandiu fuerat. O terra quo cares pignore! Si tamen cares, in quo ad tuum immortale decus ſupra ſidera emines. Ne tota nobis poſſet eripi Lucas prouiderat: expreſſa eius imagine, quæ poſteris fidelibus ſolatium ſimul, & venerationis incitamentum eſſet: Iconomachis veró damnationis præiudicium. Aliquot annis ante ſponſus eius caſtiſſimus exceſſerat. Hoc eſt, cœlo terras mutauerat. Merita eius vltrà non affero, nec poſſum: qui enim ſponſum Deiparæ dixit, panegyricum abſoluit. Ei Maria dùm nupſit, duo in ſe prodigia poſt natos homines inaudita impleuit. Vt enim ſupra ſeculorum omnium vſum & fidem Virgo Mater: ita Virgo nupta.

*Mariæ mors Epheſi & Aſſumptio.*

*Ioſephi*

## CAP. XXIV.

### *Prima in fidem Chriſtianam hæreſis à Simone Mago.*

NOn mirùm à Iudæis primùm, tùm ab Ethnicis vexatam fuiſſe Eccleſiam. Apud exteros, inimicos facilè inuenit peregrina. Eam veró à ſuis per hæreſes paſſam hoſtilia, quis credat? Si tamen illi vnquam ex vero Eccleſiæ filij, qui Dæmonis ſe miniſterio addixerunt. Malum ſané omni crudelitate periculoſius. Externa perſecutio vltrà corpus non ſæuit: At hæreſis, dum penitiùs ſubit, & latentiùs incubat, jugulum ipſum petit, & animam violat. Hæretico-

*Rom. Pontif. Chriſti ſupra reliquos vicarius.*

ſtus voluit in Petro. Illi ſe adfuturum ſemper promiſit, vt qui regit homines regeretur à Deo: nec in errorem deflecteret, cui via & veritas eſſet pro duce. Iam quam à Chriſto accepit authoritatem, ipſe Pontifex plerumque temperat, Synodis congregatis. Id certè quater factum à Petro, qui vt poſt Chriſtum Pontificum caput fuit, ita norma. In prima ſtatim poſt ſublatum in cœlos Dominum, in locum Iudæ proditoris Mathias ſorte ſuffectus eſt. In altera non diu poſt electi Diaconi. In tertia diſtributus eſt orbis inter Apoſtolos. In vltima, quam aliqui primam ponunt (quaſi aliæ magis priuatæ deliberationes fuerint de rebus piis, quàm Eccleſiaſticæ Synodi) à legis Moſaicæ vmbris & jugo Chriſtiani vindicati. Quorſum enim vmbræ poſt ſolis ortum? Quid iuris antiquo iugo, poſt Chriſtum vindicem?

## CAP. XXIII.

### *De Deipara & eius ſponſo.*

NVllius ſit nominis noſter Florus, ſi flos omnium pulcherrimus, Maria Virgo, locum in eo non habeat. Ei, Regum atque Sacerdotum fuiſſe neptem, parùm eſt ad laudem; poſtquam Dei Mater audiit. Quid enim decora alta parentum ad Deum Filium? Poſt Filij mortem, Ioanni credita migrauit Epheſum, quæ mallet ad cœlum. Quamquam dici poteſt ibi tum fuiſſe cœlum, vbi ipſa, cui famulabantur Cœlites. Qui & mortuæ corpus extulerunt ad cœlos;

quippe dignus eo tumulus terra non fuit, in quo cœli Dominus quaſi tumulatus aliquandiù fuerat. O terra quo cares pignore! Si tamen cares, in quo ad tuum immortale decus ſupra ſidera emines. Ne tota nobis poſſet eripi Lucas prouiderat: expreſſa eius imagine, quæ poſteris fidelibus ſolatium ſimul, & venerationis incitamentum eſſet: Iconomachis verò damnationis pręiudicium. Aliquot annis ante ſponſus eius caſtiſſimus exceſſerat. Hoc eſt, cœlo terras mutauerat. Merita eius vltrà non affero, nec poſſum: qui enim ſponſum Deiparæ dixit, panegyricum abſoluit. Ei Maria dùm nupſit, duo in ſe prodigia poſt natos homines inaudita impleuit. Vt enim ſupra ſęculorum omnium vſum & fidem Virgo Mater: ita Virgo nupta.

*Mariæ mors Epheſi & Aſſumptio.*

*Ioſephi.*

## CAP. XXIV.

### *Prima in fidem Chriſtianam hæreſis à Simone Mago.*

NOn mirùm à Iudęis primùm, tùm ab Ethnicis vexatam fuiſſe Eccleſiam. Apud exteros, inimicos facilè inuenit peregrina. Eam verò à ſuis per hæreſes paſſam hoſtilia, quis credat? Si tamen illi vnquam ex vero Eccleſiæ filij, qui Dæmonis ſe miniſterio addixerunt. Malum ſanè omni crudelitate periculoſius. Externa perſecutio vltrà corpus non ſæuit: At hæreſis, dum penitiùs ſubit, & latentiùs incubat, jugulum ipſum petit, & animam violat. Hæretico-

*Simon Magus. Primus hæreſiarcha.*

rum porrò Primipilus & veluti Patriarcha Simon Magus extitit. (Nam Nicolaus Diaconus, vt proſtrata pulcherrima coniuge occaſionem Nicolaitis dederit, Hæreticus tamen non fuit.) Hic eiurato baptiſmate quò eum Philippus Diaconus Samariæ intinxerat, cum vim cœleſtem non potuiſſet emere ab Apoſtolis pecunia, infernam à Dæmonibus per ſcelera acciuit. Et qui non meruit fidei per miracula fieri propagator, eius per impia dogmata eſſe corruptor voluit. *Vt gratis haberet, quod emere non potuerat, ſe Deum dixit, & ſe Iudæis apparuiſſe vt Filium, nec paſſum eſſe niſi in ſpeciem, Samaritanis vt Patrem, aliis populis vt Spiritum ſanctum. Salutem omnibus qui ſibi crederent, gratis ac ſine operibus promiſit.*

*Eius hæreſes.*

Quid negaret alijs, qui ſibi Diuinitatem ſumpſerat? Hæc eius fides. Qui mores? quales ſperes à Satanæ primogenito, & hæreticorum primo Patriarcha. Quid ab illo ſordium non manet? qui ſpurciſſimum ſcortum *ſelenem* non circumduxit ſolum, ſed etiam vt primam ſuæ mentis conceptionem haberi voluit, ac adorari; vt per quam Angelos, qui orbem conderent; & homines ſaluandos, vel ſi ſpurciſſimè viuerent, aſſeruerit. Cùm minus in Iudæâ, peſtis illa proſerperet, Antidotum obijciente, inter alios Petro, Romam venit, nec ab ea repulſam timuit, cuius tum pietas in eo erat, vt nullam impietatem reſpueret. Nec falſum ſpes habuit, Romanis ſuam in ipſum reuerentiam & ſimulachro teſtatis. Quippe non po-

*Romam venit.*

terat ſupra ſolium non aſſurgere impietas, vbi Nero regnabat? Diuinitatem conſecuto in terra quid ſuperarat, niſi vt ad cælum euolaret? Id & tentauit nouus Icarus, ſed vt oratione Petri deturbatus, ex altiori rueret, & effractis ex caſu cruribus, gradi non poſſet, qui volare tentauerat. 68. *Allidiiur ex caſu.*

## CAP. XXV.

### *Prima in Chriſtianos perſecutio ſub Nerone, quâ caſi inter alios Petrus & Paulus.*

PRima in Chriſtianos ab Ethnicis perſecutio, à Nerone fuit, vt Innocentes nemo ambigeret, in quos talis deſæuijt. In miſeris nulla patiendi causâ, niſi quod innocentiam ſemper oderunt impij. In tyranno verò ſæuiendi multiplex ſtimulus, ingenium atrox, & vrbis à ſe combuſtæ conſcientia. Tantæ ſtragis Innocentem habitum iri ſe credidit, ſi eius inuidiam deriuaret in Chriſtianos, & affictum crimen immanibus ſupplicijs puniret; & ſic atrociſſimum facinus, non minori ſcelere purgaret. Quid verò pœnarum non congeſtum in miſeros? Quaſi leuiùs eſſet Innocentibus perire tantùm, pœnis addita ludibria ſunt. Alij ferarum pellibus contecti canibus dati ſunt in prædam. Alios crucibus vel palis affixos, nihilo canibus mitiores, confecere carnifices. Alij tunica alimentis ignis illita ſuperueſtiti, ceſſerunt in ignis pabulum, & in vſum nocturni luminis exarſerunt. Erat in Oriente tùm 66. *Pœnæ fidelium.*

61. Petrus Romam redit. Petrus, ex quo, cum Iudæis, Chriſtianorum plurimi, quaſi eiuſdem ſectæ, Claudij edicto exulauerant. Nimirùm euocabatur in Paleſtinam à Deo, vt interiacentibus luſtratis Eccleſijs; ortas de Moſis ritibus controuerſias, in Synodo componeret. At & ibi à Neronis ferocia & Simonis Magi præſtigijs illata interea Eccleſiæ damna ſenſit. Quippe non potuit benè eſſe capiti, membris diuexatis. Ob id, reditum maturauit, vt nouo more, membris quæreretur ſecuritas, capitis periculo. Reuerſus tùm etiam eſt ex Hiſpanijs Paulus, quò libertatem adeptus conceſſerat; vt duorum Primipilorum fiduciâ, legio Chriſtiana, in diſcrimen audacius incurreret. Petrus igitur populo veritus à Simonis Magi præſtigijs, in theatrum proceſſit, eumque jam euadentem ad ſydera, orationis fulmine alliſit ad terram, & vnà cum ipſo artes Dæmonis, ipſiuſque Neronis crudelitatem impiam fulminauit. Hinc acerbior Tyranni rabies, cum in alios, tùm in ipſos Apoſtolos. Petrus autem è Cruce verſo deorsùm capite pependit; quaſi qui moriens ſuæ ſpectaculo patientiæ rapiebat in admirationem Cœlites, aſpectu viciſſim Cœlitum, ſuam vellet patientiam animare. Paulo verò reciſum caput eſt, vt laxiori via, in prægustatas olim cœli delicias, faciliùs anima erumperet. Glorioſam mortem illuſtrauere miracula. Petrus pœnæ iam certus in carcere fontem elicuit, vt quos è cuſtodibus Chriſto pepererat, irroraret. E Pauli reſectis venis lacteus humor exiluit, & ad triplicem capitis reciſi ſaltum, fons triplex

*Necnon Paulus.*

*Petrus Simonem præcipitat*

68. *Petri mors.*

68. *Et Pauli.*

emicuit lactei ſaporis, vt eius doctrinam ſuccum eſſe quo nutriatur Eccleſia, innoteſceret. Inter tot parricidia, vnum tandem bonum fecit, immanis carnifex. Se occidit, & clades qui fecit, vltus eſt. Quippe non alia, quam Neronis manu dignè Nero perire potuit. *Nero ſe perimit.*

## CAP. XXVI.

## *De Simonis Magi Gregalibus & Diſcipulis Hæreſiarchis.*

SImonis Magi impietas Authori ſuperfuit, impura ſobole, ex eius quaſi cadauere verminante. Hinc Menander, Saturninus, Baſilides, Carpocrates, Cerdo, Marcion, Elxai, Cerinthus, Ebion & alij, qui etiam ſupra Magiſtri ſpurcitias & deliria exorbitarunt. Multis enim ne arguerentur degeneres, libidinum confuſio placuit. Tales Ebion, Carpocrates, Baſilides, & Nicolaitæ, ex quibus, vt ex fœdo ſtercore Scarabæi, emerſere Gnoſtici & Adamitæ. Iſtis ad impietatem præfuiſſe dicitur Prodicus, qui ne propterea male de Deo meritus, opinor, crederetur, ſocios ei Lunam & Solem, & elementa, attribuit. Alij vt â Patriarchæ ſordibus quam maximè diſcedere ſe oſtenderent, nec matrimonium probauerunt, vt Saturninus. Alij pro Moſis ſtetere ritibus, vt Ebion, Elxai, & Nazariæ. Plures duo rerum coæterna principia poſuerũt, vt vni viſibilia & mala, alteri inuiſibilia, & bona tribuerentur. Liberum & ipſi arbitrium ſuſtu- *Gnoſtici & Nicolaitæ.* *Iudaizãtes.*

lerunt, vt ſuis in Creatorem refuſis flagitijs, ſe Innocentes facerent. Quales fuere Cerdo, Marcion & alij, è quibus poſtea prodiere Manichæi. Fuerunt etiam qui Chriſtum dixerunt incorporeum, vt crucifixum & ſuſcitatum negarent, vt Baſilides, qui prætereà neſcio quos de Deo Gryphos ſomniauit, quaſi ex ambagibus, ſuis delirijs parare vellet reuerentiam. Nec defuere, qui ſic orbem à Deo conditum delirarunt, vt ab eius regimine tanquam nimis anxio abſtineret. Quin & non à Deo, ſed ab Angelis compactum credidere Saturninus, & Menander. Omnes denique, ſed expreſſius Ebion, & Cerinthus, vt vno velut ictu Eccleſiam funditus conuellerent, Deum negauerunt in Chriſto. Ad tot hoſtes cum præterea Tyrannorum immanitas graſſaretur, non tamen Eccleſiæ animus concidit. Quippe Chriſti nixa meritis & promiſſis, eam ſe nouerat, in quam portæ inferi præualere non poſſent. Ideò in Hydram multicipitem, inſurrexerunt ſtatim Chriſtiani Hercules Petrus, Paulus, Iacobus alter, & Ioannes Apoſtoli: qui eam tùm in Simone, tùm in eius coæuis Diſcipulis diuinę doctrinæ malleo contunderent. Ab ijs aſſerta paſſim neceſſitas operum ad beatitudinem, Diuinitas Chriſti dilucidè confirmata; vni Deo viſibilium ſimul & inuiſibilium Creatio attributa, & ita conſultum honeſtati matrimonij, vt ablegatis impudicitiæ ſordibus, ſua caſtitati prærogatiua integra permaneret. In impios illos transfugas adhuc obluctantes, & ſuis repullulantes temporibus in-

*Marcion.*

*Ebion & Cerinthus in Chriſto Deum negant.*

*Qui hæreſes refutauerint.*

ſurrexere etiam, poſt Apoſtolos, Ignatius, Polycarpus, Irenæus, Tertulliauus, Origenes & alij. Nam & iſtis militiæ Chriſtianæ Athletis ſuperfuit in quod vires exercerent, etſi rem prorſus confeciſſe Apoſtoli viderentur. Certè Ioannes quos doctrina repreſſerat, eoſdem ſeu miraculo ſeu vaticinio perculit, & in parentibus poſthumos oppreſſit. Cum enim in Aſia, in Ebionem & Cerinthum incidiſſet ad Balneum: Eia! inquit ad ſocios. Hinc citò! ne nos cum impiis ruina conuoluat. Vix pedem extulerant, cum Balneum collapſum obtriuit Apoſtatas, & de lauacro miſit ad flammas, vt qui Magiſtri Simonis ruinâ non reſipuerant, ſuâ perirent. 74. *Ebio & Cerinthus obruti.*

## CAPVT XXVII.

### *De Hieroſolymorum excidio.*

AB impiis Hereticorum ſordibus vindicauerunt Eccleſiam, qui eius fuere fulcra, Apoſtoli & Doctores. Illatas verò à Iudæis iniurias vlti ſunt, qui maiores intulerunt Romani: vt ei à ſuis etiam inimicis ſalus eſſet, & non tàm ſibi quàm Deo & Eccleſiæ victor gentium populus pugnare noſceretur. Pœnam autem miſeri acciuere fugiendo. Nam dum Præſidum rapinas & contemptum vlturi concurrunt ad arma, & Romanos fœdè contrucidant, excitauerunt incendium, quo exardeſcerent. Ruinam præmonſtrauere prodigia: nam interior Templi porta ſponte latens: & circa ipſum 75. *Cladis præſagia.*

Templum noctu collucens flamma; quid aliud quam iri captum ab hoſtibus, & arſurum monſtrarunt? Vox autem hæc, quæ ex adyto intonuit, *Migremus hinc*, & viſæ in aëre concurrere acies, nùm aliò migrare Deum, & in ingratos pugnare militiam, oſtenderunt? A Deo igitur fluere clades, à quo preſagia. Ipſi nouo rebellionis crimine prouocauere qui facerent, vt iam Romani & ſuæ Majeſtatis vindices, & diuinæ etiam eſſent. Veſpaſianus autem à Nerone in eos miſſus, Galilæam non ante ſubegit quam ſtragibus oppleuit. A Hieroſolymis tamen abſtinuit, vt ſe intereà incolæ conficerent, & concurrentes inter ſe, tanquam in circo feræ, imminenti ruinæ non tantum proluderent, ſed etiam viam ſternerent. Nam è Galilæis qui euaſerant in vrbem, effugiunt, & templo, ciuibus excluſis, potiti; patriorumque ſe rituum zelo venditantes, è Diuinitatis olim ſacrario, Latronum ſpoliarium faciunt, ac Aſylum vnde rapinis, ſtupris, cædibus miſeram ciuitatem deformarent. Conatus quidem malum exſcindere Ananus Pontifex, ſed accendit, ad zelotatum auxilium accedentibus Idumæis. Hi enim ipſi trucidato Pontifice, cœdes & latrocinia inſtaurauere. O verè miſeros, quos Deus abjecit, & quaſi Romanorum parci laboribus vellet, ſuis ipſorum manibus confecit. Felices tamen quos atrociori ſæuitiæ tunc ferrum ſubtraxit. Nulli enim videtur parcitum, niſi vt immanius periret. Nam qui à ſuis tam triſtia paſſi ſunt, per biennium, quo Romanas interea vires bella ciuilia

*Seditio & cædes in vrbe.*

*Vnde Zelotæ.*

exercuerunt; quid ab hoſte non ferant; eoque rebellione pertinaciſſima, nulliſque exorabili monitis ac promiſſis, exaſperato? Fuit hic Titus, cui pater Veſpaſianus, admotus imperio, expeditionem iſtam commiſerat. Minus eſt quòd ſupra decies centena millia perierint, centum millia vænierint: vrbs tota corruerit. Vel ſic perire votum eſſe potuit, atrociora paſſis, aut paſſuris. An in malis mortem illi ponerent, qui fœni iam putreſcentis reliquias magni emere ad pabulum; è ſuis calceis, & id genus aliis fecere cibos; purgamenta pecudum, conuerterunt in alimenta? Quin & ipſos infantes comederunt. Nec actum mitius cum profugis, qui cum nihil non experirentur miſeriæ, nulli tamen erant miſerabiles. Ex iis Titus circum mœnia ob oculos ſuperſtitum tot affigi crucibus iuſſit, vt iam patibulis deeſſet, ſpatium, corporibus cruces. Quid quod non paucis à fuga retractis, ſcrutari ferro viſcera non horruerunt prędones Arabes, vt aurum quod ab eis abſorptum, & abditum intra fuiſſe, ſuſpicio erat, inquirerent. Adeo in auaris eſt aliquid, quod magis horreas quàm auaritiam. Extorrium denique corporibus teter adeo fœtor inhæſiſſe dicitur, vt in prouerbium ceſſerit, & gens fœtens Iudæi audierint; quaſi ſordes animæ, ſui ſenſum facerent per corpus. Quis poſthac dubitet, quin diuino iuſſu, iuxta Chriſti vaticinium, gens illa conciderit, quę noluerat emendari? quando negata, quæ ob victoriam, deferebatur à

*Cæſareum numerus.*

*Fames.*

*Profugorum miſeria.*

*Titi moderatio in victoria.*

finitimis corona, Dei hoc in bello ſe militem agnoſcere maluit, quàm militum Imperatorem. Æquum erat vt gens ſacrilega Chriſtum experiretur vltorem, quem Saluatorem abjecerat, & ſuo mergeretur in ſanguine, quæ ſe diuino polluerat.

## CAPVT XXVIII.

### *Secunda in Chriſtianos perſecutio ſub Domitiano.*

VEſpaſianum & Titum, ſic iniuriarum aduersùm Iudæos, vindices Eccleſia probauit, vt ab eis & ipſa non nihil damni ſubinde ſenſerit. Licet enim ſuâ mites indole, nulli noxij gratis fuerint, ab eis tamen, vt
*Linus Pont.* Linus Petri ſucceſſor, Apollinaris Rauennę Præſul, & alij necarentur, expreſſere Pontifices Ethnici. Adeò vix Principibus innocentes eſſe licet inter impios. Erant illa pręludia perſecutionis inſtaurandę ſub Do-
92. mitiano. Cum iſtum audis, Neronem co-
*Cletus Pont.* gita, & ſi quid vltrà. Hic vt vno ictu rem
93. conficeret, caput appetiit, Cletumque Ponteficem interfecit. At nec ſic elanguere membra, quibus à diuino ſpiritu vigor erat. In ea igitur etiam diſtrictum ferrum, vt quatenus vulnere capitis non conciderant,
*Chriſtiani occiſi.* ſuis perirent. Hinc cum alij paſſim, tùm
94 Acilius Glabrio, & Flauius Clemens Conſulares occiſi. Fœlices, qui magis enituere ſui ſanguinis purpurâ, quàm conſulari! Clemens imprimis cui pluris fuit crucifixo iungi per mortis ignominiam, quàm reg-
nanti

nanti, cuius erat patruelis, per ſocietatem Imperij. In fœminas etiam ſęuitum eſt, ne quis ſexus à conſtantiæ laude vacaret. Et ne quæri poſſent ignobiles, Domitillę Tyranni conſanguineæ, in exilium amandatę ſunt. Amabat, opinor, iam tùm Chriſtus gentem Flauiam, & ex ea volebat ab impiis, & Tyrannis offerri ſibi victimas, ex qua ſuſcitaturus erat, qui Tyrannos & impietatem in Imperio exſcinderet. Quanta enim ea in Domitiano? qui toto imperio, non magis hominibus Chriſtianis pepercit, quàm, in ſuo cubiculo, *Muſcis*? Vt crudelitatis omnes impleret articulos, Ioannem Apoſtolum Epheſo Romam acciuit, ſed vt nouo prodigio Chriſtianorum innocentia probaretur. Nam pœnam quam vt Reus, Athleta nobilis, ſubiuerat; euaſit vt Innocens; feruens oleum, quaſi tantum vt inungeretur ad luctam, ſine noxa ingreſſus, & egreſſus. Poſthæc relegatus in Pathmos Inſulam, ſic egit exulem, vt Apoſtolum ſe Prophetamque meminerit, accolis ad Eccleſię leges adductis, & Apocalipſi ſcriptâ. 98. Inde poſt cæſum à ſuis Tyrannum, reuocatus à Nerua Epheſi breui poſt, in mortemortalitatem exuit. 100. Vnus Apoſtolorum ſuo fato obijt, quia forte ſolus Chriſto moridnti adſtitit, & cum eo antequam moreretur occubuit, Nam in ipſius locum apud Matrem ſuffectus, ita illum expreſſit: vt in Ioanne Chriſtus, poſt mortem viuere viſus ſit, vt Ioannes adhuc viuens in Chriſto obijſſe credi potuerit.

*Conſtantinus è gente Flauia.*

*Ioannes Apoſtolus in oleo.*

*Exular Scribit Apocalypſim.*

## *Pontifices primi ſæculi.*

NE me promiſſi olim, dum Florum Chriſtianum in lucem darem, facti parùm memorem putes; ſummorum Pontificum ſeriem, ſingula poſt ſæcula interſero; & quantum inſtituti operis breuitas finit, ſi quid eorum ex factis ſcribi dignum, quot ante non attigerim, occurrerit, non prætermitto. De Chriſto autem nihil adiicio. Nam & quæ præcipua de ipſo Euangeliſtæ ſcripſere, iam dixi; & eum talem habere Pontificem, cui aliquis ſucceſſerit, æquum non eſt. Succeſſor illi dari non potuit, qui cum etiamnùm viuat, & iuxta ſacra Prophetarum vaticinia, Sacerdotio in æternũ fungatur, vacuum alteri locum decedendo non reliquit. Vicarios tamen habet. Quippe cũ corporali præſentia vltra terris non adſit; nec eius inuiſibili dumtaxat inſtinctu, Eccleſia viſibilis, qualem hic eſſe neceſſe eſt, bene colligi, regi, & in eodem vbiuis interno ſenſu, & externo cultu perſiſtere poſſit; neceſſe fuit, vt quatenus ſucceſſores habere non poterat, viſibiles Vicarios, per quos id muneris tota in Eccleſia exequeretur, haberet.

*Pontifices Chriſti Vicarij non Succeſſores.*

Primus inter illos Simon fuit, quem Chriſtus de Petra, hoc eſt, de ſuo nomine (*Petra enim erat Chriſtus*) Petrum dixit; vt & illum ſuo modo Eccleſiæ fundamentum eſſe, & lapidem angularem demonſtraret. Nouum itaque in eo nomen, noui eius in Eccleſia gradus omen fuit. Nec viſus à *Petra* Chriſto dictus *Petrus*, niſi vt quæ

*Petrus vnde dictus.*

Chriſto in veritate firmitas, & ſuprema in Eccleſia poteſtas, innata erat, ipſi communicata oſtenderetur. Ne verò dubitare quis poſſet, quin vtraque illa prærogatiua collata Petro eſſet, ſe oraſſe pro illo ne deficeret à fide; eique Regni cœlorum claues tradidiſſe, Chriſtus ipſe commonuit: hoc eſt, ipſum & ſupremum in terris reuelatæ veritatis arbitrum, & internæ innocentiæ iudicem; & diuinæ poteſtatis vicarium conſtituit. Nimirum vt penes ipſum quaſi eſſet dijudicare; & qui verè iam eſſent Eccleſiæ militanti filij; quæ in terris vnica diuinæ veritatis ſchola eſt;& qui triumphantis hæredes futuri ſint, quæ innocentiæ conſummatæ erit vnica patria. *Oratio Chriſti pro eo. Prærogatiua.*

Quia verò eximia illa ſupremæ in Eccleſia dignitatis decora, non Simoni adhuc priuato; ſed Petro, hoc eſt, eidem ſupra Coapoſtolos promoto collata ſunt; non excidere cum ipſo, vt nec ipſa dignitas, quà vna Eccleſiæ vnitos firmitaſque conſiſtit, extincta eſt. Vbi igitur ad 37. poſt Chriſtum annos ſupremus in Eccleſia Hierarcha ſacris præfuit, nimirum quinque in Iudæa, ſeptem Anthiochæ, & 25. à Romana ſede conſtituta, eo quo dictum eſt, exitu, vitam clauſit. *69. 29. Iun.*

Dignitas Pontificia in *Linum*, qui Petri adhuc viuentis, & ad plura, quam vt ſingulis par eſſe poſſet, ſæpe diſtracti, Coadiutor fuerat, tranſmiſſa eſt, & Lino, vndecim poſt annos, Saturnini Conſularis iuſſu, fidei cauſa, cæſo, in *Cletum*, qui alter viuentis adhuc Petri in Pontificalibus *Linus Papa 2. 80. 23. Sept. Cletus Papa 3.*

Coadjutor fuerat, tranſlata. Iſtorum magis nomen, & quem inter Pontifices ordinem tenuerint, nouimus, quàm facta. Hunc tamen primum in literis Apoſtolicis *ſalutem & Apoſtolicam benedictionem* appoſuiſſe; Linum verò, ne qua mulier, niſi velato capite Eccleſiam adiret, vetuiſſe, dicunt. Vbi verò Cletus Eccleſiæ regimen ſupra duodecim annos tenuiſſet; Domitiani iuſſu, martyrio coronatus eſt, ac vacuum Clementi locum reliquit.

93. 26. Ap.

Clem. 1. *Clemens* à B. Petro morti iam proximo ſucceſſor ordinatus, maluit raro moderationis exemplo, & fideli ſub Lino Eius moderatio. Cletoque miniſterio, Eccleſiæ prodeſſe; quàm ei, cum nocumenti futuri periculo, plena poteſtate præeſſe. Verendum enim erat, ne quod à Petro factum erat in teſtimonium virtutis, imitatione præpoſtera, conuerteretur à poſteris in exemplum explendæ cupiditatis. Nec verò minori fructu iam Pontifex Eccleſiam rexit, quàm & per ſcripta dicitur illuſtraſſe. Qui enim eius nomine libri leguntur, E-Scripta. uangelicam pietatem vbiuis ſpirant, & diſciplinæ Chriſtianæ promptuarium verè ſunt. Cum verò poſtea in Cherſona, quò fidei cauſa ablegatus fuerat, ſacro non deeſſet officio; barbaris ad fidem adductis, Martyrium. & Eccleſiis ædificatis; alligata ad collum 102. anchora decimo Pontificatus anno demer-23. Nov. ſus eſt. Ineunte ſecundo à Chriſti ortu ſæculo. Cuius verò corpus demerſione à fidelium ſimul & viſu & cultu ſubductum Impij voluerāt, illud Deus ſtupendo prodigio,

& videndum exhibuit; vt cui per Angelos intra vndas ædiculam marmoream ad tumulum erigi voluerit. Ne verò prodigioſo labente miraculo, ſacrum depoſitum etiam lateret, nouo illud, diúque continuato miraculo manifeſtum Deus fecit. Nam quotannis recurrente ſacræ mortis, an victoriæ die, recedens mare, quantum ab ædicula ad litus porrigebatur ſpatium, quod trium milliarium fuiſſe dicunt; peruium relinquebat. Nec ante ad conſuetum alueum redibant aquæ, quàm qui vndequaque fideles ad pium ſpectaculum & cultum confluere ſoliti erant, in tuto eſſent. *Miraculum.*

## CAPVT XXX.

### *Anacephaleoſis & Epilogus.*

HIc eſt Eccleſiæ per Chriſtum excitatæ primus vigor. Qui, per centum annos, ab ortu Chriſti ad initia Trajani, quaquauerſum, tàm citò vim ſuam protulit, vt fides penè hiſtorias deſtituat. Per quos verò, Deus immortalis! Per viros, ſcilicet, numero paucos, natu ignobiles, viribus humanis deſtitutos, vna demùm ſuâ infirmitate nixos. Adeo potens eſt infirmitas, ad victorias Chriſtianas. Nimirum ſuam ſibi parem Eccleſiam Chriſtus eius conditor, & ſponſus voluit. Vt enim è cœlis delapſus ad homines, infirmitate creſcere viſus eſt, ex pœnis factus impaſſibilis, ex morte immortalis: Sic Eccleſia in terras de cœlis aduena, humilitate creuit, aſſurrexit ex cladibus, funeribus vixit, & Martyriis coronata ex ſuorum effuſo ſanguine in maius robur inualuit.

# FLORI CHRISTIANI LIBER SECVNDVS.

## CAPVT PRIMVM.

## *PROLOGVS.*

HAVD iniuriâ victoriæ nomen naui fuit, quæ fœlici audaciâ, æquoris totius ambitu circumnauigato, tempeſtatū victrix, Hiſpalim, vnde triennio ante ſoluerat, incolumis rediit. At quanto iuſtiùs id elogij ſibi vindicet Eccleſia Chriſtiana, quæ inter perſecutionum procellas orbe luſtrato, non ante vincere deſiit, quàm ipſum totum ſubegit patiendo? Hæc enim ipſi pręſertim pugna, ille triumphus; *pati*: Inde opus eam Dei noſcas, quod inter aduersâ inualuit, & per ipſa. Putas in Nerone & Domitiano exhauſtam, in eam, ſæuitiam? falleris. Abblanditas miſerę feraș illas dixeris; ſi, quæ, à Trajano ad Conſtantinum, ducentos per annos paſſa eſt, expendas. Toto illo tempore (vt, internam Hæreticorum perfidiam pręteream) mera laniena deſæuiit. Nec re-

miſſa ſubinde ferocia eſt, niſi vt ſpecie pacis, maiori periculo, furor mardeſceret. Quippe quos non dabatur opprimere, vt Chriſtianos, vt infanticidæ, inceſti, ſacrilegi, humani generis hoſtes, ſpecie iuris, pœnis addicebantur. Sic non ablata perſecutio, ſed facta crudelior, vt quæ innocentiæ laudem, quæ vita in piis potior, abriperet. Quid verò tot eam machinis, quid tot artibus impugnaſſe Tyrannis profuit, niſi vt firmarent? In eam ſimul non conſpirauere terra & orcus, niſi vt eſſent quos vinceret, de quibus triumpharet.

## CAPVT II.

## *Tertia ſub Traiano & Hadriano perſecutio.*

SPes pacis fideles erexerat, exulibus à Nerua reuocatis, & tranquilla omnia, Trajani perhumana indole pollicente. At breue gaudium longi doloris præſagium fuit. Et de iſto etiam tùm probatum, neminem eſſe, cuius virtutes nullo vitiorum confinio 101.
lædantur. Cuius enim iniquitatis fuit, damnare vt noxios, in quibus nihil vitij compererat, & quos inquiri noluit, voluiſſe puniri? Nempe criminum omnium inſtar erat nomen Chriſtianum. Ob id perſecutio, & toto Imperio carnificina. O quos viros! quæ decora ferox ille turbo corripuit! Cum audis Clementem & Anacletum Romanos Pontifices, Ignatium Antiochiæ, Oneſimum Epheſi, Simonem Hieroſolymæ, Dioniſium Areopagitam Lutetiæ, Creſcentem

*Plin. in panegyr. Tertull. in Appol.*

*Clement. & Anacl. Pontif.*

Viennæ, & alios id nominis Præſules; num intelligis homines, qui nihil habuerunt hominis, niſi quod paſſi ſunt? Quamquam & in hoc fortè humanitatem exceſſerint; Aliquid enim ſupra hominem ſonat, durare in pœnis, ad quarum vel vmbram animus exhorreſcat. Quid verò in ſingulos ferrum diſtrictum dico? legiones abſumpſit. Certè ad decem Chriſtianorum militum millia
Clades Chriſtianorum. crucibus affixa ſunt in Armenia. Nihil tamen inde proiectum, niſi vt fidelium ſoboles, exciſis velut ſtirpibus, vegetior ſuccreſceret, ad ſtuporem perſecutorum. Numero ſanè alacriter ad tribunal, & pœnas accurrentium exterritus Arrius Antoninus, Aſiæ, Proconſul, ô miſeri! inquit, ſi perire eſt animus, ſunt ad manum reſtes, & præcipitia? At, ô impie, perire non cupiunt, qui pereundo ſaluantur. Nec vlli ſalus ſecurior, quàm qui eam prodigit, pro Saluatore.
130. & Ob id, remiſſa nonnihil perſecutio, ſed vt
Euariſtus ſub Hadriano recrudeſceret. Teſtes Eua-
& Alex. riſtus & Alexander Romani Pontifices. Te-
Pontif. ſtes Euſtachius cum tota familia, Fauſtinus & Iouita Brixini fratres; aliique innumeri, qui tantò alacriùs ſubiuere ſupplicia, quantò minus meruerant. Quippe vinci neſcij, mortem, quam vt pœnam intulere carnifices; vt gradum ad coronam acceperunt.

## CAPVT III.

### *Quarta ſub Aurel. & vero perſecutio.*

140. HAdriano mortuo, ſpem quietis Eccleſiæ fecerat Antoninus, edicto cauens ne

cui

cui fraudi eſſet, aut crimini Chriſtiana profeſſio. Tunc tamen Sixtum, Teleſphorum, & Higinum Romanos Pontifices ſub larua iuſtitiæ iniqui Præſides trucidarunt. Id verò vt pax diceretur ſucceſſorum crudelitas fecit. Nam Aurelius & Verus Antonino ſuffecti, per edicta feralia, ita redintegrauere carnificinam; quaſi ea non ceſſaſſet aliquandiu, niſi vt, ſpiritu interea recepto, atrociùs ingraueſceret. Hinc Pius, Anicetus & Soter, Romani Præſules occiſi. In capita nempe ſtringebatur imprimis ferrum, vt corpus reliquum faciliùs corrueret. At Eccleſiam ſupra cælum eſſe, vel inde cæci cognoſcite, quod, tot iam amotis fulcris, immota conſtitit. Exciſis capitibus & ſuccrevere noua, & membra non ſunt viſa langueſcere. Documento eſt, nobilis illa Fœlicitas, quæ ſepties icta & victrix in totidem filiis, octaua demum ad palmam venit. Huic iam præiuerant Praxede, Prudentiana, Priſcilla & aliæ, ne dubitari poſſet de Eccleſiæ robore, quæ de totius Imperij Romani viribus in ſegniori ſexu triumphum egit, Quid Iuſtinus ex nobili Philoſopho illuſtrior multò Chriſtianus? Nùm ſanguinis Apologia fidei probauit innocentiam, cum id per ſcripta apud impios minùs euiciſſet? Denique vt innumeros prætercam; Polycarpi Smirnenſis quæ fuit in agone fortitudo? cum ad Proconſulem, ſi ſaluus eſſe vellet, vt Chriſtum eiuraret, admonentem. *Quî poſſim*, inquit, *cui à ſex & octoginta annis, ſine vlla obſequiis moleſtià, vel pœnitentià ſeruio?* Vox

[Margin notes: 142. 154. 158. *Tres Rom. Pont. occiſi.* 163. *Tres Rom. Pont. occiſi.* 175. *Iuſtinus.* *Polycarp.* *Eius fiducia & martyriū.*]

ſanè digna Præſule, quem ad agonem cœlum palam accenderat, per hanc vocem; *Fortis eſto Polycarpe, & excelſo animo, rem gere.* Ad hanc, vt ad cœleſtis buccinæ ſonum, diceres Gallos ad imitationem piæ fortitudinis animatos, magnâ fiduciâ ſubijſſe prælium, maiori viciſſe. Pro cunctis teſtimonium dicent Vienna & Lugdunum, non ſolum per ſcriptas ad Chriſtianos Aſiaticos epiſtolas, ſed etiam per ſuorum effuſum ſanguinem. Proh quam durabile? Arari tacitis adhuc fluctibus, cum aliorum Lugdunenſium, tum Photini Præſulis pœnas & victorias perſonante. Quippe, ex recepto eorum ſanguine, *Sangona* poſthac audiit. Fuit hæc merces ſeruati bello Marcomannico Aurelij. Cum enim interclusus à Quadis ſiti deficeret, & in momenta perniciem ab hoſte reformidaret, legio Chriſtianorum quæ militabat in caſtris non ſalutem tantùm ei obtinuit, ſed etiam victoriam. Illi enim Deum precati, impetrauere pluuiam, qua Romani reficerentur, & ſimul fulmina, quibus hoſtes perirent. Legio inde meritò *Fulminatrix*, vt quæ hoſtes ſimul & Deos fulminauerit. Poſthæc nonnihil temperatum de ferociâ; ſed ita vt tumultuario paſſim populorum impetu & Præſidum conniuentiâ ac ſæuitiâ, plures inſida pax, quam apertum bellum; in Galliis præſertim abſumpſerit.

*Chriſtianorum Lugdunenſium cædes.*

179.

*Araris Sangina.*

169

*Chriſtiani Auiclium victorem faciunt.*

## CAPVT IV.

### *Secunda in fidem hæreſis à Valentino.*

PErſecutoribus Ethnicis iuncti ſunt aduerſus Eccleſiam Hæretici, vt efficaciùs probaretur inuicta, quam nec hoſtis externus exterruit, nec domeſticus infregit. Iſtorum tùm ſignifer Valentinus fuit: qui ex Platonico Chriſtianus, dum in Eccleſia Chriſtianorum Præſul non fit, ſe facit ipſe Patriarcham Hæreticorum. Nec illum è triuio, vt qui ſibi triginta procudendi Deos, quos Æonas, ſeu ſæcula dixit, poteſtatem ſumpſerit. Mirus figulus! Cui tam facilè fuit Deos nouos effingere ſexu diuerſos, qui impurà inter ſe conſuetudine, alios procrearent. Ex iis ita Saluatorem progenitum delirauit, vt aſſumpta in cælis carne, Virginei vteri non fructum, ſed hoſpitem fecerit. Nec ſanior eius de hominibus opinio. Alios carnales credidit, qui omninò perditi; alios ſpiritales, qualis ipſe, cum ſuis, qui omninò ſalui; alios, ſortis mediæ animales ſeu Pſychicos, qui animâ ſalui, & per ipſam maritandi Angelis; carne verò perditi, & per ipſam Dæmonibus eſſent copulandi. Reſurrectionem credi noluit, vt impoſſibilem. Martyrium pati ſtultum cenſuit, vt ſuperfluum, quaſi ob id vnum Chriſtus occidiſſet, ne nos occideremur. At ô impie! quidni moriatur homo pro Chriſto, pro quò Chriſtus mortuus eſt? Vt in Deo, mori pro

*Occaſio Hæreſeos.*

*145.*

*Hæreſis.*

homine,humanum fuit; ſic in homine,mori pro Deo, diuiniſſimum. Circa mores, pudet quas ſordes inuexerit. Quippe non abſtinendum ab obſcœnis credidit; qui Gnoſticorum infamis commercio, ſe & ſuos putabat ſupra peccandi aleam poſitos, vel ſi gentium feſta colerent, Idolothyta comederent,& ad omnem ſe libidinem proſtituerent. Ea dogmata, ne impia dubitares, ipſe damnauit, qui inuexerat,ſubHygino & ſubſecutis Pontificibus. At qui multos in errorem traxerat,veritati ipſe bonâ fide reddi non meruit. Relapſus igitur, & cùm ab aliis, tùm ab Eleuthero ſine ſpe veniæ proſcriptus,in ſordibus periit, quas amaverat: vt qui viuens

180. *Hæreſiarcha pœna.* Diis cælos impleuerat; non haberet ipſe locum mortuus niſi in inferis. Iniuria veritatis fuerit, eam ab hoſte adeo abſono tueri.

*Impugnatores.* Ne tamen gloriari poſſet impune ſe Eccleſiam laceſſiſſe, eum Iuſtinus, Irenæus, Miltiades, Origenes, & qui omnium inſtar fuit, Tertullianus ſcriptorum malleo obtinuerunt.

## CAP. V.

## *De Valentini gregalibus & Diſcipulis Hæreſiarchis.*

QVis inſana Valentini placita probet, niſi qui duas ſimul Thebas, aut duos Soles videat? Fuere tamen, ô dementiam! qui & inſanierunt vlteriùs, Teſtes Ophitæ,

*Ophitæ.* quibus Euphrate Duce,ita Serpens placuit, vt eius ſub ſpecie, ſapientiam adorauerint, Et hinc ſua Deo placere myſteria credide-

rint; ſi coluber ex antro prodiens oblata lamberet, & ſpiris tortuoſis inuolueret. Ex hoc Dæmoni, cuius ſymbolum Serpens eſt, addictos noſcas. Proceſſerat ad ſummum in iſtis veſania, niſi alii ex eadem ſchola vltra deſipuiſſent. Nam *Caianis* quid abſurdius? Hi vt aliquid ſupra Magiſtrum ſaperent; inſipientiæ ſe manifeſtæ Doctores profeſſi ſunt: dum, mutatâ rerum indole, bono mali, malo boni cognomen induerunt. Neminem ſaluandum putabant, qui eiurato virtutum ſtudio, ad omne ſe turpitudinum genus non projiceret. Non mirum itaque ſi Cain, Core, Sodomitis, & aliis id genus conſecratis in Diuos, ſupra omnes Iudam extulerint. In ſceleratorum Empyreo, ſceleſtiſſimum omnium præſidere oportuit. Nolebant impij ei claudi cælum, qui vendito ad pœnam Chriſto, vt omnibus aperiretur occaſio fuerat. Callidi ſanè illi, qua enim ratione efficaciùs, vitiorum immerſi luto, bonitatis palmam ſibi poterant attribuere? Nec minus vafri *Sethiani*, ex eodem luto egreſſi, qui ne ſectæ nouitas exprobrari ſibi poſſet, eam orbi prope coæuam dixerunt; cum ipſis Chriſtus non alius quam Seth Adami filius fuerit. De Caino verò & Abele; de Angelis pro illis fratribus, tanquam Dij Homerici, pro Troiâ, diſcordibus; de matre Virtute, de diluuio, & aliis quæ ſomniauerint, referre non vacat: quis enim modus, aut quis locus magis ſeriis, ſi omnibus delirantium ineptiis immorer? Errantium numerum auxit Bardeſanes Syrus; qui ex Eccleſiæ per ſcripta vindice, ac fidelium Ma-

*Caiani.*

*Sethiani.*

173.

homine,humanum fuit; ſic in homine,mori pro Deo, diuiniſſimum. Circa mores, pudet quas ſordes inuexerit. Quippe non abſtinendum ab obſcœnis credidit; qui Gnoſticorum infamis commercio, ſe & ſuos putabat ſupra peccandi aleam poſitos, vel ſi gentium feſta colerent, Idolothyta comederent,& ad omnem ſe libidinem proſtituerent. Ea dogmata, ne impia dubitares, ipſe damnauit, qui inuexerat,ſubHygino & ſubſecutis Pontificibus. At qui multos in errorem traxerat,veritati ipſe bonâ fide reddi non meruit. Relapſus igitur, & cùm ab aliis, tùm ab Eleuthero ſine ſpe veniæ proſcriptus,in ſordibus periit, quas amaverat: vt qui viuens
180. *Hæreſiarchæ pœna.* Diis cælos impleuerat; non haberet ipſe locum mortuus niſi in inferis. Iniuria veritatis fuerit, eam ab hoſte adeo abſono tueri.
*Impugnatores.* Ne tamen gloriari poſſet impune ſe Eccleſiam laceſſiſſe, eum Iuſtinus, Irenæus, Miltiades, Origenes, & qui omnium inſtar fuit, Tertullianus ſcriptorum malleo obtinuerunt.

## CAP. V.

### *De Valentini gregalibus & Diſcipulis Hæreſiarchis.*

QVis inſana Valentini placita probet, niſi qui duas ſimul Thebas, aut duos Soles videat? Fuere tamen, ô dementiam! qui & inſanierunt vlteriùs, Teſtes Ophitæ,
*Ophitæ.* quibus Euphrate Duce,ita Serpens placuit, vt eius ſub ſpecie, ſapientiam adorauerint, Et hinc ſua Deo placere myſteria credide-

rint ; ſi coluber ex antro prodiens oblata lamberet, & ſpiris tortuoſis inuolueret. Ex hoc Dæmoni, cuius ſymbolum Serpens eſt, addictos noſcas. Proceſſerat ad ſummum in iſtis veſania, niſi alii ex eadem ſchola vltra deſipuiſſent. Nam *Caianis* quid abſurdius ? *Caiani.* Hi vt aliquid ſupra Magiſtrum ſaperent; inſipientiæ ſe manifeſtæ Doctores profeſſi ſunt : dum, mutatâ rerum indole, bono mali, malo boni cognomen induerunt. Neminem ſaluandum putabant, qui eiurato virtutum ſtudio, ad omne ſe turpitudinum genus non projiceret. Non mirum itaque ſi Cain, Core, Sodomitis, & aliis id genus conſecratis in Diuos, ſupra omnes Iudam extulerint. In ſceleratorum Empyreo, ſceleſtiſſimum omnium præſidere oportuit. Nolebant impij ei claudi cælum, qui vendito ad pœnam Chriſto, vt omnibus aperiretur occaſio fuerat. Callidi ſanè illi, qua enim ratione efficaciùs, vitiorum immerſi luto, bonitatis palmam ſibi poterant attribuere ? Nec minus vafri *Sethiani*, ex eodem luto e- *Sethiani.* greſſi, qui ne ſectæ nouitas exprobrari ſibi poſſet, eam orbi propè coæuam dixerunt ; cum ipſis Chriſtus non alius quam Seth Adami filius fuerit. De Caïno verò & Abele ; de Angelis pro illis fratribus, tanquam Dij Homerici, pro Troiâ, diſcordibus ; de matre Virtute, de diluuio, & aliis quæ ſomniauerint, referre non vacat: quis enim modus, aut quis locus magis ſeriis, ſi omnibus delirantium ineptiis immorer ? Errantium numerum auxit Bardeſanes Syrus ; qui ex Ec- 173. cleſiæ per ſcripta vindice, ac fidelium Ma-

giſtro, Valentini ſe Diſcipulum fecit, & conditorem *Bardeſaniſtarum*. Ei additi ad impiam militiam Ptolomæus, Secundus, Hæracleo & alij, per omnia Patriarchæ ſecuti deliria, niſi quod vocibus nonnihil mutatis, plures agnouerunt Æonas. Quippe iam ex Valentini primordiis noui ſuccreuerant. Solebant & iſti, ſuper inuncta defunctorum cadauera, quorumdam principatuum inuocare nomina, vt eo veluti faſcino, ſupernarum poteſtatum notitiam effugerent, & vim declinarent. Ritum iſtum ſic æmulati ſunt *Aſcodrytæ* & Archontici; vt inſuper Sacramenta reiecerint, quaſi diuinis ſignificandis & efficiendis, corporalia idonea non eſſent. Hi dum abdicatioue bonorum omnium & amore ſolitudinis, Apoſtolorum æmulos ſe iactant, multos ſibi Diſcipulos parant. Nec pauciores Marcus, qui *Marcitas*, ſeu *Marcoſios* condidit. Quippe Magiam hæreſi addens, miraculorum manium fuco illexit, quos abalienaſſet blaſphemiis. His libet addere Tatianum; quem ex Platonico Chriſtianum fecit Iuſtinus Martyr. Hic diu fidei per ſcripta, etiam contra Valentinianos vindex; eam demum, quæ leuitas hominis fuit, deſeruit, quam defenderat; eis adhæſit quos impugnauerat: ac procuſis *Encratitis*, ſeu continentibus ſe tandem Hæreſiarcham fecit. Vt à Magiſtri ſordibus procul abſcederet, temperantiam adeò intemperanter coluit, vt abdicato matrimonio, & vſu carnium damnato; vino etiam in myſteriis, abſtineri voluerit. Inde *Aquarii*, aut *Hydroparaſtatæ*. Ex infami Deorum grege duos

*Bardeſaniſtæ.* *Aſcodrytæ.* *Apoſtolici.* *Marcitæ.* *Tatianus.* *Encratitæ* *Aquarij.*

retinuit; alterum qui legem condiderit, alterum qui Euangelium. Ne ſcilicet geminæ condendæ legis onere vnicus fatiſceret. Diſcipulos habuit, inter alios, Seuerum, qui Seuerianos, Iulium Caſſianum, qui *Docitas*, ſeu opinantes condidit. Ad tantam errorum ſyluam & ludicram errantium colluuiem riderem, ni pietatis eſſet ad blaſphemantes etiam ridiculè, vel ingemiſcere, vel indignari. *Docitæ.*

## CAPVT VI.

## *Tertia in fidem Hæreſis ab Hermogene.*

Hermogenes qui pictor erat, ne picturam amaſſe fruſtra dici poſſet, nouam Eccleſiæ faciem delineauit, aptatâ illi nouæ ſectæ larua. Vt ad Stoïcos ex Chriſtianis defeciſſe ſe proderet; materiam ex ipſis ingenitam, ex quâ Deus cuncta creauerit, in ſuā ſynagogam inuexit. In eam Dæmones refundendos aſſeruit, quaſi timeret ne tandem aliquando exhauriretur. Inde *Materiarij*. Turpitudinum aſſertor audiit; intererat enim coæuos hæreticos non irritare. Ne Dominus ſederet in tenebris, eius corpus in Sole poſuit. Ad Magiſtri deliria addidere Diſcipuli, Seleucus, & Hermias. Nam paradiſum viſibilem; orbem terrarum, infernum; Animas hominum ab Angelis ex igne & ſpiritu factas delirabant. Nec inter Reſurrectionem vltimam, & quotidianam generationem diſcriminis aliquid apponebant. Hos qui tam caduco fulcro aſſurrexe- 170. *Materiarios condidit.*

rant deiicere operoſum non fuit, inter alios Tertulliano.

## CAPVT VII.

## *Quarta in fidem hæreſis à Montano.*

*Tertull. Montaniſta.*

INgens à Montano terror fideles percuſit; maximè cum cogitarent ad ſanctitatis ſpeciem dogmata compoſita; & Tertullianum, ſuum antea decus & vindicem, cum ipſo iunctum. Nihil in verbis præferebant impium; nihil in placitis laxum; nihil in moribus, & vitæ cultu, non rigidum, & planè ſanctum. In tanto apud eos Virginitas pretio erat, vt ſecundas nuptias parùm ab ſcortatione ſeiungerent. Ad Martyrium ita ſuos animabant, vt vix inter fidei transfugam, & perſecutionis profugum diſtinguerent. Ieiunia ſic intemperanter colebant, vt eorum eſurialibus feriis vix annus ſufficeret. Denique, quòd hæreſeos caput erat, Paracletum ſe diuinitùs, ad calamitatum ſolatium, deſtinatum Montanus aſſerebat. Ea ſanè dogmata in ſpeciem pia; & quæ in hoc ſolum peccant, quod in virtute modum non teneant. Adfuerunt etiam auxilio Priſcilla, & Maximilia fœminæ arreptitiæ, quæ præſagitionibus fanaticis haud infra magiſtrum eſſent. Ab Authorum patria, quæ Phrygia fuit, Cataphrygas ſecta audiit. Auxere numerum Encratitæ & Apoſtolici, qui oſtentatitio continentiæ & paupertatis ſtudio, ea ſe ſocietate non indignos præſtiterant. Sic non affectatæ tantum in-

*Hæreſis.*

*Progreſſus*

*κατὰ φρύγας.*

nocentiæ laruâ ſed numero etiam, Eccleſiæ terrori fuerunt. Repreſſos tamen conſtat, cum Claudij Apollinaris Hieropolitani Præſulis, Miltiadis, Apollonij & aliorum ſcriptis; tùm variis Aſiæ, Græciæque Synodis. A nullo tamen grauius inflictum ſectæ vulnus, quam ab Authoribus: eam quaſi præfocauere Montanus & Maximilla, dum ſe laqueo. Conatus quidem aliquandiu poſt hæreſeos collapſæ Reliquias colligere Proclus; ſed ut nouo caſu conciderent. Eas enim diſputatione publica Romæ protriuit Gaius eximiæ doctrinæ & probitatis Theologus; tum Zephirinus Pontifex ſectam, vnà cum aſſertoribus Proclo, Tertulliano & aliis, ſic anathemate contudit, vt nunquam niſi forte alieno ſub nomine, caput attollere auſa ſit.

*Refutati hæretici & damnati.*

215.

## CAP. VIII.

## *Primum in Eccleſia ſchiſma Quartadecimanorum.*

AD ortum Chriſtianæ lucis euaneſcere ſenſim oportuit vmbras Iudaïcas. Nec ſtatim abrumpi potuit, quod pro tempore ſtatutum à Deo, longo ſæculorum decurſu inualuerat. At inde Eccleſiæ diſſidium, dùm quidam Aſiatici, more Iudaïco, Paſcha celebrandum eſſe decima quarta Luna Martij (inde *Quartadecimani*) adeò tenaciter voluerunt, vt ab Eccleſia quaſi diuelli, quam ab illo ritu maluerint. Statutum itaque à Pio Pontifice, vt feſtum illud die Dominica, quæ proxime ſequitur decimam-quartam Martij Lunam, celebraretur. Haud tamen anti-

*Quartadecimani.*

154.

*Pertinaces.*

quata tùm eſt vetus conſuetudo; Multi in Aſia ſibi credidere permiſſum, quod anathemate perculſum non fuerat. Dicas voluiſſe è cœtu fidelium eijci, vt cum fidelibus ſentirent; nec putaſſe in culpa ſe eſſe, quia pœnam non ſenſerant. At nec damnati à Victore Pontifice reſipuere; animos eis faciente Blaſto Romano Preſbytero; quem Eleutherus Papa nuper, ob Valentini contagium, ſacris interdixerat. Perſeuerauerunt in pertinacia, vt Decreto Niceni Concilij rurſum proſcripti, caſu grauiore ruerent. In Anglia tamen ad multa ſæcula hæſere damnati ritus impreſſa veſtigia; ſed quæ fautores inter damnatos non ponerent, vt qui Dominica ſemper die, quamquam à decimà tertià Lunâ numerandà, Paſcha colerent. Inde fortè maior in errore pertinacia; cum Auguſtinus gentis illius Apoſtolus, in reuellendo illo lolio fruſtrà laborauerit, qui tamen Ethnicam impietatem feliciter euulſerat. Adeo faciliùs eſt expertem fidei flectere, quàm Semichriſtianum. In damnato diu ritu durarunt; vt ex ijs ſeu per ſcripta, ſeu per diſputationes publicas expugnatis; Sanctus Athelmus Schireburgenſis Epiſcopus, Addamnanus & Ceolfridus Abbates, S. Ecbertus Hibernenſis Preſbyter, Monachi demùm Hienſes illuſtrius inclareſcerent.

*Damnati* 198

325

*In Anglia perſtant.*

604.

## CAPVT IX.

### *Pontifices ſecundi ſæculi.*

ANacletum aliqui poſt Ireneum & Euſebium, nominis forte ſimilitudine deluſi, cum Cleto miſcent, & ex duobus vnum faciunt, Clementi Euariſtum ſufficientes. At ego Hieronymum, Optatum, Auguſtinum, Epiphanium, atque adeo conſenſum Eccleſiæ ſecutus, eum à Cleto diſtinguo, Clementique ſufficio. Athenienſis ortu fuit. Vt ſe dignum Petri ſucceſſorem oſtenderet, in eius memoriam trophæum erexit; quod ſtupendo prodigio vim perſecutionum euaderet. Statuit præterea ne Epiſcopi ante munus obirent, quam à tribus Epiſcopis conſecrati eſſent; ne clerici priuatim ordinarentur; neue oblongiori vel capillitio, vel barba vterentur; & vt qui ſacrificio intererant, etiam Laici, quótidianâ ſacræ Euchariſtiæ perceptione reficerentur. Inchoato decimo ſacri regiminis anno, ſub Traiano Martyrij palmam adeptus, ac ex vi nominis ſurſum in ſortem ſanctorum vocatus eſt.

*Anaclet. V. Papa 104. 3. Apr.* — *Eius decreta.* — *Martyrium 12. 13. Iul.*

*Euariſtus* Anacleto ſuffectus conſtituit, vt fideles jam valde multiplicati, ſecundum varias vrbis regiones, in varias diſtribuerentur quaſi Parochias, certorumque Preſbyterorum curæ committerentur. Sanxit etiam vt Epiſcopo Concionanti ſeptem Diaconi aſſiſterent, vel ad dignitatis cultum, vel ad Doctrinæ teſtimonium. Vetuiſſe quoque dicitur ne in loco, qui ſpeciali ritu

*Euariſt. VI. P. 112. 27. Iul.* — *Parochiarum conſtitutio.* — *Decreta.*

conſecratus non eſſet, ſacrificium offerretur. Fuſo demum ſub Hadriano ſanguine, nono Pontificatus anno, Sacrificium ipſe Deo factus eſt.

*Martyrium 121. 26. Octob.*

Euariſtum ſecutus *Alexander*, multis quæ ante ſolo vſu ſervabantur in Eccleſia, per decreta robur addidit. Qualia ſunt, quæ de aquæ benedictæ etiam priuatis in domibus vſu; de miſcendo nonnihil aquæ in vino pro ſacrificio; de Azimi ad altare oblatione, de Sacerdotali nuptiarum benedictione, conſtituiſſe dicitur. Decimo tandem Pontificatus anno, ſub Hadriano cæ'us ſucceſſorem habuit *Sixtum*, ad annos circiter decem. Hic ne vaſa ſacra Laïci tangerent; vt ex ſolo lino Corporale ad vſum Euchariſtiæ conſecrandæ fieret; ne vocati Romam Præſules, ſine receptis à Pontifice commendatitijs ad plebem ſuam redirent, edixit. Sub Antonino demum cæſus deceſſorum coronam meruit, qui dignitatem impleuerat.

*Alexand. VII. Pap. 121. 13. Nouemb.*

*Aquæ benedictæ vſus.*

*Martyrium 132. 3. Mai.*

*Sixtus VIII. P. 1,2. 29. Mai.*

*Decreta.*

*Telesphorus* poſt Sixtum Eccleſiæ gubernaculo præfectus edixit, vt in die Chriſto naſcenti ſacra à ſingulis Sacerdotibus ter Miſſa, primaque ad mediam noctem diceretur; vt ſub initium Miſſæ hymnus Angelicus, ſeu *Gloria in excelſis* caneretur, & vt quadrageſimale jejunium, ex vſu jam receptum ſeruaretur. Sub Antonino demum pio Martyrij donatus palmà, cum duodecimum gubernationis annum nondum impleſſet.

*Martyrium 142. 6. April.*

*Theleſph. IX. P. 142. 8. April.*

*Decreta.*

Eum *Hyginus* poſt quadriennium, ſub eodem Imperatore ſecutus eſt in exitu, cui in dignitate ſucceſſerat. Hunc dicunt or-

*Martyrium 154. 5. Ian.*

*Hygin. X. P. 154. 12. Ian.*

dinem Hierarchicum inter Eccleſiæ mini- *Ordo*
ſtros, jam inde ab Apoſtolorum tempore in *Hierarchicus* 158
Eccleſia receptum, decreto firmaſſe.

Hyginum *Pius* excepit ſupra nouem an- *Pius XI.*
nos. Hunc dicunt vetuiſſe ne Paſcha, more 158.
Iudaico, luna decima quarta celebraretur,
& ne prædia diuinis vſibus attributa huma-
nis inſeruirent. Conſtituit etiam vt qui ex *Eius decreta*,
Iudæorum ſeu Cerinthi, & aliorum, qui
Iudaicos ritus Chriſtianis miſcebant, hæreſi
reſipiſcerent, rurſum baptizarentur, vt quos
in baptiſmi formâ ab Eccleſia diſſentire noſ-
ſet. Cum alioqui certum ſit baptiſmum ab
hæreticis cum vera forma collatum, ite- 167. 11.
randum non eſſe. De *Aniceto*, qui poſt *Iul.* *Anicetus*
Pium in albo Pontificum Romanorum lo- *XII.* 167.
cum habet, ex communi omnium judicio, 25. *Iun.*
licet Optatus Milevitanus & Auguſtinus
ante Pium ipſum referant; nihil refertur,
niſi quod vetuit ne Clericus comam nutri-
ret; ſub eodem Marco Aurel. Imp. octauo
poſt Pium anno nondum completo cæſus,
pro Chriſto, regnare in terris deſijt, vt in 175. 17. *Apr.*
cœlis inciperet.

Poſt hæc ad ſacras infulas ordine promoti 175. 4.
*Soter*, *Eleutherus* & *Victor*, Eccleſiam ad *Mai.*
initium vſque ſequentis ſæculi ſanctiſſimè *Soter XIII*
rexerunt. Soter quidem ad quadriennium,
intra quod ne Diaconiſſæ ſacram pallam at-
tingerent, aut incenſum adolerent edixit.
Hunc ex deceſſorum Pontificum more, li-
berali munificentià fidelibus vbiuis tyran-
norum crudeli rapacitate ſpoliatis ſubue-
niſſe, ex Dionyſij Corinthij teſtimonio Eu- 177. 22. *Apr.* *l.* 4.
ſebius memorat, *c.* 23.

*Eleuth.* *Eleutherus* verò Eccleſiæ gubernio vltra
*XIV.* 179. quindecim annos adminiſtrato, fideique in-
3. *Mai.* terea luce in Britanniam diffusâ, & à cali-
174. 25. ginoſis Montani & gregalium ſuperſtitioni-
*Mai. Vi-* bus vindicatâ, locum *Victori* fecit. Hic in
*ctor XV.* Theodotum & Montanum exoticæ doctri-
194. 30. næ reos anathema dixit, & controuerſia de
*Mai.* Paſchatis celebratione in Synodo, cui ſuo
*Quarta-* nomine Theophilum Cæſareenſem præeſſe
*decima-* voluit. accurate diſcuſſa, cum nec propterea
*nos, ex-* Quartadecimani reſipiſcerent, eos à ſua
*commu-* communione excluſos dixit, fruſtra ipſum
*nicat.* ſeueritatis nimiæ, tum alijs præſulibus,
tum Irenæo Lugdunenſi arguentibus. Vnde-
cimo demùm Pontificatus anno, per duos
circiter menſes inchoato, Seueri Imperato-
20. 28. ris juſſu peremptus eſt.
*Iul.*

## CAPVT X.

## *Quinta ſub Seuero in Chriſtianos perſecutio.*

INterpoſitis aliquot induciarum annis ſub Commodo, & alijs poſt Aurelium: ab eo rursùm perſecutio recruduit, à quo extingui potiùs oportuerat. Cujus enim ingratitudinis fuit; Seuerum Imperatorem morti Chriſtianos addicere, qui vitam Proculi

*Occaſio.* Chriſtiani precibus debebat? Id verò quam leui cauſa? quaſi (vt iam rancidas calumnias prætercam) reiecta ab vno milite Chriſtiano, in Donatiuo, corona, omnes in culpam & pœnam trahere debuerit. Quamquam repudiata corona illa laurea &

fragili, gradus multis fuit ad immortalem. Cepit autem à capite furor; vt quam nomine Victor Pontifex præferebat, re victoriam impleret. Inde progreſſus in membra, Africam præſertim & Gallias exhauſit. In ea Philippum Ægypti expræfectum; Leonidam patrem Origenis; Perpetuam, Felicitatem, & vtriuſque ſexus innumeros afflixit. In Gallijs verò Irenæus Lugdunenſis Epiſcopus fidei præſidio caput impendit, quam ſcriptis ante defenderat. Ei dati ad pœnam, comites Andeolus Polycarpi Diſcipulus, & vniuerſi fermè tractus illius Chriſtiani, vt illis præiret ad coronam, quos fidei præceptis imbutos ad agonem incenderat. Carnificinam quam nec Tertullianus ſcriptis ad Romanos proceres, & ad Scapulam Africæ Proconſulem Apologijs; nec politiſſimo eiuſdem argumenti dialogo Minutius Felix, lenierant, Tyranni mors tandem abrupit. Chriſtianis tunc demùm viuere licuit; quando qui eos morti addixerat, in viuis eſſe deſiit.

*Victor Pontif.* 205

*Irenæus.* 205.

201.

*Apologia pro Chriſtianis.*

213.

## CAPVT XI.

### *Noua Iudæorum clades ſub Traiano, Hadriano, Seuero, & aliis.*

EX quo gens Hebræa, ſpreto ſimul & damnato Chriſto, Moſis vmbras ante lucem Euangelicam habuit; nullum non pertulit calamitatum genus, vt nullum non pateretur malum, quæ bonorum fontem abiecerat. Ex deſperatione miſeris creuit audacia; & rebellandi conſilium inceſſit.

Qua verò id rabie ſub Trajano? Teſtantur
116. quadringenta quinquaginta Romanorum
millia, ad vnam Cyrenem & Cyprum cæſa.
*Iudæorum furor.* Exſaturaſſet belluarum ferociam laniena
tam atrox, hominum non potuit. Si tamen
homines Iudæi, cum ſæuiunt in Romanos &
Chriſtianos. Nam cum vltra mortem non
pateat ferarum immanitas; id minùs eſt pro
Iudæis. In ipſa cadauera bacchantur, &
carnes in eſcam, pelles in veſtes, inteſtina
in Zonas mutant. At rabidi qui feras ege-
rant ſæuiendo; agunt & patiendo, dùm Prin-
cipis irati iuſſu Oriente toto immaniter
trucidantur. Rebellauere tamen iterum ſub
*Clades.* Hadriano; Nempe vt Ducibus Ruſo Iudeæ
130. Præſide, Iulio Seuero è Britannia ad hoc
euocato, & alijs, nouis obruti cladibus, & in
alienas traducti ſedes, ab vrbis olim ſanctæ,
(quam reſtauratam de ſuo nomine Æliam
Imperator dixit) vel ſolo conſpectu prohi-
berentur. Cauebatur nimirum ſuperſtitioſo-
rum conſcientiæ. Quo enim animo vrbis
*Hieruſalem Ælia dicta.* aſpectum ferrent, quam porcus ad portam
expreſſus, prophanam fecerat? Perueniſſe
ad ſummum viſa poſtea calamitas; cúm tot
135. ingruentibus dolendi cauſis, dolere annuo
ritu Ciuitatis caſum, niſi emptâ à militibus
copiâ, non potuerint. Sed iuit vltra non diu
poſt, cum inquietos iterum ſic tributis ex-
hauſit Peſcennius Niger, quem poſt Ælij
Pertinacis necem, exercitus, cui præerat in
Oriente Imperatorem dixerat; vt ipſum
195. etiam aërem cenſere, in mentem illi vene-
*Noua clades.* rit. Quid quod Seuerus ita turbulentos op-
200. preſſit, vt triumphum inde non recuſauerit?

Mirùm

Mirùm ſuperfuiſſe qui ſe Iudæos dicere auſi fuerint. Fuere tamen, qui repetendi patriam ſub Præfecto, facta ipſis ab Alexandro Imperatore copia, reſtauratum etiam iri ſuam rempublicam crediderunt: Adeò nec in vltimis ſpem miſeri ponunt. 224.

## CAPVT XII.

### *Sexta ſub Maximino perſecutio.*

POſt Seuerum viſa deſinere perſecutio, 224. præſertim ſub Alexandro, qui ex matris *Imp. in* Mammeæ, quæ Origenis cura ſuperſtitio- *Chr.ſtia-* nem exuerat, indole, à Chriſtianis adeò non *nos fa-* abhorruit, vt imaginem Chriſti in ſuo pri- *uit.* uatim larario adorauerit. Eius in honorem iam molitus animo Baſilicam, Conſtantini gloriam præreptum ibat; ſi viros humanis legibus minus addictos, vel magis diuinis, à conſiliis habuiſſet. At Vlpianus, Paulus & alij dum nimiùm humana curant, diuina perdunt. Calliſtum enim & Vrbanum Ro- 226. manos Præſules morte afficiunt, a quibus 232. proſerpens in membra iniquitas, Cæciliam, 233. Valerianum & Tiburtium fratres, & plures *Chriſtiani* alios abſumpſit. Id tamen perſecutio non *calumnijs* audiit, quia Chriſtiano in ſpeciem illæſo *oppreſsi.* nomine, affiicta perſonis vitia ſunt, quæ vindicarentur. At Chriſtianitatem ipſam horribili fremitu Maximinus impetiit. Imbre ſanguineo grauida tum procella minitabatur naufragium, ni fracta nondum in totum nube anno poſt, ſuo Maximinus innataſſet. 237. Amiſimus tunc Pontianum & Anterum Ro- 238. manos Præſules. Inde in Orientem præſer-

tim ſe furor explicuit, vt annum circiter graſſatus cum Authore deſineret. Ægrè tamen hanc procellam perſecutionem dixerim; cùm pacem aliquando magis turbidam paſſi fuerimus. Verùm ſiue quia meruit Tyranni prona ad ſanguinem indoles: ſiue quia ita viſum antiquis, perſecutio dicatur.

## CAP. XIII.

### *Septima ſub Decio perſecutio.*

DEciana perſecutio, vt omnium quæ fideles ante turbauerant duratione breuiſſima fuit, vix enim annum exceſſit; ſic immanitate truculentiſſima; vt quæ in Præſides etiam, qui mollius ſæuiebant, ſæuierit. Hinc toto imperio Chriſtiani multiplici pœnarum genere contrucidati. Alios infodi viuos iuſſit, vt de ſeptem dormientibus ſanior hiſtoria narrat. Alijs placuere ſyluæ ad latebras, vt de Paulo Anachoreta conſtat, qui humanitatem expertus eſt in feris, quam nec in affinibus inuenerat. Alios flammis abſumptos non refero. Noti enim iam ante, ſub nomine *Sarmentitii*, & *Semaſsii* Chriſtiani, quod ad ſtipitem dimidij aſſis reuincti, Sarmentorum accenſorum ambitu ſæpiùs deflagraſſent. Quid referam alios obiectos leonibus? id enim adeò conſuetum, vt in prouerbium ceſſerit, Chriſtianus *ad leonem*. At quàm nouum ſpectaculum! Vir reuinctis à tergo manibus, melle perunctus, æſtuante vehementiùs ſole, Muſcis obiectus: vt qui ferrum, flammas & fe-

*253. Septem dormientes. Paulus Anachoreta.*

*Tertul. in Apol.*

*Hieronj. in vita Pauli.*

ras vicerat, Muſcarum aculeis conficeretur, & per ſuauitatis eximiæ ſuccum, acerbiſſimæ morti ſuccumberet. Quam inauditum! Adoleſcentem detracta veſte, ad mollem culcitram, vinculis ſericeis ſuauiter alligatum, blandis illecebroſæ attrectationibus adeò non ceſſiſſe; vt eius in os præciſam morſu linguam expuerit; & inaudito continentiæ miraculo, hoſtiles blanditias amouerit, quas nec fugâ vitare poterat, nec manu repellere. Iſta qui nouerit, non ambiget Philippos Aug. tanquàm ſæuitiæ remoras, & Chriſtianitatis vindices à ſolio & vita deiectos. Nec dubitabit, quin Romanus Clerus cæſo Fabiano Pontifice perculſus adeo fuerit; vt vix ſpiritu, poſt Decij mortem, recepto, ad ſufficiendum Fabiano Cornelium coire potuerit. Non mirùm itaque ſi Carthagine Cyprianus, Alexandriæ Dionyſius, Neocæſareæ Thaumaturgus, & alij alibi perilluſtres Epiſcopi, tyrannidem fugâ vitauerint; vt Parthorum in morem vincerent fugiendo, & in ſe Religionem ipſam crudelitati ſubducerent; quam detumeſcẽte procella, eſſent illæſam reducturi. Felix Origenes ſi arte ſimili dedecus non ſatis firmiter, vt volunt, confeſſæ fidei, præuertiſſet. Iuiſſet vltra furor, ni Tyranni ſitim, quam cruentum pelagus non ſedauerat, Vorago in Mœſia, vbi victus à Gotthis demerſus eſt, extinxiſſet.

*Fortitudinis & continentiæ prodigium.*

*Decij mors.*

## CAPVT XIV.

### *Secundum in Eccleſia ſchiſma Nouatianorum & Lapſorum.*

VNius anni perſecutio, multorum ſæculorum ſchiſma peperit, vt non tantum in hoc eſſet noxia, quod à membris fidelium membra diſtraxit, à corporibus animos, ſed magis quod fideles inter ſe commiſit. Multi enim ad truculentum Decij turbinem pauidi, vel palam idolis detulere cul-
253. *Lapſi.* tum; vnde *Thurificati* & *Idololatræ*: vel priuatim impetratis pecunia libellis, quibus ſibi cautum eſſet in poſterum ab inquiſitione & cultu vetito, vnde *Libellatici*. Sic innocentiam quam fugâ ſaltem ſeruare licitum erat, pretio comparabant, & ſubducto à pœnis corpore, acrioribus ſtimulis obijciebant animos, & *pœnam pœnâ mutabant*. Hinc tranquillitate Eccleſiæ reddita enixi ſunt anxiè lapſi, vt in gratiam reciperentur. At non momento expiatur facinus, quod momento committitur. Nec reis profuit, vt pœnitentiæ moras præuerterent; Martyrum qui adhuc erant in vinculis, patrocinium per commendatitios ad Præſules libellos. Obſti-
*Cyprianus & Clerus Rom. contra lapſos.* tit enim acriter Cyprianus, approbauitque zelum Clerus Romanus, qui Sede vacante regebat Eccleſiam; ne prorſus à pœnitentia reos abſolueret, innocentium indulgentia, aut peccandi fieret illecebra facilitas indulgendi. Inde obmurmurare Lucianus *Confeſ-*
*Feliciſſimi audacia.* *ſor* (qui pœnam carceris pro fide tulerat,) in S. Præſulem mouere turbas; & ad *Feli-*

*ciſsimi* Preſbyteri facinus viam ſternere. Iſtius quæ fuit ſtoliditas; cùm qui à ſui ſe Præſulis ſenſu non diuellerent, è fidelium cœtu diuulſos pronunciauerit Epiſcopum: nempe ſe credidit non bonus Preſbyter, quia per ambitionem eſſe voluerat; excluſo Cypriano. Reiecit in temerarium iam non caſſum anathema Cyprianus, vt pœnam ex vero ferret, quam in vmbra inflixerat. Nec dum tamen finis diſſidio, quod & ipſam Romanam Eccleſiam inuaſit. *Nouatus* enim fautor *Feliciſsimi*, Romam profectus *Nouatianum*, ob repulſam dignitatis Pontificiæ, ad noua paratum, vt ſe contra *Cornelium* profiteretur Pontificem impulit. Sic ad ſuæ patriæ genium; Eccleſiæ, omnium primus, gemino attributo capite, in Europa monſtrum finxit, Africanus homo. Ea in ſede ſublimis Nouatianus, tantum breui profecit; vt ſupra & contra Magiſtri doctrinam, vno die ſapuerit. Nam qui nulli ante Lapſo negatam veniam volebat, nunc nulli, nec poſt conſuetam exomologeſim indultam. Inde illibatæ innocentiæ nouis fœtibus & patronis nouum nomen, & nouæ in vſu veſtes. Veſtibus enim vſi candidis ſe *Catharos* ſeu *mundos* nominarunt, quaſi ipſorum ad partes tranſgreſſus innocentiæ candor, cæteros omnes in ſordibus reliquiſſet. Sic excluſis aliis, ſibi tantum viam ad cælum apertam eſſe aſſerebant; cùm ſe ſolos extra vitium noui Phariſæi ponerent. Quam feſtiuè Conſtantinus in Niceno Concilio hominum impudentiam irriſit, cum ad Aceſium Nouatianum Præſulem. *Scalas*, inquit, *admoue*, &

*Nouatus* *Nouatianus.* 254. *Nouatiani.*

*ſolus in cælum aſcende*! At Eccleſia ex diſcrimine glorioſiùs effulſit. Nam cum Schiſmaticorum alij nullum reijci lapſum, alij nullum recipi volunt, medium ipſa tenens, ſic
255. *Damnati* admittendos ad veniam lapſos variis in Synodis Prouincialibus, & in Oecumenica Nicena ſanxit; vt tamen ratio pœnitentiæ haberetur. Et iure ſtatuit ne illi, quamuis poſt diuturnam pœnitentiam recepti in gratiā, dignitatibus Eccleſiæ redderentur, quibus ſe indignos turpi defectione præſtiterant. Plurimi tamen in pertinacia durauerunt, vt iterum perirent, & à Conſtantino & Theodoſio cohibiti, vndique demùm à Præſulibus pellerentur. Eos certè Chryſoſtomus repreſſit in Aſia. Eos nouo ſchiſmate inter ſe diſſidentes, Authore *Sabatio*, (inde *Sabatiani*)
*Vndique pulſi.* Innocentius Pontifex Roma expulit; vt Cyrillus Alexandria; Theodoſius demùm Iunior, Aui cognominis zelum æmulatus, toto Imperio; vt ijs nec locus in terris eſſet, qui
413. alios è cælis excluſerant. Pietatem Principis miraculo Deus ratam habuit. Cum enim deportarentur in Inſulas, eorum plurimos mare hauſit, ſaluis qui ſimul nauigabant Catholicis.

## CAP. XV.

### *Tertium in Eccleſia ſchiſma Rebaptizantium.*

Tertium ſchiſma peperit vitium virtutis ſpecie adumbratum. Dum enim Agrippinus Carthaginenſis Epiſcopus vehementiùs æquo auerſatur Hæreticos; eorum

etiam baptiſma improbat, & iterandum in Eccleſia ſanxit in Synodo. Sic dum & veritatem in mendacibus damnat, hæreſim ipſe condit. Adeò & in bonis excedere, bonum non eſt. Hinc inter fideles flamma diſſidij, quam Tertullianus, in ſeueriora ſemper pronior, velut oleo ſuperfuſo aluit. Additum & malo robur, ex Cataphrygum & Nouatianorum in ſuo ſenſu præfidentia; multis ceterà piis eorum baptiſma reſcindentibus; cum & ipſi Catholicum reſpuerent. At non bene malum corrigitur imitando. Quam vellem in hunc ſcopulum non impegiſſent Eccleſiæ decora, Cyprianus Carthaginis, Dionyſius Alexandriæ, Firmilianus Cæſareæ Capadociæ & alij Præſules. Mirum enim quantum inde virium peſti acceſſerit; faciliùs quippe animos ſubit cum magnis ſe Authoribus tuetur. Iſti autem adeo vehementi in Transfugas zelo abrepti ſunt, ut nec Stephano ſupremo Eccleſiæ Hierarchæ pepercerint, quod eos commoneret, ne hoſtium errori ex ſuo remedium quærerent. Sciebat enim prudentiſſimus Pontif. & in peſſimis ineſſe quos iniuria culpes; vt in piiſſimis etiam aliquando næui ſunt, quos ut excuſes, approbare tamen non auſis. Ideo Iconienſi damnata Synodo, quæ Anabaptiſmum ſanxerat: *Nihil innouandum in Eccleſia, & quod eſſet traditum ſeruandum edixit, ad normam Apoſtolicam.* Haud ſegnius obnixus Cyprianus, tribus in Synodis Carthagine, in damnato dogmate perſeuerandum cenſuit. Magnus ex eo tremor Eccleſiæ, cum aduerſariorum ſigniferum patere-

217 *Progreſſus à Cypriano.*

*Stephanus Pont. reſiſtit.*

258

tur, quem ante ſæpè fidei vindicem probauerat. Sed quæ cauſa metum fecerat, diſcuſſit. Nam quia vehementiori tantùm in errorem odio peccauerat, faciliùs culpam agnouiſſe crediderim, & ad Eccleſiæ ſenſum ſocios adduxiſſe: Maximè quia in ipſo contentionum æſtu, ſartam tectam velle ſe pacem cum fidelibus contra ſentientibus, præ ſe ſemper tulerat. Quæ ſanè non vltima laus eſt, cùm tanti ſit charitate jungi cum quibus ſententia & verbis pugnas.

## CAP. XVI.

### *Octaua ſub Valeriano perſecutio.*

VT poſt ventum non ſtatim in mari quies, & procellę quædam imago,
255 etiam in tranquillo fremit; ſic quæ in Decij
257 morte perſecutio deſierat, nonnihil ſæuitiæ
259 ſub Gallo, Voluſiano, & Hoſtiliano retinuit: Cornelio intereà & Lucio Romanis Pręſulibus ad mortem abreptis. At quantum ſub Valeriano recruduit! Initium lanienæ dedere Stephanus & Sixtus Romani Præſules. Inde per vrbem & latè per Prouincias bacchata ſæuitia, ſumma paſſim Eccleſiarum capita decuſſit: ſed ſic vt attolleret, deprimendo. Quæ fuerit in Cypriano animi ſublimitas intelligite. Is in præmium illatæ mortis, aureos quos reliquos habuit, carnifici dedit. Idne eſt mortem pati: an
261 câlcare? Quanta vis exempli in Præſule? Nobili mentis impauidæ facto ſic exarſere fideles, vt qui fortè hortationibus eius non incaluerant; hilari fremitu cum ſuo Antiſtite

*Furor perſecutionis.*

*Cypriani morientis magnanimitas.*

ſtite

ſtite mori expeterent! Sed parcebatur multitudini, ne Imperium videretur deficere, ſi Chriſtiani deficerent, qui jam agros, pagos, vrbes implebant. Id tamen decoris tercenti ſimul obtinuerunt. Nam diuino inſtigante ſpiritu in fornacem calcariam ſemet precipitantes, maluerunt ipſi adoleri Deo, quam thus adolere Ioui. Ex mixtis corũ cum calce reliquiis, *Maſſa Cand.da* dicti ſunt. Quid de Laurentio dicã; qui ferarum ſimul & ferri victor, igne demùm lento Martyrium abſoluit, quod melior flamma inardeſcens pridem inchoauerat? Qui tam atrociter per procuratores in Occidente ſæuiit, quantam lanienam ipſum per ſe in Oriente feciſſe oportuit? Cæterum vt ediſceret, quo demùm exitu impugnentur Christiani, à 260
Perſis victus, captuſque, pro ſuppedaneo equum inſcendenti Sapori Regi diu habitus eſt. Nempe ſic calcari oportuit, qui ſanguinem Innocentium tam iniquè non ſemel calcauerat.

## CAP. XVI.

### *Quinta in fidem Hæreſis Patri-Paſſianorum.*

VAleriani captiuitas Chriſtianæ libertatis auſpicium fuit. Eius pœna Gallienus filius commonitus, ab Innocentibus pœnas inhibuit. At non propterea hoſtis defuit, ne virtus quæ aduerſis creuerat, proſperitate langueſceret. Fuit is tùm Sabellius; *Sabellius.*
qui dum ſupra Noetum Magiſtrum ſuum effertur, dogmatis author haberi meruit,

cuius non fuit niſi propagator; cum illud Praxeæ Tertullianus tribuat, & Theodoretus Epigonio. Cæterum vt Patrem paſſum aſſereret (inde *Patripaſſiani*) Trinitatem à diuinis abſtulit; & perſonas nomine tenus & officio diſtinxit. Hæreſim antequam adoleſceret, repreſſere ſtrenuè Dionyſius Alexandrinus, Gregorius Thaumaturgus, Dionyſius Romanus, & alij; ſic tamen vt ſubinde repullulauerit. At non alio demùm euentu, niſi vt nouo caſu concideret, in Alexandrina Synodo ab Oſio Cordubenſi, Syluestri Pontificis nomine, penitus contuſa.

*Hæreſis. Impugnatores.*

## CAP. XVII.

### *Sexta in fidem Hæreſis Paulinianiſtarum.*

265 PAulus Samoſati Præſul, Sabellium quaſi fluctus fluctum excipiens, dum Eccleſiam tentat immergere, ad eius petram alliſus eſt. Hic ne vnâ ſolùm ex parte ictus intenderet; ita tres Perſonas negauit in Deo, vt duas Chriſto affinxerit. Et Sabellium ita expreſſit; vt dignum ſe præſtiterit, quem in Dei Incarnati doctrinâ, Photinus & Neſtorius exprimerent. Quamquam & in quo præiuiſſe alijs viſus eſt, habuit ipſe quibus inſiſteret, Cerinthum, Artemonem, duos

*Hæreſis.*

266 Theodotios, illum Coriarium, hunc Trapeſitam. Errores agnouit impius in Antiochena Synodo, non tam vt ſibi ignoſceretur, quàm vt eos ſecurius, ſub ouina pelle diſpergeret. Parcitum ei tamen eſt, ac dignitas

*Damnata.*

ſeruata. Fortè ne vnius Præſulis pœnitentiam mentientis ab unâ Eccleſiâ deiectio Zenobiam eius diſcipulam, cuius tum ſponſus Odenatus omnia in Oriente poterat, in omnes Orientis Eccleſias commoueret. Damnatus tamen poſteà tum in alterâ Antiochenâ Synodo; tum Romę à Dionyſio Papa, pœnam demùm ex vero ſubiit, qui ex vero non pœnituerat. At cũ ab Epiſcopio diſcedere, vt Præſules ſtatuerant, detrectaret; à ſacro Epiſcoporum iudicio, ad prophanum Imperatoris prouocare auſus eſt. Sed ab eo Romano Pontif. parere iuſſus, pœnam diſtulit, non euaſit. Et ab eo quoque proſcriptus illuſtre veritati Chriſtianæ trophæum poſuit; vt quæ & eum vindicem habuerit, qui Ethnicis paſcebatur mendacijs. *Hæreſiarcha prouocat.*

CAPVT XVIII.

## *Nona ſub Claudio & Aureliano perſecutio.*

AEſtus erat Ethnicorum in Chriſtianos furor; verum magno licet fremitu aliquandiu graſſatus, nonnullas tamen quietis vices dabat; vt alterno mox recurſu vehementiùs exundaret. At eadem ſemper firmitas Chriſtianis. Obruendis inermibus & indefenſis, agnouerè ſe ſemper impares impij, qui irruentes vndequaque barbaros contuderant. Claudius feralibus edictis in fideles renouatis, multos Romæ necari iuſſit; ſed interceptus à morte in ipſo laniena ferociendis exordio, ſæuire potiùs voluiſſe di- 269

cendus eſt, quàm ſæuiiſſe. Aurelianus inhumanior, qui quorum fuerat aduerſus Samoſatenum vindex, eorumdem carnifex factus eſt. Et inter ſcribendum edictum impium ſolutis ſubitò digitorum commiſſuris, vim Dei vltricem ſenſit, non tamen abſti-
273 nuit; vt non minùs Dei ſe hoſtem proderet, quam Chriſtianorum. Peruagatus ille turbo Prouincias; Romæ cùm alios, tùm Felicem Papam oppreſſit; nec alius ſæuiendi finis fuit, quàm interitus ſæuientis; qui à ſuis
275 ad Byzantium occiſus eſt. Lanienam inſtauratum ibat Numerianus, cæſo iam inter alios non paucos, Eutychiano Pontifice, niſi cæſus ipſe ab Apro ſocero, æquiori iure, ad aras crudelitatis concidiſſet.
283
284

## CAPVT XX.

### *Septima in fidem Hæreſis Manichæorum.*

NEc intereà pax Eccleſiæ fuit ab Hæreticis, vt ſimul ſe & crudelitatis victricem proderet, & falſitatis. Curbicus enim qui poſteà Manes, *Scythiano*, vt dicunt, & *Terebintho* ducibus, ita ſe in Perſi-
*Origo.* de fidei hoſtem prodidit, vt rationi quoque bellum indixerit. Nouum vt daret Euangelium, ſacris abiectis Biblijs, mera deliria inuexit. De rerum principijs cum Marcione ſenſit. Liberos negauit homines: eoſque biformes fecit, attributa ſingulis duplici anima, vt alteram *bono*, alteram *malo prin-*

*cipio* addiceret. Eos carne, ouis, & lacticinijs veſci noluit; quod ea *mali principij* opus crederet. Carnem verám à Chriſto abſtulit, vt imaginariam ſufficeret, ac ſimul eum verum hominem, veréque paſſum & ſuſcitatum negaret. Carnem ſic horruit vt ei, in contumeliam, nihil ſpurci negandum aſſereret. Magiſtratuum authoritatem tyrannicam dixit, ne iuſtè dici poſſet ab eis repreſſus. Omnia bella impia cenſuit; qui inferos armauit in cœlum. Chriſtum in Sole poſuit, ne lateret; Patrem in lumine arcanō, ne pateret; Spiritum ſanctum in aëre, vt latiùs ſe diffunderet; Sapientiam in lunâ, vt lunaticæ ſapientiæ ſe conſcium & aſſertorem innueret. Id quaſi non affatim dogmatibus declaraſſet, *Inſanus*, ſeu *Manes* dici voluit. Tum meliori titulo emendaturus inſaniam, Chriſti ſe *Apoſtolum* & *Paracletum* venditauit. Denique (nec enim vacat, aut libet omnia vecordis portenta colligere, quidquid vſpiam ineptiarum & impietatis fuit, in ſuum collegiſſe cerebrum viſus eſt: vt indè, maiori generis humani damno & probro, erumperet. Inſanis dogmatibus vt authoritatem faceret, ſanandum ſuſcepit Perſici Regis filium, ſed interemit. Id enim conſuetum Hæreticis, vt per ſpeciem ſeruandi perdant. In pœnam detracta cute feris obiectus eſt; vt qui ratione ſe vacuum viuens oſtenderat, more pecudis periret. Mirum eſt fuiſſe poſthac tali portento Diſcipulos; & inter eos Auguſtinum, qui totius orbis magiſterio præficiendus erat. Nempe fœdâ illa nube obſcurari debuit Sol

*Hæreſeo.*

*Manes excoriatur.*

*Auguſt. in Hæreſi.*

futurus Eccleſiæ; vt lucidiſſimi ſideris pretium etiam faceret, aliquando non luxiſſe. Aliena caſtra Primipilus Doctorum adiiſſe viſus eſt, magis vt ſpeculator, quam vt transfuga. Licet enim ſanctiones Imperatoriæ, Decreta Pontificia, Doctorum tam Græcæ quàm Latinæ Eccleſiæ ſcripta, delirantes compreſſerint; nullus tamen efficaciùs quam Auguſtinus: quia nullus diligentiùs quid ſentiret hoſtis inſpexerat.

## CAPVT XXI.

### *Decima ſub Diocletiano & conſortibus perſecutio.*

Diocletianus potitus Imperio cooptauit in Cæſares duos Maximianos, Herculium & Galerium necnon Conſtantium
*ab 286. Perſecutio incipit.* Chlorum, quibus poſtea Maxentius, Licinius & Maximinus adiuncti ſunt, vt eos haberet ſimul & conſortes imperij, & furoris aduerſus Eccleſiam ſatellites. At nec Imperij pretio ſæuire in Innocentes Chlorus voluit, vt immaniùs alij furerent. Quæ tum Eccleſiarum facies! quæ fidelium comploratio, quando ad fontes, fora, vicos, officinas rerum venalium, excubitores appoſiti; neminem quidquam parare ad victum paterentur, qui prius proſtantia paſſim idola non adoraſſet. Et hoc nondum perſecutio vocabatur; cùm tamen legiones, vrbes, Prouincias remiſſio illa exhauſerit. Tunc cæſa
*Thebæa legio.* penitùs, Herculij iuſſu, Thebæa legio, vnà
*297* cum Tribuno Mauritio in finibus Sedunorum. Tunc alia legio vnà cum Andræa Tri-

buno ad Tauri anguſtias, Galerij mandato, mactata eſt. Tunc Nicomedienſes Chriſtiani, & totius in Phrigiâ vrbis amplæ Accolæ eiuſdem imperio combuſti. Illi vnà cum 297
templo, in quod ad ſacra conuenerant; iſti vnà cum vrbe, ex qua templum fecerant, vt qui ſe Deo in holocauſta ſacrauerant, igne conſumerentur. Atrocia illa! At longè magis; quod thermis, cùm Romæ, tùm Carthagine conſtruendis ampliſſimis addicti plurimi Chriſtiani, produxère pœnam, nec mortem euaſerunt. Nam qui operi perfecto ſuperfuerunt, ſupra decem millia, vnà cum Tribuno Zenone trucidati ſunt, qui millies, 298
antequam morerentur, perierant. Tunc vere facti votorum compotes, quando pro Chriſto ſanguinem fuderunt, cui toties ſudorem ſacrauerant. Hæc & ſimilia erant præſagia procellæ, quæ breui, cum totius pauore orbis, ruptura nimbum erat. Quid enim poſteà? quando ingeminante ad theatrum populo, *Chriſtiani tollantur*, edictis agi cœptum; & immanitas quodam quaſi 301
iure nixa inualuit; ac cuique permiſſum eſt *Inualeſcit.*
Chriſtianos promiſcuè, tamquam feras, impunè occidere. Tunc non decima perſecutio, ſed decumanus perſecutionum fluctus, non homines ſolum, ſed Baſilicas, & ſacra Biblia inuoluit. Nihil tamen aſperius, quàm ſacrorum librorum conflagratio. Viſum tum illud ſine ſolatio damnum; quia non paſſim naſcuntur *Eſdræ*, qui reparent. 302
Penè ſupra fidem eſt quo in templis exſcindendis impetu laboratum ſit! vna dies Chriſto patienti ſacra, omnia vbique diruta vi-

dit. Cæſorum aut exulantium numerum ars nulla collegerit; cum in vnà Ægypto ad centum quadraginta quatuor millia ceciderint, & ſeptingenta millia exulauerint, & Romæ intra vnum menſem ſeptem & decem millia perempta ſint. Quid verò tot cladibus profectum, niſi vt magis nomen Chriſtianum enteſceret? Sacri codices conflagrauere; at non ſacræ leges, quæ inſculptæ fidelium animis ſpirare ſunt viſæ robuſtiùs, & loqui altiùs quæ tacebant in libris. Corruere templa, vt illuſtriora conſurgerent. Multæ hominum periere myriades, vt ex eis plures ſuccreſcerent; & ſanguis Martyrum fieret ſemen Chriſtianorum. Inter hos ſtant ſublimes Caïus, Marcellinus & Marcellus Romani Præſules. Caïus quidem, vnà cum fratre Gabino, & nepte Suſanna, haud inuiti fudere ſanguinem, quam pudebat habere communem cum Diocletiano. Nec minus ſtrenuè Marcellinus, quàm culpam hæſitando ſub Diocletiano admiſerat, expiauit, ſub Galerio moriendo. Felix caſus, qui ad triumphum erexit. Sic cecidiſſe, attolli fuit. *Marcellus* autem tardiùs periit, vt diutiùs vinceret. Nam ad *Catabulum* iumentis paſcendis publicis, à Maxentio damnatus, inter pudendi miniſterij moleſtias, non tam vitam, quàm victorias produxit? Quid *Sebaſtianus*? cui ſemel occidiſſe pro Chriſto, minùs pro zelo fuit. Quid *Vincentius* ille Cæſar-Auguſtanus; cui nomen, victoriæ omen fuit? Quippe conſtantiâ ſuâ Dacianum Præſidem ſic exterruit, vt victum ſe proclamauerit. *Oſium* celebrem illum orbe

*Erant conſanguinei Diocletiani.*

304

309

*Sebaſtianus.*

toto Præſulem furor afflauit; ſed quaſi diffidens de victoriâ, poſt cruciatus dimiſit. Petro vero Alexandrino quid infractius? qui trepidanti Tribuno, vt ſe poſticâ ad pœnam abduceret, eluſâ pro foribus infremente plebe, author fuit. Sic ſibi, ſalutari conſilio, non reo mortem, ſed vincto libertatem peperit. Quam etiam conſtans in moriendi propoſito Lucianus Presbyter Antiochenus! qui iam exhauſtus cruciatibus, inediâ conſumi maluit, quàm Idolothytis, quæ ſola diu ieiuno offerebantur, veſci. Nec in ſacram iſtam ſcænam prodire indigni ſunt, qui in prophanâ cum mimos vellent, egere Chriſtianos. Quid magis inexpectatum, quam Geneſium ex deriſore mimico Chriſtianum ſe derepente è proſcænio, coram Diocletiano, proclamaſſe, & ſanguinem fudiſſe pro myſterijs, quæ ſæpè deriſerat? Quod idem Ardaleoni, Dioſcoro, & alijs contigiſſe ferunt. Nec Philemonis choraulæ minùs ſtupenda conuerſio! qui dùm pro Apollonio, de ſua conſtantia diffidenti, transfugam Chriſtianum, accepto pretio fingit, verum egit: & Idola irriſit ex animo, quæ veneraturus venerat; infractoque in pœnis robore, ad palmæ conſortium Apollonium animauit: vt eius fortitudini gloriam Apollonius deberet, cui formidinis vitio, ſummæ felicitatis occaſio fuerat. Tot inter cruciatus vna inuenta pœna eſt, quâ, ſine mixtura gaudij, patientes viſi ſunt indoleſcere. Ad *lenones* maluerunt addicere Chriſtianas, quam ad *lenones*. Ad alia tormenta procurrebant vltrò teneræ Virgines,

*Petrus Alex.*

*Mimi Martyres*

*Virgines ad leones.* ad hoc trahendæ erant. Sed quo demum exitu? niſi vt ex obſcœno ſupplicio, qui damnabantur pudici innoteſcerent, qui damnabant, impuri. Quæ tunc innotuere prodigia? Quot ad lupanar tractæ, vim adeo paſſæ non ſunt, vt mutato cum viris habitu, illibatæ euaſerint? Quot Dei manifeſtum præſidium à vi prohibuit? vel circumfundente Virgines cœleſti lumine, vel Angelo ipſarum pudicitiæ excubante, vel vim molientibus ſubita morte collapſis. Teſtes *Luciæ*, *Agnetes*, *Theodoræ* & aliæ, quas in officinas illas meretricias ductas diceres; vt impuritatis Dæmonas, ſuo in regno, triumpharent. *Catharinæ* verò Alexandrinæ triumphum quæ laurea æquauerit? Hæc vt Chriſto ſe totam ſeruaret, & Imperatoris Maximini thalamos auerſata eſt; eique ſe adeò ſponſam non tradidit, vt Imperatricem abduxerit. Chriſtiana verè Minerua, quæ non tantùm pœnas vicit in rota, quam tactu fregit, ſed humanam etiam ſapientiam in Philoſophis, quos palam confutauit. Quid quod non paucæ diuinitus inſtinctæ, ne hoſtis pudori ipſarum iniuriam faceret, ipſæ ſibi vim intulerunt? Inter eas

*Sophronia.* eminet Sophronia, Lucretia Chriſtiana, quæ Maxentij deſtinata libidini, quam moram,

309 vt ſe elegantiùs cómeret, à ſatellitibus impetrarat, adigendo in ilia ferro inſumpſit; vt ſic illibatam caſtitatem cæleſti ſponſo intrepidè ſeruaret, quam nimium timidè terreſtris maritus vrbis tunc Præfectus Principis impuri libidini abiecerat. Sequitur *Euphraſia* Nicomedienſis, quæ ado-

ſeſcenti proſtibulum ingreſſo pharmacum miræ virtutis, contra vim ferri, pollicita, vt eius, quo ſibi collum inunxerat efficaciam probaret, obtinuit, & ſic innocenti fraude cæſa, virginitati conſuluit, & Martyrium conſummauit. Ita planè compertum eſt eius eſſe indolis Chriſtianas Virgines vt frangi faciliùs poſſint, quàm flecti ad turpia: Eccleſiam demùm petram eſſe, ad quam infringitur quiſquis attentat infringere. Enimuerò quis turbo disijceret, quam Diocletianus, cum conſortibus, & miniſtris non magis Imperij, quàm ferociæ, tot aſſultibus, ad annos triginta, mira pertinacia continuatis, non exſcidit? Tot certè experimenta probant tentari eam poſſe, conuelli non poſſe.

## CAPVT XXII.

## *Quartum in Eccleſia ſchiſma Traditorum & Donatiſtarum.*

AB ſcopulo in ſcopulum Eccleſia incurrit; & quæ ſub Diocletiano Proditores euaſerat, poſt ipſum incidit in *Traditores & Donatiſtas.* Monſtrum ſuâ dignum Africâ, vt quod ex Lapſis, Rebaptizantibus, & Catharis multiforme coaluerit. Halitu peſtifero corruptis ſtatim Africæ Prouinciis, in tantum breui inualuit, vt illud nec Præſules anathematis, nec Concilia Decretis, nec Imperatores edictis diu coërcere potuerint. Naſcendi occaſio ei ex edicto Diocletiani de ſacris codicibus ad Magiſtratus deferendis. Dum enim multi vitæ timent, libros tra- 303. *Occaſio originis.*

*Traditores.* dunt. Inde *Traditores.* Summum crimen, niſi in maius incidiſſent, dum ſine pœnitentia in Cirtenſi Concilio, Præſide *Secundo* Numidiæ Primate, Traditionis haud planè puro, veniam extorquent. Sic abſolui, damnari fuit. Quippe vix quemquam magis nocentem habeas, quam quem conſcii, vel coacti Iudices Innocentem dicunt. Quin & auſi ſunt per ſchiſma obruere crimen læſæ diſciplinæ; quâ, qui lethaliter deliquerât, cogebantur palam pœnitere, ante quam admitterentur ad veniã. *Pœnitentia publica.* Sic per audaciam conſultum eſt magno crimini, nimirũ vt illi patrociniũ & impunitas à maiori quæreretur. Occaſio

*Lucilla* Hiſpana fœmina, an furia? Hæc Martyrem nondum *vindicatum*, palam venerari, præter Eccleſiæ morem, à Cæciliano Diacono prohibita; in eumdem iam Carthaginis Præſulem, & in Eccleſiam vltionem intendit. Impia, dum colit quod non debet; nec minus, dum quod debet, non colit. Ne vltionis inſtrumenta deficerent, *Botro*, ac *Celeſio*, præpoſitum ſibi Cæcilianum indignantibus, ſe vindicem ſpopondit. *Progreſſus ſchiſmatis* Accreuere partes ex *Senioribus*; qui ne ſacra vaſa ipſorum fidei ante credita à Menſurio Carthaginenſi Præſule, redderent, obſequium Epiſcopo negauerunt; & ſacrilegio patrocinium quæſiuerunt ex ſacrilegio. His ſe *Traditores* adiunxerunt; vt cum aliis Catholicos premerent, quibus lædendis ſoli non erant. En membra quibus monſtrum coaluit. Pro capite intruſus in Carthaginenſis Eccleſiæ infulas *Maiorinus* Lucillæ *Donatiſtæ.* domeſticus, *Donati è caſis Nigris ſtudio*: inde

*Donatiſtæ* : illi tamen dictos ſe malunt ab alio *Donato*, qui Maiorinum excepit. Pudebat opinor ab ſchiſmatico dumtaxat habere nomen; voluerant & ab Hæretico. Supra vota iſte ſatisfecit. Nam cum Agripino *Anabaptiſmum* admiſit, Cum Ario de Trinitate ſenſit, Cum Nouatiano *Catbariſmum* reſtituit. Sic per gradus ad ſummum progreſſa impietas; ex *Traditoribus* Schiſmaticos, ex iſtis, Hæreticos fecit. Traditionis perfidiam impegerunt in Catholicos, & Cæcilianum quaſi à Traditoribus promotum, exauctorandum proclamarunt. Qui enim clamoſius ſæpè alijs appingunt ſcelera, quam qui patrarunt? At calumnia nec Innocentem ponit in vitio; nec nocentem extra. Quaſi tamen ſe prorſus abſoluiſſent, 313
dum infuſcarunt alium; rem deferunt ad Conſtantinum Imperatorem : iterùm rei quod Eccleſiaſticæ controuerſiæ prophanum arbitrum voluerunt. Ab eo itaque ad 313
Melchiadem Pontificem dimiſſi, læſæ fidei *Damnati ſæpius.*
ſimul & pacis damnantur, qui ſe ſolos in orbe *Mundos* venditauerant. Nec profuit Papæ non acquieuiſſe iudicio; niſi vt iterum 314
damnarentur ab Æliano Africæ Proconſule, 316
Tum ab Arelatenſi Concilio, demùm ab ipſo Imperatore, quem Mediolani prouocationibus importunis fatigauerant. Ab eo & in exilium abducti ſunt, procul à cœtu hominum, quibus cum pace integrà eſſe non poterant. Remiſſa tamen poſtea illis pœna, vt iuſtè inflictam conſtaret. Nec enim pu- 321
tes immeritò damnatos, qui poſt pœnam durauerunt in culpa. Quin & eam perduxerunt ad cumulum, Antipapa Victoris no- *Antipapam faciunt.*

mine creato; vt per id haberentur Eccleſiæ Romanæ membra, per quod non eſſe ſe declarauerant. Vſque adeò pertinacia irro-
348 borauit in Præſulibus, vt reuocato ad obſe-
*Circumcelliones.* quium populo liberalitate Conſtantis Imperatoris, & induſtria Pauli & Macarii, quos ad hoc in Africam Conſtans miſerat; Præſules iterùm exilio, & Circumcelliones ſanguinaria Donati ſoboles, armis reprimi debuerint. Reſtituti poſtea à *Iuliano*: vt clarius Deſertores proderentur: quos enim ab-
362 ſoluat *Apoſtata*, niſi *Apoſtatas*? Sub eo impunè omnia in Catholicos licere conſcij, ſacrilegijs, cædibus, exilijs omnia miſcuerunt. Diceres ex conſuetudine cum feris in exilio, feras ipſos factos aut lapides. Enimverò plus in ipſis ferocitatis fuiſſe, aut duritiæ, quam in feris & lapidibus miracula prodiderunt. Canes enim venerantibus ſimiles, relictâ ſacrâ Euchariſtiâ, quam ipſis ſacrilegi proiecerant, vltrici dente Dominos lacerauerunt. Ampulla autem vitrea, Chriſmate ſacro plena, per feneſtram cum impetu deiecta, inter lapides haud fracta conſedit. Ipſi tamen nihil etiam miraculis territi perſtiteruut in pertinacia, vt quatenus flecti noluerunt, demùm frangerentur. Valentiniani, Gratiani, Honorij, & aliorum edictis, & mulctis valdè afflicti. Maius tamen ipſi ſibi vulnus inflixerunt; dum nouo inter ſe ſchiſmate diuiſi, *Primianum* alij, alij *Maximianum* Carthaginis Præſules malunt, poſt mortem Parmeniani, qui Donato ſucceſſerat. Haud ſegniùs tamen vtrique queritabantur Catholicos. Quippe in

aliis diſcordes inter ſe impij; in odium proborum conſentiunt. Quæ fidelium tunc patientia! quæ charitas! cum quos tam ſuperbè patiebantur Aduerſarios; eos ipſi & à caſu retrahere, & ab Imperatorum pœnis prohibere ſatagerent. Quid quod vt olim à 313
Melchiade, ſic recens ab Anaſtaſio & Inno- 401
centio Romanis Præſulibus euicère Preſu- 403
les Africani; vt ſchiſmaticis Epiſcopis, nullo dignitatum damno indulgeretur venia? Putabant enim mitiſſimi Præſules, ſi quid in hoc vulneris diſciplina pateretur, id large penſatum iri charitatis vinculo, cui ſeruire diſciplina ſemper debet. Quem vel iuſtè iratum, non exoraſſet tam pronus ad pacem animus? Obriguere ipſi tamen, quippe omni planè ex parte *Mundis* Religio erat, cum ſordidis conuenire. Hæc erat ipſorum larua; & Eccleſię, quam apud ſe ſolum eſſe delirabant, non deſerendæ ſpecie, Eccleſiam fugiebant. Ideo vt finis tandem imponeretur diſſidio; Honorius ab Africanis Præſulibus exoratus, per Marcellinum Collationem in Africa indixit, in qua de rei ſumma, per vtriuſque partis Pręſules decerneretur. Diu tergiuerſati Schiſmatici Carthaginem 411
tandem, ſeu pudore, ſeu metu compulſi conuenere. Ac in omnibus Auguſtini præſertim opera conuicti, vel redire ſtatim ad Eccleſiam, vel exire è patria iuſſi ſunt. Populo 412
in gratiam paſſim recepto, Epiſcopi maluerunt exilium; adeo ſuperbis magis eſt ex ingenio, perire, quàm pœnitere. Diu per Africæ deſerta vagati, acceſſere demum ad Vuandalos, Africam tum deuaſtantes; vt 436

*Ob durati inani prætextu.*

*Conuincuntur ab Auguſt.*

noua ſibi nominum elogia quærerent: Et qui hactenus *Traditores, Donatiſtæ, Primianiſtæ, Maximianiſtæ*, atque adeo *Claudianiſtæ* & *Rogatiſtæ* audierant, poſthac etiam audirent *Ariani*, & *Barbari*, & tandem nihil.

## CAP. XXII.

### *Quintum in Eccleſia ſchiſma Meletianorum.*

PArùm erat pro Africa, vnum ex Traditoribus, & Donatiſtis monſtrum; alterum ſimul in Ægypto fouit, authore *Meletio* Lycopoleos Præſule, vt ex luporum vrbe lupus prodiret. Hic in pœnam Idololatriç, quâ vim perſecutionis euaſerat, exauctoratus a Petro Alexandrino Præſule; nouo ſacrilegio vetus obruere maluit, quam pœnitentia purgare. Ideò tractis in partes non paucis conſcijs, totam adeo turbauit Aegyptum, vt creatis paſſim contrariarum partium Epiſcopis, inter ſe commiſſi populi, vrbes in arenas gladiatorias converterent: At à Catholicis repreſſi impij addixere ſe Maximino II. qui tum maximè in Eccleſiam deſæuiebat. Nempe inter pares facilè conuenit: Et qui idolorum ſe cultu polluerant, idololatriæ vindici haud ægrè ſe probauerunt. Inde fuga Petri, & percuſſo Paſtore, diſperſæ temerè oues. Nec conquieſcente Tyrannorum ſæuitiâ, amare pacem Schiſmatici potuerunt, vt eorum furorem excederent, quorum impietatem ſecuti fuerant. In Nicena quidem Synodo datum Meletio

*306 Origo ſchiſmatis.*

*Schiſmatici junguntur Ethnicis.*

307

311

ctio & Pſeudo-Epiſcopis, vt retinerent inſignia & nomen Epiſcopale, dùm res eſſet penes Catholicos. At quam fidem præſtent fidei deſertores, quam pacem probent diſcordiarum faces? Redibatur ad turbas; cùm ecce factioni ademptum robur & ſpiritus, ex morte Authoris. Nec dum tamen collapſis viribus, nocendi animus defecit. Serpentes diceres, obtrito capite caudâ minabantur: Et quia ſoli nocere non poterant, Arianis ſe adiunxere. Adeo inſanis perire in lucro erat, dùm ſimul Catholicos perderent. At vt ſine ſolatio deſpument, nec alios datum eſt perdere, & ipſis datum eſt perire. Nec profuerunt molitiones in Eccleſiam, nec in Athanaſium inſidiæ, nec ei occiſi Arſenij & conſtupratæ fœminę impactum crimen in Tyria Pſeudoſynodo, niſi vt Erebi ſe mancipia proderent, cuius artes pleno pectore adbiberant, & ob id ignominiâ maiori deficerent.

325 *Cohibitio*

326

*Arianis iuncti.*

## CAPVT XXIII.

## *Anacepalaoſis de Fide perſecutorum cladibus vindicata.*

TYrannorum inter aſſultus, Eccleſiam naſci & creſcere oportuit, ut probaretur orta de cælo, in quam per adminiſtros orcus nihil potuit; nec proptereà inulta fuit impiorum crudelitas. Licèt pœnam quidam diſtulerint, nullus tamen euaſit. Sarmenta fuere, quæ ignis fierent pabulum, poſtquam cœleſti Imperatori, ſuis caſtigandis militibus, fuerunt inſtrumentum. *Nero, Domi-*

*tianus*, *Maximinus* I. & Aurelianus, à ſe vel ſuis cæſi, vulnerum ore proclamarunt, vix illum euadere gladium, qui in innocentes gladium ſtrinxerit. *Decius*, *Valerianus* & *Maxentius* ab hoſtibus ſolio & vitâ deiecti, cœlum ſe in ſuas clades armaſſe experti ſunt, quando ſe in Cęlicolas armauerunt. *Aurelius* & *Seuerus* filiorum appetiti inſidiis, ipſi ſe inediâ, & vitæ faſtidio confecerunt: vt qui Chriſtianos de ſe bene meritos vexauerant, ab illis ipſi vexarentur, de quibus erant bene meriti. Aliis vis nulla ab hominibus facta, vt diutius ſuo cum fato luctati, tanto magis vltorem Deum ſentirent. *Traianus* & *Hadrianus* viſi ſunt conſeneſcere; vt ſuæ felicitati ſuperſtites, quam mortem in aliis læti aſpexerant, in ſe tremebundi expeterent. *Galerius* vermibus, quos fœdo vlcere in ſe pepererat, exeſus; tot in ſe tortores expertus eſt, quot in Innocentes armauerat. Fato ſimili periere *Maximinus* II. & *Licinius*. In hoc omnes miſeri, quod ſe ob ſęuitiam in Chriſtianos torqueri conſcii, nec malum emendauerunt, noui Antiochi, nec pœnam euaſerunt. *Diocletianus* & *Maximianus*, vt reorum habitu aliquandiu viuerent; exuêre purpuram, quam magis Chriſtiano ſanguine, quàm ſucco Tyrio, imbuerant. Nec tamen ſic placidâ morte defungi datum eſt: ne mitiùs morerentur, quàm vixerant. Ille iis conſcientiæ morſibus laniatus, quos nulli æquent equulei, nullæ fidiculę, tàm cupidè mortem ſibi expetiit, quàm aliis intulerat. In illo tamen ęſtu viuere coactus eſt, vt inter vitam & mor-

tem medius, malę vitæ ſimul ſtimulos, & mortis ęternæ horrorem ſentiret. Alter, quatenus atrociori manu perire non potuit, gulam ipſe ſibi laqueo fregit. Quid quod Imperatores aliqui, Chriſtianorum manibus, hoſtili ſanguine, large parentauere? In Commodo, Caracalla, & Gallieno vndę tanta pręter indolem, in Chriſtianos manſuetudo? vnde furor in Ethnicos proceres, atque adeo parentes, qui perſecutionum, vel authores fuerant, vel adminiſtri; niſi quia Deo commodauere manus ipſius iniuriarum vltrices? Quin & ipſa rerum natura, Deo & fidelibus ſtipendiaria, terręmotibus, diluuijs, ſterilitatibus, peſtilentijs impios vlta eſt. Vſque adeo & quæ ſenſim non habent, Dei ſæpè & ſentiunt iniurias, & vindicant.

## CAPVT XXV.

### *Fides inter perſecutiones propagata.*

VT grauia ſuis ex malis impij paſſi ſint, grauiora tamen ex piorum bonis. Nihil ſuperbos vſſit acriùs, quàm quod nihil non agendo, nihil egere, & quos exciſos voluerant, ex cladibus inualeſcere viderunt. Nam quot ad ſpectaculum patientiæ vel vnius aliquando Chriſtiani, quem pœnæ non vicerant, victam in ſe ſuperſtitionis duritiem ſenſere? Quot ad miracula, quibus ſæpè Martyres probabant innocentiam, miraculorum Authorem agnouerunt? cùm alijs feræ blandirentur, alios flamma non læderet, aliorum ſub pedibus aqua dureſce- *Prodigia Chriſtianorum.*

ret; aliorum ad collum ferrum hebeſceret? Quot ob Imperatorum ſęuitiam ad exteros profugi, Euangelicum procul lumen diffuderunt? Quid illa de viris dubites? cum fœmina ſerua; cuius nomen intercidit, vt ei de ſola virtute nomen eſſet, ſic ad fidem
327 *Iberi Chriſtiani.* Iberos egit, vt *Bacurius* Rex à Conſtantino magno Sacerdotes petierit, qui iactum religionis ſemen, virili manu diligentiùs colerent. Ad hanc pietatis laudem, *Bacurio*
*& Britanni.* iam præiuerat *Lucius* Britannorum Rex; qui per legatos, ab Eleuthero Papa Euangelicæ Doctrinæ præconibus impetratis
183 Fugatio, & Damiano; ſe & ſuos Chriſto ſubdidit. Tunc verè omnibus præeſſe dignus, cùm Deo paruit. Nec infra Lucii zelum Brachmanes Indi, qui tunc verè ſe
*& Indi.* ſapere prodiderunt, cùm minimè ſe ſapuiſſe profeſſi ſunt, ac à Iulio Alexandr. Præſule
185 impetrato Pantæno, Chriſtianæ ſimul & prophanæ doctrinæ peritiſſimo, Chriſti Diſcipuli haberi maluerunt, quàm totius Orientis magiſterio inclareſcere. Superfuit tamen, in quo poſtea *Frumentius* deſudaret.
327 Hic inter primos, Reip. Indicæ gubernaculis admotus, occulto primùm pręſidio; deindè, ſupra æmulorum inuidiam firmatâ potentiâ; apertè fidem promouit: Nec Chriſtum eſſe in opprobrio voluit, vbi Chriſtianus erat in gloria. Sed quia fruſtra eriguntur Eccleſiæ ſi deſint Epiſcopi qui regant, ad id Athanaſium Alexand. Patriarcham adiuit. Sed qui Præſules petitum venerat, redire Præſul iuſſus eſt; vt ille Indiæ Eccleſijs præeſſet, eaſque ſignis & virtutibus

promoueret, qui nondum conſecratus, mirabili ſucceſſu Preſulem egerat. Sic nullibi fermè peregrina fuit Chriſtiana Fides, per quam *omnes cives Sanctorum & domeſtici Dei fieri poſſunt*. Quid agitis Romani *Proceres?* veritatem abijcitis? ipſa vos deſeret aliò migratura; tantâ veſtri labe, quantâ aliorum laude. Ab illo probro Romanum nomen vindicatum ibat *Philippus*. Imperator, dum voluntario in Chriſtum obſequio, legitimum imperium reddidit, quod vi parauerat: Nec infra Principem eredidit, pœnitere palam cùm Reis, quibus ſe culpæ conſortio miſcuerat. Felix imperium cuius Imperatorem, ſi non facit innocentem peccandi verecundia, facit pænitentia. Quamquam ab iſto Eccleſiæ non admodum conſultum, vt in eo decore *Conſtantinus* Magnus Riualem non haberet. Hanc de Filio ſpem fecerat *Conſtantius* nondum Chriſtianus. O quam nobili documento! Nam Tranſalpinas Regiones, quibus præerat, Azylum Chriſtianis eſſe voluit, quando ipſis, ſub Diocletiano, reliquum imperium laniena erat. Fuit vltrà humaniſſimi Principis manſuetudo. Nam Chriſtianis, quos mixtim cum Ethnicis in familiam allegerat, facto arbitrio abeundi ſaluâ fide, vel permanendi, eiuratâ: quos fidem malle vidit, retinuit; alios abiecit; nec terreno eos Principi iure fideles ſperaſſet, quos erga cæleſtem perfidos probauerat. Eximium factum, & quod Chriſtianitatis iam candidatum prodat: quantulum tamen præ vno terris edito Conſtantino. lenitate Tranſalpinas ſibi Eccleſias,

*Philippus Imper. Chriſtianus.*

245

*Chlorus*

atque adeo gentes obſtrinxit; filio, totum orbem.

## CAPVT XXVI.

### *Infidelitas à Conſtantino proculcata.*

QVam in Imperatoribus Alexandro Mammeæ, Philippo, & Chloro Romani Imperij conuerſionem Deus delineauerat, in Conſtantino tandem abſoluit. Magnum nempe id erat opus, nec implendum, niſi per gradus. Typis ad illud aliquot, & à Deo proluſum eſt. *Tantæ molis erat genti Romanæ, fidei Chriſtianæ nouam faciem induere.* Maxima operis laus debita Conſtantino, Conſtantij & Helenæ Chriſtianæ filio. Hic tametſi materno cum lacte fidei ſuccum infans hauſerat, grandior tamen aliquandiu reſtitit, vt diuinæ doctrinę perſuaſio vni Deo deberetur. Felix quem per ſeipſum Chriſtus erudiit! Liber ipſi Crux fuit Solis conflata radiis. In hoc deſurſum inclinante iam Sole, cum moueret in Maxentium, conſpicuo ſatis fuit, tria hæc verba legiſſe; *In hoc vince*, vt Chriſtianam doctrinam intelligeret diſcipulus diadematus, Ethnicamque proculcaret. Nec tantum ipſi fuit Crux liber quo doceretur; ſed ſignum etiam, quo doctrinę cœleſtis hoſtes vinceret. Quippe nocte proximá à Chriſto monitus, quod ſignum in cœlo viderat exprimi iuſſit ex haſta oblonga, cum ligno breuiori ſupernè in formam Crucis tranſuerſo; ad cuius cornua velum appenderetur;

*Conſtantinus.*

*Crucem videt.*

*ἐν τούτῳ νίκα.*

& in ſummitate nomen Chriſti, per literam eius initialem X. & literam P. intermediam exprimeretur. Cui ſigno *Labari* nomen inditum eſt; quo vel laborum militarium Conſtantino, vel perſecutionum finis Eccleſiæ ſignificaretur. Hoc igitur ſigno fretus Imperator Maxentij Ducibus ad Taurinum, Brixiam, & Veronam profligatis; ipſum tandem Maxentium ad Romam victum, in fugam vertit. Repetebat vrbem tamen Tyrannus; cum ponte, vel multitudinis onere, collapſo, vel à Machinatoribus ante ſoluto, quam oportuerat (ea enim erat compactus arte, vt ab Artifice facile diſſolutus, Conſtantinum interciperet, & in amnem deijceret) in vndas collapſus, demerſus eſt; qui nimium diu terras infeſtauerat. Ex eo mirum quantum venerationis ſigno victrici Victor comparauerit. Ei Romani erectâ, in vrbis medio, ſtatuâ victoriam attribuerant: At eam refudit ipſe in Crucem, inſcripto ad ſtatuę baſim elogio. Ex eo, quod inſtrumentum pœnæ Reis fuerat, gradus ad gloriam haberi cœpit: & è carnificina tranſportatum ad altaria; quanto in probro antea fuerat, tantum venerationis obtinuit. A Cruce ad Crucicolas pius Imperator digreſſus, vt ſuo ipſis arbitrio viuere liceret, edixit. Templa non erant; reſtitui iuſſit; Prouinciarum Præſides obſiſtebant, licentiam coërcuit: conſortes Imperij Licinius, & Maximinus, nihilo ſegniùs in Oriente ſæuiebant; ab illo data in ſponſam ſorore, ab iſto ſcriptis litteris lenitatem expreſſit, ſed temporariam & breui-

*Maxentium vincit.*

deſituram. Nam quæ fides Barbaris & agreſtibus, quibus id vnum ęquum, nihil ex ęquo facere; omnia ex libidine? Hinc tamen perfidorum exitium; & Licinius, à quo iam Maximus victus fœdè perierat, ob ſęuitiam in Chriſtianos inſtauratam, fœderis fracti reus, primùm ad Cibalem in Pannonia; tum ſemel, atque iterum in Thracia, victus eſt: ac demum Nicomediç captus, Theſſalonicam laqueo, poſt nouam tentatam perfidiam, vt ſcripſere quidam, periit: vel in Gallias, occultis abſumendus vlceribus, vt alij maluerunt, abductus eſt. Qui tum fidelibus plauſus, quę toto Imperio gaudia; quando Chriſtianitatem iam non

*Orbis Chriſtianum.* lucifugam, aut precariam; ſed vbique liberam, vbique prçualentem noſcebant! Adeo nullum pœnitebat diſcriminum & patientię, vt felicitatis loco quiſque poneret, per tot pericula, extra periculum demùm euaſiſſe. Imperator tamen nondum intinctus, deſignatus magis fidei, quàm planè fidelis erat. Nondum apertè ſeruiebat in omnibus Chriſto, vt tempori in multis ſeruiret: & Chriſtianum non ſe palàm prodebat, ne à proceribus nondum Chriſtianis proderetur. Quam parùm in Principe diſtat à vitio, vitij ſimulatio! Hinc enim eius ad auertenda

327 prodigia, de conſulendis Auguribus edictum. Hinc impiorum renouata in Chriſtianos ferocia, & ex ea Syluestri Pontifi-

*Conſtantini lepra & Baptiſmus.* cis, & aliorum fuga, & latebræ. Ad hæc tamen exclamare lubet: O felix culpa, quæ gradus fuit ad innocentiam! felix in pœnam culpæ lepra, quæ ſanauit animam; dum

corpus

corpus infecit? Quippe non. infantium noxio, vt ſuadebant Aruſpices, ſed ſalutari, per baptiſmum, Chriſti ſanguine abſceſſit, vt Sylueſter Pontif. admonuit, quem è latebris Imperator ab Apoſt. Petro & Paulo commonitus reuocauerat. Hæc omnia Romæ contigiſſe multi memorant & contendunt. Ea ego ſuæ fidei relicta malim, quàm à me aſſerta. Præſtat enim Eccleſiæ Rom. indubitatis aliunde titulis ſupra reliquas eminenti controuerſum decus non arrogare, quàm quæ certiſſima ſunt, ambigui commercio deterere. Præſertim cum non Euſebius ſolum Cæſarienſis, qui de hoc, tamquam de re à ſe viſa, & nulli non cognita loquitur, ſed Hieronymus etiam & alij veteres, Cōſtantinum morti proximum Nicomediæ baptizatum, vt rem conſtantiſſimam ſcripſerint. Sed vt de Imperatoris Auguſtiſſimi baptiſmi ſeu tempore, ſeu loco non conſtet; de ipſius tamen ergà Religionem Chriſtianam animo, & munificentia dubitare non ſinunt conditæ paſſim ab ipſo Eccleſiæ, & Regia liberalitate locupletatæ. Nec ſuis ipſe manibus ligonem tractare de dignatus eſt, quando è Lateranenſis Baſilicæ fundamentis duodecim corbes terrà oppleuit, & exportauit; Imperatoris Chriſtiani gloriæ non parùm acceſſurum ratus, ſi fieret Ruderarius Apoſtolorum. Nec dum tamen Romam piam prorſus fecit, quam prophanam inuenerat. Cùm veterem itaque innouare non poſſet, nouam conſtruxit ex Byzantio in Thracia, eamque ritu ſolenni Deiparæ dicatam, de ſuo nomine Conſtan-

*Baptiſmus Conſtantini.*

*Conſtantinopolis.* 330

tinopolim dixit. Diuino ſanè conſilio, vt ſuo Pontifici Roma iam tum in patrimonium deſtinata ei maximè fidem deberet; cui poſt Chriſtum totus orbis. Cum interea Imperator in Oriente eamdem fidem repreſſis hæreſibus, conditis Eccleſijs, immunitatibus per edicta indultis ſtrenuè promoueret. Nulli tamen vim fecit ad Chriſtianitatem. Inde profectum adeò; vt quæ Religio humanæ ſapientiæ & nobilitatis typho plenis pudori hactenus fuerat, eadem poſthac votum fieret & ambitio.

## CAPVT XXVII.

### *De Cœnobitis Inſtitutis.*

SVb Conſtantino in tantum eſt promota lux Euangelica, vt vltra vix potuerit. Non tamen proficiendi quoquo modo ſpem Eccleſia poſuit: & quæ amplitudine non potuit, perfectione creuit, renouatà ſtrictiori viuendi normà, ad quam Chriſtus, Baptiſta, Apoſtoli, ac primi Chriſtiani, (vt ex interpretatione Hieronymi, & aliorum, teſtatur Philo Iudæus, ſub Eſſeniorum nomine) ſeſe compoſuerant. Nouæ author

*Antonius Monachorum conditor.* 310

vitæ Antonius imprimis; quippe iam exemplar eſſe meruerat. Eo Duce viri Angelis proximi paſſim per deſerta Thebaidos res diſſimillimas coniunxere, ſolitudinem & ſocietatem. Ad nouum quaſi claſſicum vndique concurſum eſt, & cœleſti paſſim militiæ nomen datum. Inde per orbem reliquum ſacrorum militum ductæ coloniæ; è deſertis

enim quaſi ex Angelorum conſortio prodire
oportuit, quos vrbibus reformandis & ho-
minibus Deus deſtinauerat. Coloniarum 340
ductores primi Athanaſius Alexandrinus,
& Euſebius Vercellenſis. Ille dum Romam
ad preſidium contra Arianorum artes venit;
quos ab Antonio, quem de facie nouerat,
ritus audierat, eò tranſtulit. Iſte Alexan- 362
driam aduerſus Arianos etiam profectus, ſa- *Monachi*
cram vitæ cœnobiticæ diſciplinam diligen- *in Europa*
tiùs perquiſitam in Italiam tranſduxit. *&c.*
Adeò in Eccleſiæ decus ceſſit, quod contra
moliebantur Impij. Eorum piam imitati
curam alij varios orbis tractus illuſtrauere.
Baſilius Aſiam & Græciam; Martinus Gal-
lias, Auguſtinus Africam. Quid Pacho- *Pachom.*
mius? qui Deo militare cum ſocijs cepit, ex
quo poſt victos Maxentium & Licinium,
ſuos olim Duces, prophanam militiam cum
ſuperſtitione eiurauit. Quid Hilarius? *Hilarius.*
quantum ſub Antonio profecerit, indicio
eſt, quòd alijs ad vitam ſegregem author &
exemplar eſſe meruit. Honoratus verò 426
in eo multo laudabilior, quod Mona- *Honorat.*
chorum Lirinenſium parens, quàm quod Se-
natoris & Conſulis filius audijt. Iſtud enim
vt magnum, fortunæ certè fuerit, aut alie-
næ virtutis; illud propriæ. Benedictus vt *Benedi-*
intellexit nullum efficacius, nullum reue- *ctus.*
rentius Deum colere, quàm qui alios ad 494
pietatem imbuit; multorum præfici magi-
ſterio ſuſtinuit, licet vix vni ſe ſibi ſufficere
poſſe crediderit. Ex illis diuinæ ſapientiæ
gymnaſijs, quid vtilitatis non obtigit
orbi Chriſtiano? Quot omnibus ſeculis,

quas ipſi piæ vitæ leges in cœnobijs hauſerant, alijs explicarunt, ac perſuaſerunt? Ad hoc alij ſcriptis conſignauere monita, vt tardiùs exciderent: alij exemplis ex ſcripſerunt, vt efficacius mouerent: alij Eccleſiarum admoti gubernaculis authoritatem inſuper addiderunt, vt monitis & exemplis maior eſſet efficacia, & latiùs ſe proferret. Quis hos Chriſti Primipilos neget, qui ad exemplum ſui Ducis non ante Dæmonas vicerunt in vrbibus, quam ſubegiſſent in ſolitudine?

## CAPVT XXVIII.

## *De Crucis Archetypæ* Inuentione.

NOn erat æquum vt quo tempore Crucifixi nomen & Regnum orbem ferè totum ſub Conſtantino peruaſerat; Crux, quæ Regnantis thronus eſt & Regni Symbolum, deliteſceret. Debuit & illa patere ad cultum; quâ victo quondam Erebo cælum triumphauit in Chriſto, & Chriſtianum fundauit Imperium. Cæterum Triumphale Signum ſibi redditum Helenæ Conſtantini matri Eccleſia debuit. Hæc apud Hieroſolymam theſaurum è terra eruit, quo vno emitur cælum. Infoſſæ Cruci ſuperſtabat ſtatua Veneris. Nec enim eius venerationi locus, vbi prophanus amor in cultu eſt. Eijcienda fuit obſcœnæ diuinitatis effigies, vt ſua Cruci reuerentia redderetur. At pro vna triplex effoſſa eſt; quippe ne poſſet internoſci ex qua Chriſtus pependiſſet; eam mixtim cum latronum patibulis, amoto titulorum diſcrimine Impij infode-

*Crux ab Helena inuenta.*

326

tant. Verùm inde maior pignori diuino veneratio. Adeò & impiorum conſilia diuinis ancillantur. Cùm enim iuſſu Macharij Hieroſolymorum Præſulis duæ primæ cruces cadauer, cui admotæ fuerant, non excitaſſent; tertia vitæ reddidit. Statim diſcuſſum dubium, cui cultus deberetur. Vnus homo reuocatus à mortuis inſtrumentum, cui omnes vitam deberent, indicauit. Inde cultus ei religioſior, templorum vbique dedicatio; & quotannis ritu ſolenni *Inuentionis* eius celebrata memoria. Quippe, quæ dies triumphi Chriſtiani ferculum orbi reddidit; per omnia ſæcula triumphalis haberi debuit. Porrò ne vnica ciuitas diuino theſauro vel ſactaretur vel diteſceret, eius relicta parte Hieroſolymis, altera Conſtantinopolim, Romam alia tranſmiſſa eſt. At inauditum! quæ pars Hieroſolymis obtigit, ſæpius diuiſa ſemper tota conſtitit: tantum ſubſtituente miraculo, quantum Præſulum indulgentia ad peregrinantium mercedem, ac ſtimulum ſuſtulerat. At quid mirum! vim perennitatis ei ſanguis ille diuinus indiderat, qui & in hominibus immortalitatem parit, & in ſe corruptionem non ſenſit.

*Crux vera miraculo probata.*

*Crux diuiſa & nunquam deficiens.*

## CAPVT XXIX.

### *Pontifices tertij ſæculi.*

TErtium Eccleſiæ ſæculum à *Victore* cæpit, in quem ſecundum deſierat, vt vtrumque victoriarum Chriſtianarum quaſi nexu, ex ipſo Pontificis inuictiſſimi nomine jungendum conſtaret. Nec dubitatum

*Zephyr.* *XVI.203.* *9. Auguſt.* de omine, vbi *Zephyrinum* felici aurâ Eccleſiæ clauum gubernare innotuit. Eam ſtrenuè propugn am vidit, tum à Martyribus plurimis, qui ſub Seuero eius præſidio impendére ſanguinem; tum à Doctoribus inclitis Origene, Tertulliano, Minutio, qui eius innocentiam ſcriptis vindicarunt. Nec indefenſam ipſe ſiuit, Praxeâ per anathema coërcito; *Montaniſtas damnat.* Montaniſtis damnatis, ipſoque Tertulliano, qui Montani deliria amplexus fuerat, & poſt conuictos Romæ in celebri conſeſſu per Gaium eximiæ doctrinæ, vitæque ſanctiſſimæ Theologum, in Proclo Cataphrygas, diris deuoto. Demùm vbi ſtatuit ne vltra ad ſacra Myſteria ligneus Calix adhiberetur, ſubſtituto vitreo, ſub Heliogabalo extinctus *221. 20. Auguſt.* eſt, duodeuiceſimo regiminis anno completo.

*Calliſt.* *XVII.* *26. Aug.* Calliſtus Zephyrino ſuffectus, vt quater in anno ieiunium ex more ſeruaretur edixit; ad Martyrum ſepulturam via Appia 331 Cæmeterium, quod ab ipſo nomen Etiamnùm habet, conſtituit; tum addictus vinculis variè tortus eſt, ac è feneſtra carceris in ſubjectum puteum præcipitatus; vt ſi quid vigoris ignei aliæ pœnæ reliquerant, aqua extingueret, ſexto Pontificatus *Martyrium 226 12. Octob.* anno.

*Vrbanus* *XVIII.* *226. 18. Octob.* Sors mitior non excepit *Vrbanum*, *Pontianum*, & *Anterum*, qui ordine poſt Calliſtum Eccleſiæ præfuerunt. Vrbanus quidem conflatis non paucis ad ſacra Myſteria ex argento vaſis, & multis quos Eccleſię adlegerat, ad Martyrij gloriam in-

ſtigatis, vt de Tiburtio & Valeriano ſacræ Tabulæ referunt, ſeptennio regiminis nondum completo, ſub eodem Alexandro Mammeæ cœſus eſt. 233. 25. Mai.

Pontianus vero in Sardiniam ſub eodem Imperatore deportatus, Maximini juſſu quarto poſt anno peremptus locum Antero fecit ad menſem vnicum. Eum fato adeo celeri abreptum dicunt, quod Acta Martyrum, quæ ex Clementis decreto Notarij excipiebant, diligenter conquiſita prodere noluiſſet. *Pontian. XIX. 233. 25. Iunij.* *Anter. XX. 237.*

Fabianus ad prodigium columbæ, eius in medio eligentium conſeſſu inſidentis capiti, Antero ſuffectus, vt Acta Martyrum fidelius exciperentur, ad ſeptem Notarios totidem in Vrbis regionibus ijs excipiendis conſtitutos, ſeptem Diaconos adjunxit. Priuatum hæreſeos in Affrica reum anathemate damnauit: ab Origene Romam accito doctrinæ, quam præter fidei normam tradere accuſabatur, rationem exegit. Philippos Imperatores poſt baptiſmum reos non ante ad paſchale ſacrum admiſit, quam exomologeſi publicâ Deo & Eccleſiæ ſatisfeciſſent. Pace tandem quâ tunc frui dabatur Eccleſiæ, ſanctiſſimè vſus, ad Martyrum ſepulchra Eccleſias ædificauit; quod & alibi à præſulibus factum eſſe memorant. Quamquam Decianæ perſecutionis poſt Philippos cœſos tempore compertum eſſe Cyprianus deplorat; paci, quæ ad externa Chriſtianitatis decora valde profuerat, internæ ipſius pietati noxiam fuiſſe. Pia enim ſollicitudo, quam perſecutio *Fabianus XXI. 237.* *Origenes accuſatus.* *Pœnitentia publica.*

exacuit; conſeneſcere in pace ſolet. Ad im-
*Martyrium* 253. 20. *Iunii.* prouiſum itaque Decij turbinem cœſo Fabiano, decimo quinto completo Pontificatus anno, adeo perculſi Romæ Chriſtiani ſunt, ut non niſi poſt annum ad noui electionem Papæ conuenire auſi fuerint.

*Cornelius* XXII. 254 *Cornelius* poſt annum à Fabiani nece in ſolium Pontificium vnanimi ſuffragatorum conſenſu promotus, nonnullis contrà ipſum impulſore Nouato Affricano pſeudopræſule *Schiſma.* intrudentibus Nouatianum Rom. Preſbyterum. Cùm verò & comprimendis ſchiſmaticis, & reſtituendis poſt pœnitentiam lapſis ſtrenuè allaboraret; Gallo & Voluſiano perſecutionem inſtaurantibus Centumcellas in exilium eiectus eſt; ibique acceptis *Martyrium* 256. à Cypriano diuiniſſimis ad ſolatium literis, altero ab electione anno nondùm completo, interfectus eſt.

256 Non mitius actum cum *Lucio*, *Stephano* & *Sixto II*. ordine Cornelium & in dignitate, & in Martyrio, quod tunc perpetuum *Lucius* XXIII. dignitatis coronamentum erat, ſecutis. *Lucius* enim non citius Papam quàm exulem fuiſſe innuit Cyprianus, in Epiſtolà quam ad ipſum gratulatoriam ſcripſit. Nec reuo-
257 catus eſt ab exilio, niſi vt pelleretur à vità, nondum completo dignitatis biennio.

*Stephanus* XXIV. 257 *Anabaptiſmus.* *Stephanus* autem Aſiaticis, ob Anabaptiſmum hæreticorum, Authore Firmiliano Iconienſi præſule ſancitum, à ſua communione reiectis; & Cypriano, qui eumdem errorem in Affricà tuebatur, ad ſanam fidem per literas, quibus *nihil innouandum, ſed id ſeruandum, quod traditum*

*eſſet* aſſerebatur, ſollicitato; Valeriani & Gallieni juſſu peremptus eſt tertio Pontificatus anno. Dum Templo Martis, quò ad ſacrificandum ab impijs pertractus erat, prece conuulſo; territiſque indè ſatellitibus ad cæmeterium Lucillæ euaſit; ibique cruenta hoſtia fieri meruit non procul ab altari; in quo Chriſtum incruento ritu mox immolauerat. Vetuiſſe dicũt ne viri ſacri veſtibus ſacris alibi, quàm in Eccleſiâ vterentur. Anno poſt nec illo integro *Sixtus II.* eiuſdem Valeriani juſſu peremptus eſt in cæmeterio Calliſti. Cum anteà hæreſeos Sabellianæ ortum ex literis Dionyſij Alexandrini didiciſſet.

*Martyrium 260 2. Auguſt.*

*Sixtus II. XXV. 260. 24. Septemb.*

Poſt Sixtum *Dionyſius* ex Anachoretà Eccleſiæ ſummus Hierarcha factus eam ad duodecimum inchoatum annum ſapientiſſimè rexit. Damnatis Sabellii & Samozateni contrarijs placitis, Dionyſium Alexandrinum à Pentapolitanis quibuſdam accuſatum, quòd ſcribens in Sabellium diuinas perſonas ſubſtantiâ quoque diuiſiſſet, innocentem dixit. Reuocatis ad Eccleſias ſacerdotibus, quos Valeriani furor diſperſerat, limites inter Parochias & Diœceſes conſtituit, ne dùm alter alterius fines temerè tranſilit, turbarentur miniſteria, & charitas violaretur. Capto intereà à Perſis Valeriano, pace frui datum eſt; vt in pace Papa decedens coronâ Martyrij priuaretur, quam hactenus deceſſores obtinuerant. Si tamen coronâ priuatur ille Martyrij, qui deficiente qui torqueat, ſe tamen ad pœnas paratiſſimum ſemper prodit,

*Dionyſius XXVI. 261. 22. Septemb.*

*Sabell. & Samozat. damnat.*

*Parochias determin.*

*272. 26. Decemb.*

*Felix XXVII.* 273. 1. *Ianuar.* Recrudeſcens intereà ſub Aureliano perſecutio *Felicem* Dionyſio ſuffectum, inchoato tertio Pontificatus anno corripuit, cum antè Sabellij & Samozateni hæreſes ſcriptâ ad

275. 30. *Mai.* Maximum Alexandrinum Epiſtolâ confutaſſet; & vt ſepulchra Martyrum pro altari eſſent ad ſacrificium, conſtituiſſet. Paulò

*Eurych. XXVIII.* 275 5. *Iun.* diutiùs *Eutychiano* ſupereſſe datum eſt; ſed non quietiùs decedere. Ex pietate Martyribus ſepeliendis impensâ (ſupra tercentos propriâ manu ſepeliſſe dicitur; & ne ſine dalmaticâ, aut colobio purpureo ſepelirentur, conſtituiſſe) Martyr ipſe fieri meruit,

283. 13. *Decemb.* poſt octo ab electione annos. Conſtituit

*oblario & benedictio frugum.* etiam, vt fruges, fabæ, vuæ, & ſimilia, ad altare benedicerentur. Nimirùm, vt quod jam fiebat ex more, ſeruaretur etiam ex lege, & ex obliquo refelleretur Manichæo-

*Manichai* rum tunc incipientium veſania, quæ illa, quaſi à malo Principio exorta, maledicebant.

*Caius XXIX.* 283. 22. *Decemb.* *Caius* tunc poſt Eutychianum præeſſe Eccleſiæ cepit, cum Diocletianus, cuius nepos ex fratre fuit, Imperio. Mirùm ſanè quod perſecutionis ferociâ truculenter deſæuiente, ſuprà duodecim annos vitam in dignitate duxerit. Si tamen toto illo tempore in viuis verè fuit, quod intra fidelium tumulos tranſegit. Abductus tandem indè non eſt à ſatellitibus, niſi vt Tyranni juſſu verè mortuus

296. 22. *April.* eò referretur à Chriſtianis. Ne quis ad Epiſcopatum niſi per ſeptem inferiorum Ordi-

*Septem Ordines.* num gradus promoueretur, vt jam tùm ab initio fieri conſueuerat, dicitur vetuiſſe.

Vt ex pœnâ Caij valde ingemuerit Eccle-

ſia, magis tamen ex *Marcellini* Caio ſuf- *Marcell.*
fecti culpâ. Quippe vt violenta Pontifi- *XXX.*
cum mors ex vſu tolerabilis., & ex pie- *296.* *3. Mai.*
tate venerabilis erat; ita culpa in fidem
ex raritate pro monſtro fuit. Vt enim ha-
ctenus, qui ſuo fato obierit vix vnus aut al- *Caſus.*
ter fuit; ita qui in fidem peccauerit, nul-
lus. Quamquam ex culpâ oblati ad Idola
thuris ad redimenda ſuplicia illuſtrius
enituit Marcellini virtus; vt quam tum ex
acerbiſſimâ pœnitentiâ; tum ex audaciſſi-
mo facinore prorſus abſterſerit. Cum enim
in Sinueſſano Præſulum cœtu, vt pœniten- *Pænitētia*
tia ſibi imponatur non obtinet (*Primam
Sedem nullius iudicio eſſe obnoxiam vno-
quoque agnoſcente*) Romam repetit, & ad-
miſſæ culpæ ignominiam in Tyranni Ma- *304.* *26. Apr.*
ximiani ſæuitiam palam ingerens, ab eo
pœnam accerſit, quā à Concilio pœniten-
tiam non impetrauerat. Et ſic ſi quid cul-
pæ lachrymæ minùs abſterſerant ſanguis
aboleuit octauo Pontificatus anno.

# FLORI CHRISTIANI LIBER TERTIUS.

## CAPVT PRIMVM.

### *Prologus Anacæphaleoticus.*

MILITIAE Chriſtianæ qui nomen dant eam ſolam miſſionem ſperent, quam mors dederit. Id iam ex perſecutionibus, quas ſubinde exceperunt hæreſes, probatum. Id & probabunt hæreſes, quas ſubinde perſecutiones excipient. Nam ab exceſſu Conſtantini ad Theodoſii Iunioris tempora (qui ſunt iſtius libri termini) ab Arianis, Origeniſtis, Pelagianis quantum procellarum incubuit? Ab Ethnicis etiam quid non tentatum? Siue iſtos bellicus in Oriente furor armauerit; ſiue illos ſuo ipſum in ſinu Imperium fouerit, dum Iulianum; qui vnus, pro multis Tyrannis fuit. Adeo nullus eſt hoſtis capitalior, quam

qui aliquando Amicus fuit. Hæc omnia etſi inuoluta inter ſe & confuſa in actu fuerint; diſtinguam tamen in ſcripto: vt quæ ex ſui ſpecie, & ex patrantium animo horrorem pariunt, gratiæ aliquid habeant ex ordine narrationis.

## CAPVT II.

## *De Conſtantini liberis.*

A Conſtantini liberis non ſtatim, cum fide, hauſta humanitas: aliquantò difficilius fuit eos facere ex vero homines, quàm Chriſtianos. Si tamen illi bonâ fide Chriſtiani, quibus ex Ethnicâ ferocia plurimum hæſit poſt Baptiſmum. Id quam manifeſtum in iſtis: in eos non eſt viſus diſtribuiſſe Romanum orbem moriturus pater, niſi vt haberet alter, quò alterum opprimeret, & per mutua parricidia Imperium ſinguli auſpicarentur. Quamquam id fortè non tàm vitium fuit idololatriæ nondum benè purgatæ, quam ambitionis; quæ in Principibus ſupra Religionem eſt. Fuere porrò Conſtantino tres filii; Conſtantinus, Conſtans, & Conſtantius. Primo obtigere cuncta trans Alpes: Alteri, quæ Alpibus & Propontide continentur vnà cum Inſulis, & Africa: Conſtantio demùm Aſia cum Ægypto. Magnum ſinguli & duraturum habebant Imperium; ni per ſæuitiam illud ipſi primò, deinde per diſcordias & impietatem perdidiſſent. Conſtantius enim, vix dum benè ſepulto patre, duos patruos Conſtantium

*336 Imperium diuiſum.*

*Conſtantij inhumanitas.*

# FLORI CHRISTIANI LIBER TERTIUS.

## CAPVT PRIMVM.

### *Prologus Anacæphaleoticus.*

MILITIAE Chriſtianæ qui nomen dant eam ſolam miſſionem ſperent, quam mors dederit. Id iam ex perſecutionibus, quas ſubinde exceperunt hæreſes, probatum. Id & probabunt hæreſes, quas ſubinde perſecutiones excipient. Nam ab exceſſu Conſtantini ad Theodoſii Iunioris tempora ( qui ſunt iſtius libri termini ) ab Arianis, Origeniſtis, Pelagianis quantum procellarum incubuit? Ab Ethnicis etiam quid non tentatum? Siue iſtos bellicus in Oriente furor armauerit; ſiue illos ſuo ipſum in ſinu Imperium fouerit, dum Iulianum; qui vnus, pro multis Tyrannis fuit. Adeo nullus eſt hoſtis capitalior, quam

qui aliquando Amicus fuit. Hæc omnia etſi inuoluta inter ſe & confuſa in actu fuerint; diſtinguam tamen in ſcripto: vt quæ ex ſui ſpecie, & ex patrantium animo horrorem pariunt, gratiæ aliquid habeant ex ordine narrationis.

## CAPVT II.

### *De Conſtantini liberis.*

A Conſtantini liberis non ſtatim, cum fide, hauſta humanitas: aliquantò difficilius fuit eos facere ex vero homines, quàm Chriſtianos. Si tamen illi bonâ fide Chriſtiani, quibus ex Ethnicâ ferocia plurimum hæſit poſt Baptiſmum. Id quam manifeſtum in iſtis: in eos non eſt viſus diſtribuiſſe Romanum orbem moriturus pater, nisi vt haberet alter, quò alterum opprimeret, & per mutua parricidia Imperium ſinguli auſpicarentur. Quamquam id fortè non tàm vitium fuit idololatriæ nondum benè purgatæ, quam ambitionis; quæ in Principibus ſupra Religionem eſt. Fuere porrò Conſtantino tres filii; Conſtantinus, Conſtans, & Conſtantius. Primo obtigere cuncta trans Alpes: Alteri, quæ Alpibus & Propontide continentur vnà cum Inſulis, & Africa: Conſtantio demùm Aſia cum Ægypto. Magnum ſinguli & duraturum habebant Imperium; ni per ſæuitiam illud ipſi primò, deinde per diſcordias & impietatem perdidiſſent. Conſtantius enim, vix dum benè ſepulto patre, duos patruos Conſtantium

336 *Imperium diuiſum.*

*Conſtantij inhumanitas.*

& Dalmatium vel trucidari iuſſit; vel quod perinde eſt, trucidatos à militibus diſſimulauit. Eis dati ad mortem ſocii, Dalmatius & Annibalinus Dalmatii filii. Nec parcitum eſſet Gallo & Iuliano Conſtantii occiſi liberis, niſi eis ætas tenerior pro præſidio fuiſſet. Nempè vt Gallus poſtea luctuoſiùs periret, eiuſdem Conſtantii iuſſu; & Iulianus Imperium perderet idololatriâ reſtauratâ. A patruorum & patruelium cladibus, ventum ad mutuas; vt qui alios ab ſpe Imperii deiecerant, ſe mutuò à poſſeſſione ex-

340 *Bellum ciuile.* turbarent. Hinc Conſtantini in Conſtantem molitio. At in ipſo conatu ad Aquileiam peremptus; à ſuis meritò excidit, qui alienis inhiauerat. Nec Conſtantis diu certa potentia, quamquam fraternæ acceſſione fir-

350 *Magnentius.* mior. Eum enim Magnentius Galliarum Prefectus ad Pyrenæos interfici curauit; ut cuius cruore irrubuerat, eius etiam purpurâ clareſceret. Nec abludere tùm viſa fortuna, cæſo etiam per Præfectum Anicetum Romæ Nepotiano Conſtantini Magni ex Eutropia ſorore nepote, qui poſt necem Conſtantis auunculi ſe Imperatorem dixerat. Sed non diu poſt Tyrannus agnouit, quàm in lubrico ſit ille, qui ſolium legitimi Prin-

352 cipis ſanguine reſperſum inſedit. Conſtantius enim redacto in ordinem Vertranione, quem ex Magiſtro militum exercitus in Pannonia Auguſtum dixerat; ipſum Magnentium non vno prælio ibidem fregit: & vt ipſe ſibi ex deſperatione manus Lugduni inferret, adegit; vt qui fuerat in alio parricidii author, in ſe eſſet patrator ex Dei iudi-

cio. Eâ victoriâ ſe dignum Conſtantius tum fecerat, niſi illam poſtea per impietatem & ferociam commaculaſſet. Nullum enim, qui non eſſet in caſtris Eccleſiæ per Baptiſmum, in ſuis voluit per Sacramentum. Inde pluribus ad *Paganitatem*, hoc eſt, extra militiæ decus abiectis, factum eſt, vt idololatræ poſthac *Pagani* vulgò audierint. Sic Imperii membra in idem rurſum corpus coaluere ſub Conſtantio. Nimirùm vt latiùs ſe proferret in membra impietas Ariana ex infecto capite. *Conſtantij pietas* *Pagani.*

## CAP. III.

### *Anacephalæoſis de Arianis.*

ARius ita fuit vnus hoſtis Eccleſiæ, vt multos ſimul è ſuo ſinu effuderit. Ex eo natæ Hæreſes, Ariana, Macedoniana, Photiniana, & aliæ. Orta ſchiſmata Feliceum, Vrſicinium, Luciferianum. Perſecutiones effuſæ; Conſtantii in toto Imperio, Valentis in Oriente, Oſtrogothorum in Italia, Viſigothorum in Hiſpania, Vuandalorum in Africa. Adeo hunc non Hæreſiarcham tantùm; ſed ex omnibus conflatum hoſtibus, & pluſquam hoſtem rectè dixeris. Cæterùm de Gothis & Vuandalis agetur infra commodiùs. Hic alia breuiter, & quantum dabitur, ordine exequenda.

## CAPVT IV.

## *De Ario & ejus hereſi.*

NE rebus Eccleſiæ ad votum vbique
fluentibus virtus Chriſtiana marceſ-
310 ceret, permiſſum Ario ſigna tollere, ut
*Arius ex-communicatus.* Ethnicis aduerſus Eccleſiam ſufficeretur.
Hunc Alexandrinæ Diaconum Eccleſiæ fi-
delium cœtu mouerat Petrus Epiſcopus, à
quo ipſe, Meletio in ſchiſmate fauens, ſe di-
uulſerat. Nec quamquam facti in ſpecie pœ-
nitentem vnquam illum recepit in gra-
tiam: quem audaciori facinore, laceratu-
rum Eccleſiam, ex visâ Chriſti diſciſsâ veſte,
in extaſi prænouerat. O ſi ſanctum Præſu-
lem, vt in dignitate, ſic in ſeueritate ſecutus
Achillas, impium donatum veniâ ad Sacer-
*In gratiã receptus.* dotium non promouiſſet; ſalua erat ſua Ec-
cleſiæ integritas: nec enim admiſſus in eam
eſt, niſi vt conuelleret. Id certè conatus,
quando *Chriſtum, ex nihilo in tempore fa-*
*Hæreſiarcha.* *ctum, non eiuſdem cum Patre ſubſtantiæ, ſed*
*tantum ſimilis aſſerüit.* Hæreſim iam olim
ab Apoſtolis in Ebione, Cerintho, & aſſeclis
315 proſcriptam anathemate in Synodo Alexan-
drina ſtatim perculit Alexander Patriarcha.
*Damnatur.* Nempe vt Hereſiarcha vnà excluſus ex vr-
be innumeras Oriente toto corrumperet.
Ad periculum, ex Syluestri Papæ & Con-
ſtantini iuſſu trecenti octodecim Præſules
325 Niceam Bythiniæ conuenere. Nec dubita-
tum de victoria, cuius in vrbe dabatur omẽ.
Et plerique Præſules, in triumphalibus vul-
nerum notis, quæ ſub Diocletiano accepe-
rant,

rant, pręiudicium pręferebant. Ab illis
adactus ad palinodiamHereſiarcha;& *Sym-*
*bolum*, quo Chriſti aſſereretur *Conſubſtan-*
*tialitas*, conſcriptum. Pœnitentiam ſimu-
lauit impius, cui ſuus adhuc placebat error.
Ideo vna excluſus Alexandria; alibi agere
ſine noxa permiſſus eſt. Ipſe verò, quia fi-
dem ipſam aperte impetere non licebat, in
eiuſdem vindicibus attentabat per ſuos ſeu
patronos, ſeu diſcipulos; vſus etiam ad hoc
Meletianis, quorum olim ſe commercio
polluerat. Hinc de indicto Ægyptiis lintea-
minum pro Eccleſia tributo Athanaſius Ale-
xand. Patriarcha accuſatus apud Conſtan-
tinum. Sed vt ex detecta calumnia, eius
innocentia fieret illuſtrior, quando Euſeb.
Nicomed. & Theognis Nicenus præſules, 329
primarij fraudis Architecti, (qui etiam ob
Ariani dogmatis patrocinium Niceno in
Concilio deiecti, & poſtea ob pœnitentiam
ſimulatam reſtituti fuerunt) in exilium
miſſi ſunt. Nimirùm vt anno poſt reuo-
cati calumnias redintegrarent: & non
iam futilia appingerent; ſed ſacrilegium,
ob fractum Calicem per Macarium Preſ-
byterum; & homicidium ob occiſum Arſe-
nium præſulem Meletianum, imputarent.
Eò demum proceſſit impia temeritas; vt
quamuis Arſenius ipſe, quem aliquandiu
veteratores ſacrilegi abditum tenuerant,
palam prodiens, eorum artes & perfidiam
prodidiſſet; in Tyriâ tamen pſeudoſynodo
innocentiſſimum Patriarcham Euſebiani 335
condemnauerint, fruſtra contra vim & *Athana-*
fraudes Athanaſio ipſo, & alijs Catholicis *ſius dam-*
*natur.*

Præſulibus obluctatis. Spes tamen erat, vt ſuam Imperatori, ad quem Byzantium confugerat, innocentiam probaret, accitis ad hoc aduerſarijs, (qui Tyro interea Hieroſolyma, ad Encænia celebranda digreſſi, Arium innocentem dictum Alexandriam redire permiſerant. ) ſed qui Byzantium ex Euſebianis aduenere (nec enim omnes ſe ſiſtere auſi ſunt ex criminum conſcientia) cum antiquæ calumniæ parum ex voto cederent, nouam excogitarunt; ac ſuperbum Patriarcham minatum eſſe, impediturum ſe, ne frumentum Alexandriâ Conſtantinopolim deueheretur, corruptis ad id conteſtan-
336 dum quinque Præſulibus, qui pro ipſo Tyri ſteterant, Imperatori credulo perſuaſerunt.
*Exulat.* Hinc Athanaſius tandem tamquam Majeſtatis reus Treuerim amandatus. Et eius Princeps quam fidem tot in acie periculis, tantâ in Synodo curâ vindicauerat, eamdem ſuorum fraude concuſſit in eius Athleta firmiſſimo. Quin & eam periculoſius forte labefactaſſet, ni pernicioſum conſilium prodigio Deus præuertiſſet. Cum Arius Alexandria, vbi ſtatim ab acceſſu grauium turbarum auctor fuerat, Conſtantinopolim accitus eſſet, ac ſe apud Imperatorem, Niceno Symbolo aquieſcere ex animo deierasſet, ei communionis Catholicæ intra Eccleſiam ſpes facta in craſtinum eſt, annitentibus Euſebijs Nicomedieſi & Cæſarienſi, (vnde *Euſebiani*) ac vim minantibus, ſi jus non valeat, qui nullum vnquam jus nouerant, niſi quod vis fecerat. Iis in anguſtijs Alexander Epiſcopus, cum aduerſus pericu-

lum; humanum non adeſſet auxilium, diuinum precibus acciuit. Et id pro victoria fuit. Quippe Eccleſiam non adijt Arius quam diſciderat, ſed ab itinere ad latrinas ventris onere retractus, efflauit animam, quibuſvis ſordibus magis purulentam. *Arius in latrina interiit.*

## CAPVT V.

### *De Arianorum ſeu Euſebianorum molitionibus in fidem ſub Conſtantio.*

Concidere viſa hæreſis cum Hæreſiarcha, ex Conſtantini morte reuixit. Athanaſium quidem ſuæ reddi Eccleſiæ curauerat Conſtantinus iunior; eumque nouis oneratum calumnijs, innocentem dixerat Iulius Pontifex in Romana Synodo. 338
Antiocheno tamen in Conuentu à reis iterùm damnatus eſt Innocens, & Romam fuga dilapſus; ſubſtituto in eius locum Gregorio Capadoce, qui Alexandrinam Eccleſiam non regeret, vt Paſtor, ſed vt lupus & latro diuexaret: donec poſt Sardicenſe Concilium ob cœdes & ſacrilegia trucidatus eſt. 341 *Athanaſij perſecutiones.*
Eo quippe in Concilio damnatis Euſebianis Athanaſius reſtitutus eſt, non annuente ſolùm, ſed in ſpeciem etiam reditum ei gratulante Conſtantio. 349
Nimirùm vt ab eodem poſtea (qui ei Georgium Capadocem, ab Ethnicis aliquot annis poſt, Deo impium per impios vlciſcente, cæſum, ſuffici curauit) atque etiam Iuliano & Valente poſſet iterũ eijci, & ad latebras agi. O gloriã Exu- 356

lis, cui de trium Imperatorum viribus triumphare datum eſt. Ei enim fuga & latebræ ſupra omnem pugnam & Victoriam glorioſa fuerunt. Nec altius vmquam alios ſupra coæuos præſules ſe extulit, quàm dum infra terram in ciſterna, vel tumulo delituit! Mirum profectò, nihilo ſegniùs pro vno Prǽſule,quàm pro rei ſummà dimicatum eſſe. Nempe ea tunc Athanaſij laus fuit; vt nec damnari poſſe ſaluâ fide; nec abſolui ſaluâ hæreſi creditus ſit. Inde ſuis in Conciliabulis perduellium in eum molitiones, & ex aduerſo Catholicorum pro ipſo ſtudium. Inde eiurato in ſpeciem Ario, & admiſſo Niceno Symbolo, nihil ſe malle ſæpè quàm pacem profeſſi ſunt, dùm eius ſanciendæ victima Athanaſius eſſet. At cum eo damnari ſemper ab impijs, quàm eum damnare cum impijs Catholici maluerunt. Sic ſuam innocentiam in tuto ponunt, dùm
353 alienam non premunt. An vnquam Iulij Romani, Oſij Cordubenſis, Maximi Treuerenſis,&aliorum Præſulum ſanctitas illuſtriùs enituit, quàm cum in eos, quod Athanaſium non damnarent, dictum eſt anathema, Philippis in Thraciâ, ab ijs qui à Catholicorum Sardicenſium Synodo transfugerant? Quæ innocentia omnibus fermè Ægypti Præſulibus; necnon Paulino Treuerenſi, Lucio Anneo Moguntino, Hilario Pictauienſi, Rodannio Tholoſano, Dionyſio Mediolanenſi, Euſebio Vercellenſi, & aliis Prǽſulibus tantum gloriæ comparaſſet; quantum damnatos, cruciatos & magnam partem cæſos eſſe in exilio; quod Arelatis,

*Multi pro Athanaſio damnati.*

Mediolani, Biterris, & Arimini in Pſeudo-ſynodis damnationi Athanaſij non acquieuiſſent. Deum immortalem! quanti multis innocentibus conſtitit vnius innocentis negata damnatio? Enimuerò per Athanaſij quaſi latera fidei iugulum petebatur; eamque pro virili à Præſulibus integram ſeruari oportuit, quietis, ſedium, atque etiam vitæ diſpendio; cum eam non hæreticorum dumtaxat præſulum & apertis molitionibus, & occultis dolis labefactari cernerent; ſed ab Imperatore etiam totius Imperij viribus opprimi. Totus enim pro perfidis Conſtantius erat, quem Euſebia vxor ad Hæreſim pellexerat. Ad id etiam incubuit Euſebius cubicularius, cum Gregalium Spadonum non paruo numero, quos Arianis imprimis addictos dicunt; quaſi ſterilium illa natio ignominiæ ſuæ ſolatium reputaret, ſi nec in Deo agnoſceretur generatio. Sed à nullo largiùs hauſta peſtis, quàm à Valente Murſi in Pannonia Præſule poſt Magnentium victum. Quippe victoriæ per ſuos ad hoc diſpoſitos certus impoſtor, eam omnium primus Imperatori aperuit; eique iubenti nuncium rei tam fauſtæ intromitti; reſpondit eam ſibi ab Angelo reuelatam. Inde maior Principis erga Pſeudoepiſcopum reuerentia. Nec dubitatum quin eius fides ex Deo eſſet, quem Deus ſecreti conſcium fecerat: vt mendacis ille fidei vindex fieret, qui mendacio prophetam ſe venditauerat.

*Conſtantius Arianus.*

*Valentis Epiſcopi Ariani impoſtura.*

353

## CAPVT VI.

### *Sextum in Eccleſia ſchiſma Felicianum ab Arianis excitatum.*

NOn tandem in hoc Eccleſiæ diù grauis fuit Conſtantius, quòd in eam tota virium mole Arianos adiuuerit: ſed etiam quod ipſius inter ſe membra commiſerit, *Schiſmate Feliciano*. Occaſio ex Athanaſio, qui tunc non tàm hominis nomen erat, quàm criminis; an virtutis! Eum à Sardicenſi Concilio dictum innocentem, ad mi-
353 nacia Conſtantis fratris monita Conſtantius reſtituerat. Nempe, vt immemor promiſſi, ac etiam Sacramenti, reſtitutum eijcerèt. Nuntio enim ſibi, de victoriâ ad Murſum, à Pſeudo-Propheta Valente dato, remunerando ſe parem non credidit, niſi eius ſectam & victricem faceret. Hinc haud ægrè Athanaſij Arelatis expreſſa damnatio; in quem etiam Vincentius Capuanus, & Fortunatianus Aquileienſis Antiſtites, Liberij Pontificis tunc ad Conſtantium Legati; nec non alij non pauci contulere ſuffragia, pro
355 quo non ſemel antea ſtrenuiſſimè ſteterant. Nec ægriùs poſteà Mediolani dicta in eumdem ſententia, eiectis in exilium, atque adeò magnam partem cæſis, qui damnationi non acquieuerant. Inter exules eminuit *Liberius* Papa, qui alios dignitate exceſſerat. Et inde *Schiſma*, dum in eius Beræam Thraciæ amandati locum Fèlix à Conſtantio ſubrôgatur. Tunc Romæ quoddam quaſi fuit Religionis Iuſtitium; dum &

*Liberius Papa exulat.*

ſuas Eccleſias horrent Catholici, quas ſuâ præſentiâ Antipapa fœdaſſet. Mollitus inde Conſtantius faciliùs Romanis matronis indulſit, vt reduceretur Pontifex, dum ſimul Pontificatus particeps Felix permaneret. Sic indulgentiâ ſubdolâ plus nocuit Eccleſiæ, quam apertâ ſæuitiâ; Nam quam ſæuiens non concuſſit, indulgens diuulſit: dum ipſam gemino ei attributo capite diuiſit. Nec enim ſalua eſſe poteſt Eccleſia; ſi non ſit vna; & vni tota. eam qui diuidit, tollit. Ab exilio igitur Liberius rediјt; ſed vt infirmitatis humanæ triſte documentum eſſet. Sirmium enim ad Arianorum pſeudoſynodum perductus fidei formulam approbauit, vel eo ſuſpectam, quod quamuis Photinianos Catholicè damnaret; ab Hæreticis tamen conficta, in Athanaſium anathema diceret, & *Conſubſtantialitatis* vocem, in quâ vnâ rei cardo vertebatur, non admitteret. Quanquam ſuum tueri factum potuit; cùm aliorum exemplo; tum Oſiј; qui centenario major; poſt exilia, cruciatus, & carceres, cum impiјs tandem aſſenſus eſt; Fideles tamen omnes, ipſumque Felicem ingenti pauore perculit. Adeò ſæpe auerſamur in aliјs, quod in nobis ipſi non erubeſcimus. Quin ex Æmuli culpâ ad ſuæ conſcientiam & pœnitentiam adductus quæ *Sirmiј* contra fidem & Athanaſium geſta fuerant reſcidit; ac nobili fiduciâ verum ſe Pontificem tùm prodidit; quando alter ignauâ ſocordiâ eſſe deſiјt. Inde magna Romæ ſeditio; cum etiam in eos ferro ſæuiretur, qui Liberium non admitterent. Eò demùm res adducta eſt,

*Felix eò ſufficitur.*

356.

357.

*Liberij caſus. Et Oſij.*

*Felicis zelus.*

*Et martyr* vt ipſe Felix capite damnaretur, vt ſi quid maculæ aſſumpta per nefas Pontificia purpura inuſſerat, dimiſſa per infractam conſtantiam abſtergeret. Nec tamen propterea admiſſus ante Liberius, quàm Arianiſmo iterum damnato, Papam ſe planè probaſſet.
*Liberius* Nec id in ſpeciem; vt qui non diu poſt exu-
*reſipiſcit.* lare ſecundo maluerit; quàm per vim & fraudem extortum ab Ariminenſibus Epiſcopis Symbolum approbare. Fuit & magnum Eccleſiæ, inter illas clades, ſolatium
*Item* ex Oſio & alijs, qui paſſim ſuo relicti arbi-
*Oſius.* trio, aſſenſus coacti culpam voluntariâ pœnitentiâ emendauere.

## CAPVT VII.

### *De Varijs Arianorum fidei formulis.*

MIrum ex Arianâ ſcintillâ tantum orbe toto conflagraſſe incendium. Scintillam voco dogma, quo Sectarij vnius mutatione literæ fidem inuertebant ex ὁμοούσιον, facto ὁμοιούσιον. Quantò grauius periculum incubuiſſet, ni mutatis ſubinde fidei formulis à veritate, quæ fixa & eadem ſemper eſt, alienos ſe prodidiſſent? Nam agnitam
341 Antiochiæ in Dei Filio *Subſtantiam paternæ Similem* Sirmij reiecerunt. Ad nouitatem cum exhorreſcerent Ancyrani eiuſdem ſectæ eodem tempore congregati Præſules, conflatum eſt inter ipſos Schiſma; quod vt componeretur, decretum, vt *ſuppreſſa ſubſtantiæ tanquam diſcordiarũ ſeminario voce, Filius per omnia Patri ſimilis diceretur.* Nimium id viſum Conſtantio, qui etiam Sirmien-

mienſem formulam ut minutiorem abiecerat. Ideo legatos ad ſe ab Ariminenſi Concilio Niſſam Thraciæ miſſos compulit, ut *Filius Patri duntaxat ſimilis diceretur.* Id nimirum ex Valentis officina, qui impietatis virus verborum ambiguitate operiens, credidit ſuam ſe fidem ponere ſupra cenſuram, dum confeſſus eſt *Filium Dei, non eſſe creaturam, ſicut alias creaturas*: Quaſi ob id filium Dei minus creaturam diceret, quod cum alijs maiorem agnoſceret. Iuit vltra Acacius, qui *Filium confeſſus Patri voluntate ſimilem, Deo diſsimilem dixit* in Seleuciana 359
pſeudo ſynodo. Nec maior iſtius erga Patrem reuerentia; quem ubi *non colentem, & à Filio, qui colens eſt, cauillatur diſsimilem, ἀσέβεα, hoc eſt, Impium illum dicere non exhorruit.* Quid quod Eudoxius, Eunomius, Aëtius & ſimilis farinæ alij *Verbum & Voluntate Patri diſsimile blaſphemarunt?* Nec magis eius eſſe naturæ particeps; quam pictura humanæ. Proh! Quantum exorbitat Impietas, vbi ſemel deflexit à recto. At probra hominum, & Eccleſiæ Carcinomata; Vobis-ne fuerit aliqua fides, quam aliam atque aliam effinxiſtis? Nullam habuiſtis, quia plures. Nec magis in alijs Eccleſiæ placitis ſe prodidere pios: quid enim non violent in Deum Impij? Anabaptiſmum recipi paſſim placuit: Sic Donatum demereri oportuit, qui Arij dogma probauerat. Vnam cœleſtium notitiam ad ſalutem ſatis eſſe docuere multi; Authore imprimis Eunomio: quibus nullum operum viaticum erat. Ea demum de obſcœnis moribus plurimi ſen-

ſcre, quæ vix ſalua verecundia Hiſtoricus referat. Quippe fit ferme, ut eorum ad praua cor abripiatur, quorum animus falſis acquieuerit.

## CAPVT VIII.

## *De Semi-Arianis & Macedonianis ſiue Pneumatomachis.*

ARianorum fides verſatilis & deſultoria, ut falſitatis indicium fuit; ſic ruinæ præſagium. Hinc enim Schiſma, & quod proximè inter improbos ſequitur, excidium. Nec enim diu ſtare poteſt Regnum etiã Satanę in ſeipſum diuiſum. Schiſmatis autem iam tum à contentionum initio iactum ſemen, Seleuciæ demùm in fructum
359 maturuit. Ibi dum alij ducibus Eudoxio Antiocheno, Acacio Cæſarienſi, Aëtio & aliis,
*Occaſio.* Verbum Deo *ſimile* negant, Magiſtro digni diſcipuli, audiunt *Ariani*. Alij quaſi degeneres, dum ducibus Baſilio Ancyrano, Euſtachio Sebaſteno, Macedonio Byzantino & aliis Dei filium, cum in aliis, tum in ſubſtantia, Patri ſimilem fatentur, dicti *Semi-Ariani* ac *Subſtantiarij*. Digladiatum diu inter partes, ac alternante victoria, dam-
359 nati Seleuciæ Ariani, Byzantii, quò euaſerant, in hoſtes anathema reciprocarunt; ex Conſtantii Imperatoris ſuffragio. At è viuis ablato Conſtantio, *Semiariani* Lampſaceno in conuentu aſſenſi Niceno Symbolo, & poſt
365 Tyanenſem Catholicorum Synodum, à Liberio Papa in gratiam accepti, vltum ibant iniuriam, ni nouam interea Hæreſim *Ma-*

*cedonius* promulgaſſet. Hic *Spiritum San-* *Hæreſis.*
*ctum cæteris quidem ſuperiorem, vnum ta-*
*men ex Angelis miniſtris dixit, & ideo na-*
*tura Patri Filioque diſſimilem.* Adhæſere
nouo dogmati *Semiariani*, necnon paſſim
populus, cui noua ſemper magis placere ſo-
lent, quam vera. Sed illud imprimis pro-
mouit *Marathonius*, ex Quæſtore Mona-
chus; Inde *Marathoniani.* Denique in tan- *Progreſſus*
tum breui robur inualuit; vt Arianorum
paſſim, ac Donatiſtarum animos inceſſerit.
Verum amplitudo tam ſubita decrementi
proximi auſpicium fuit. Concuſſa primùm 359
factio ex authoris caſu & exilio iuſſu Con-
ſtantij: In nutantem incuſſit etiam ictus
*Athanaſius*; tum ſcripto è latebris ad Sera- *Damnatio*
pionem Tmuenſem Epiſcopum libro; 360
tum in Alexandrina poſtea Synodo; vt qui 362
Diuinitatis in Verbo indefeſſus aſſertor fue-
rat, eiuſdem in Spiritu ſancto vindex eſſet.
Inualeſcens tamen rurſum peſtis Valentis
imprimis præſidio nihil ferme ſani Con-
ſtantinopoli reliquerat; vt in ea purganda 378
maiori laude Gregorius Nazianzenus deſu-
daret. Hic illam in vrbem ab Antiochena
Synodo miſſus pertinacium fregit animos,
dum eorum ſe minis & inſultibus infractum
præſtitit. Inde præualentes Catholici à
Petro Alexandriæ Patriarcha, cum ſuæ Ec-
cleſiæ Præſulem poſcunt, qui eam quaſi è
ruderibus eruerat. Inuentus tamen Maxi- 379
mus ex Cynico Semichriſtianus, qui cor-
ruptis quos Petrus Epiſcopos delegauerat,
Infulas ſibi mallet; atque adeo aſſereret.
Inde diſcordia, quæ etiam pulſo Maximo,

*Synodus etiam.* qui eam pepererat, Catholicos ipſos miſcuit. Byzantina quidem Oecumenica Sy-
381 nodus, in nouos Hæreticos à Damaſo Papa & Theodoſio Imp. indicta, abiecto Maximo, Gregorium habere præſulem voluerat: nempe vt ipſe iam vltro ſe poſſet abdicare. Interueniente ſiquidèm interea Thymotheo Alexandrino, & eum ſine ſuo ſuffragio confirmatum in ſede indignante, vltro Infulas exuit, quas inuitus induerat, & iis ſe tum maxime dignum prodidit, cum, vt indignus, poſuit. Suam dignitatem ſcandalo fidelibus eſſe noluit, qui eam non admiſerat, niſi vt ſcandalum tolleret. Nec ob id melius actum cum Hæreſi; eam enim iam proſcriptam à Patribus, in hoc concordibus, ex eremo impugnare non deſtitit: Impulſis Nectario, quem ipſi ſuffecerant, vt eam noua molien-

*Turba inter Catholicos ex Nazianzeno.*

384 tem comprimeret, & Theodoſio, vt nouis eam legum vinculis coërceret. Nempe in ſolitudine Præſulem ſe fuiſſe meminit triumphalis Anachoreta, qui in turba Præſuli Anachoretam miſcuerat.

## CAPVT IX.

### *De Arianorum molitionibus in fidem ſub Valente, & iſtius clade.*

CRedi poterat veniſſe ad ſummum Conſtantij furor, ni Valens, quem frater Valentinianus ad Imperij ſocietatem ad-
370 miſerat, vltra iuiſſet. Multis id probatum experimentis; ſed tum maxime quando octaginta Byzantinos proceres ad ſe Nicomediam de Arianorum ferocia expoſtula-

*Valentis ferocia in legatos.*

tum miſſos, deportari iuſſit in mare, & flammis abſumi. Quæ vel in Diocletiano tanta vnquam immanitas? qui cum alijs vel ſceleratiſſima permittat, alios ne de iniurijs quidem queri impunè ſinit. Ille mihi ſane, non Chriſtianus, non Princeps, ſed ne homo quidem ex vero eſt. Vexauit inſuper Athanaſium, Euſebium Samoſatenum, Meletium Antiochenum, Gregorium Niſſenum; & cùm alios innumeros primæ notæ Præſules, tum qui patratæ cladis occaſio fuit, Euagrium; quem obnitentibus Arianis, Antiſtitem ſibi Catholici Byzantini præfecerant. Nec magno Baſilio parcitum eſſet, ni Valentis in eum ſcripturientis edictum filius ſubito exceſſiſſet; manus horrendè intremuiſſet; & calamus feralem auerſatus ſententiam atramentum non reddidiſſet. Tot eum prodigijs vindicari oportuit, qui non ſeruabatur, niſi vt per prodigia Eccleſiæ tum maximè vacillantis vindex eſſet. Durauit hæc in Oriente graſſatio, donec eam Deus per Gottos ſeueritatis ſuæ ſatellites, vindicauit; quando ipſe Valens, iam vulnere in pugna prope Hadrianopolim accepto inualidus, & in tugurium deportatus ſubjectis facibus exarſit; 378
vt ille hoſtili flammâ conſumeretur, cujus furore Orientalis Eccleſia diu deflagrauerat.

*Et Præſules.*

*Baſilio prodigia patrocinantur.*

## CAPVT X.

### *De Arianorum in Occidente excidio.*

IN Occidente interea refloreſcebat Eccleſia, cum ex Valentiniani Imperatoris mitiori ingenio; tùm ex Hilarij Pictauienſis, Ambroſij Mediolanenſis, Damaſi Romani, *Hilarius.* & aliorum ſtudio. Hilarius ſanè quo animo
359 rem Catholicam promoturus eſſet in Gallijs, iam tum exul Seleuciæ in pſeudoſynodo, & Byzantii apud Conſtantium præmonſtrauerat; quando & priuatim per colloquia, & publicè per ſcripta, Niceno Symbolo ſtrenuiſſime propugnato, non in pœnam defenſę fidei à pſeudoſynodo Biterrenſi relegatum, ſed in periclitantis præſidium miſſum ſe in Aſiam, arcano Dei conſilio prodidit. Ob id in patriam remiſſus, vt defenſa fides tam eius veniæ eſſet occaſio, quam fuerat damnationis. Hilarij igitur imprimis ſtudio, Saturnino Arelatenſi, & Paterno
362 Petracoricenſi Arianorum ſigniferis exauctoratis, vera fides in Galliis refloruit. Inde *Auxentius hæreticus.* tranſmiſſis Alpibus Athleta nobilis cum Auxentio Mediolanenſi manus conſeruit; ut purulentum hominem iam tum à Dionyſii exilio illam Eccleſiam conſpurcantem, in ſuo ſterquilinio conficeret. Tunc tamen ex Valentiniani ad ambiguas impoſtoris Apologias decepti faciliori indole, euaſiſſe viſus eſt Auxentius; & Hilarius tamquam diſcordiarum Author reiectus, vt non diu poſt impoſtor eiuſdem Hilarii per literas impul-

ſu, variis in Gallicanis & Hiſpanis Synodis, atque adeo in Romana ſub Damaſo ignominia maiori concideret. Obluctata diu quidem, pro collabente ſecta Iuſtina Augu- *Iuſtina.*
ſta; ſed vt Ambroſius, quem interea ex præ- *Ambroſ.*
fecto Inſubriæ adhuc Cathecumeno mira- 374
bili ſucceſſu in locũ Auxentii defuncti fideles promouerant, illuſtrius inclareſceret. Imperatricis enim artes & vim, tanta felicitate & conſtantia eluſit & contudit animoſus Epiſcopus, vt nec Sirmio Arianum Præſulem; nec Mediolani templum ſectariis; nec vt haberetur generale Concilium, aut priuatum inter ipſum Ambroſium & Auxentium iuniorem pſeudo-Epiſcopum coram Valentiniano II. colloquium impetrare 383
potuerit. Nec prohibere demum quin Ariani Aquileiæ à finitimorum Præſulum cœtu damnarentur. Non ſibi tamen tunc defuit imperioſa & ex fruſtratis vbique conſiliis irritata fœmina. S. itaque Præſulem, ſeu arte, ſeu vi ab Eccleſia abducere, & in exilium deportare conata primò eſt. Tum quia minùs è ſententia priores inſidiæ ceſſerant; pro Ambroſio, etiam per prodigia, pugnante Deo, & populo ipſum in Eccleſia diu noctuque indefeſſe circumſtante; eum per ſicariam, cui ob id manus extemplo diriguit, & mox ad ſceleris confeſſionem ſanata eſt; domi ſuæ clam occidere tentauit. Vltra graſſaturam inhibuit terror à Maximo: qui aliquot annis ante ex Britanniarum præfecto ab exercitu dictus 383
Imper. fuerat; & in Gallias, cæſo Lugduni per Andragathium Ducem Gratiano Im-

peratore, tyrannidem promouerat. Tyrannidem igitur fœminæ Tyrannus abrupit: vt
387 poſteà Theodoſius de ipſo in Pannonia & ad
*Maxilmus. Theodoſ.* Aquileiam victor, non Imperii tantum res,
ſed & Eccleſiæ in tranquillo poneret. Ex eo
388 conſeneſcere hæreſis, flocci fieri pſeudopræſules, & *Orthodoxia* refloreſcere.

## CAPVT XI.

### *Septimam in Fidem Hæreſis Apollinariſtarum.*

*Apollinaris.* EX eodem, quo Macedonius, Arianorum ludo prodiit Apollinaris, vt nouum Eccleſiæ trophæum fieret, dum hoſtem ſe facit. Hic aliquandiu partes Catholicas animoſe tutatus tantum nominis obtinuit, vt eius magiſterio gloriatus ſit Hieronymus, qui & ipſos Pontifices inter diſcipulos habuit. At vt naues, ſic homines ſæpe ſua magnitudo mergit. Ipſe idem Apollinaris turpi lapſu docuit, inanem eſſe humanam ſapientiam, ſi eam diuina non regat. Dum enim ſuæ doctrinæ plus æquo tribuit, à diuina excidit. Non potuit non præceps ruere, qui per ſcripturarum lubrica & deuia, aſpernatus veteres, non alium quam ſe ductorem habuit. Ideo ſecutus Valentinum, Manetem & alios, iis ſe errorum anfractibus implicuit: vt opinioni veteris ſapientiæ nouam inſaniam ſaltem æquauerit. Nam Arianis ita ſe addidit, vt non magis Arianus Arius fuerit; quàm Apollinaris. Tum pertæſus, opinor, nomen diſcipuli, è ſuo multa addidit, quibus ſe magiſtrum faceret. *Triadem in Deo ità*

*finxit, vt tolleret vnitatem, maiorem Filio Patrem, & Spiritu ſancto Filium arbitratus,* vt hæreſes Macedonianam & Arianam in ſuam conflaret. Quanquam ſine aliorum ope & ſuam ipſe condidit; cum *Dei Verbum non aſſumpſiſſe hominem, ſed hominis tantum carnem, cui eſſet ipſum pro anima, commentus eſt.* In nouam hæreſim, Arianis vulgo probatam, inſurrexit ſui ſæculi Hercules Athanaſius; eamque tum Scriptis, tum Synodi Alexandrinæ decretis coërcuit. Athanaſio ſuccenturiatus Nazianzenus venit in partem victoriæ; vt eam ex aſſe reportaret Damaſus Papa in Romano Concilio.

*Impugnatur.* 262

373

## CAPVT XII.

## *Octaua in Eccleſiam Hæreſis Photinianorum.*

ARianæ Hydræ caput etiam fuit Photinus Sirmienſis Epiſcopus. Iſte quaſi non ſatis eſſet expreſſiſſe Arium in dogmate, non tantum Chriſtum verum hominem docuit (unde *Homuncioniſtæ*) ſed tunc tantum cepiſſe, quando ſuper ipſum Spiritus Sanctus ſpecie viſibili apparuit; & inde *illum ex Spiritu Sancto dici genitum* affirmauit. Sed minus erat pro votis Sacrilegi impiè ſenſiſſe de Filio Dei, niſi in *Triadis* fide Sabellium ac Samoſatenum ſimul exprimeret. Proh! quot errores vno in cerebro! Nempe vt ſi non intruſis de nouo; ſaltem collectis hæreſibus audiret Hæreſiarcha. In hoſtes nouos, cùm per ſuos priuatim Athletas, maxime per Hilarium Pictauienſem; 347

*Photinus.*

*Hæreſis.*

tum per Sardicenſe concilium feliciter Ec-
*Impugnatur.* cleſia depugnauit. Egerunt & hic fidei cauſam Ariani in Sirmiano conſentu, vt in aliena perfidia, & ſuam ipſi damnarent. Repul-
357 ſulantes iterum, & acceptæ cladis reliquias
378 audaciùs reſtaurantes, Gratianus primò, de-
381 inde Theodoſius edictis cōpreſſerunt; vt eos demū Oecumenica Byzantij celebrata Synodus anathematis fulmine prorſus obtereret.

## CAPVT XIII.

### *Nona in Fidem hæreſis Pſeudo-Monachorum.*

NE quid intentatum in Eccleſiam relinqueret eius hoſtis, in eam etiam his temporibus *Pſeudo-Monachos* varij generis armauit, & varios diſtinxit in ordines, vt ſub ſuis quique ducibus pugnarent. Primos eduxit in aciem Euſtathius in Armenia, quos *Argyraſpidas* dicas, vt qui errores
*Euſtathiani monachi.* aureæ pietatis colore prætexuerint. Neminem fore ſaluum delirabant, qui *ſpretis omnibus, vitæ ſe Monaſticæ legibus non adſtringeret. Inde maritis ab vxoribus, ſeruis à dominis, liberis à parentibus neceſſaria per ipſos ſeceſſio.* Ipſis tam indulgens erat de ſua pietate opinio, vt alios quoſque deſpicerent, & vel Diuorum ad cultum dicandas eſſe memorias aut Martyria (ſic vocari templa in Sanctorum honorem dicata mos erat) negarent. In hos Syluestri Papæ nomine
*Damnantur.* adeo feliciter ſtrinxit Apoſtolicam ſecurim Oſius Cordubenſis in Gangrenſi Concilio; vt qui damnis Eccleſię creſcere voluerant, Eccleſiam ipſi ſuis damnis ornauerint. Non

diu tamen poſt ex eadem *Pſeudo-Monacho-*
*rum* gente noua acies inſurrexit . in Meſo- *Maſſa-*
potamia & finitimis : Fuere ij *Maſſaliani* ; *liani.*
qui non minus attribuere precibus , quam
alij ſolitudini ; quippe abiectis ſacramentis,
& piis operibus vnam orationem inſtru- *Euchitæ.*
mentum beatitudinis faciebant. Inde *Eu-*
*chitæ*, ſeu *Precatores*. Ij orationum aſſiduo
cum Deo commercio fieri poſſe putabant ,
vt Deus corporeis oculis videretur. Quam-
quam quomodo corporeis ; qui ſpretis aliis
quaſi Carnalibus, ſe *Spirituales* aſſerebant ?
Quidni vero ; qui ad perfectam cum Deo
ſimilitudinem , & ſupra peccandi aleam ſe
perueniſſe contenderent ? In iis & ſimili-
bus tam fanaticè mentitis excidit vna veri-
tas etſi mixta mendacio. Cenſuerunt enim
omnes in ſe habere hoſpitantem dæmo-
nem ; Id certe verum de ipſis, qui pars om-
nium erant. Adſtruebatur dogmati fides ,
tum ex ſimulatis afflatibus , & viſis diaboli- 383
cis , inde *Enthuſiaſtæ* : tum ex habitu ad ſe- *Enthu-*
ueritatem compoſito;inde *Saccophori*. Suam *ſiaſtæ.*
& in hos aciem Eccleſia inſtruxit ſub Da- *Sacco-*
maſo, Sydenſi & Antiochena in Synodis.At *phori.* 427
illi dum ſe victos ſimulant , diu non vincun-
tur ex vero , cum nouis legibus colla non
ſubdiderint,niſi vt occaſione datâ reſilirent.
Inde in Orientali quadam Synodo ſub Cæ-
leſtino ſtatutum vt ne pœnitentiæ quidem
prece ferentibus imaginem daretur venia , *Damnati*
qua ſæpius abuſi fuerant ad nouam culpam.
Et ne ſpe reſurgendi impelli poſſent impo-
ſterum ad caſum, nouo Generalis Epheſinæ 431
Synodi anathemate conciderunt. Nec enim

longa potuit eſſe Eccleſiæ ſecuritas, ſi illi non perijſſent, à quibus frequens diſcrimen ingruerat.

## CAPVT XIV.

### *Prima in Perſide, contra Chriſtianos perſecutio.*

QVo tempore Ariana peſtis diuexabat Eccleſiam, ingruit & in Perſide perſecutio: ne cui non licebat in ſuo quieſcere, in alieno pax eſſet. *Occaſio.* Occaſio; bellum atrox & pertinax, quod in ſe mutuo Conſtantium & Sapotem armauit. Inſtrumenta, Magi ac Iudæi; qui cum Catholicis innocentiæ ſuæ
343 clipeo munitis nocere non poſſent, impegere crimina, quę vindicarent. Hinc traducti miſeri apud Regem, vt fautores hoſtium, & hoſtes patriæ, cuius vt Religionem, ſic amorem exuiſſent. Sęuitum primò in opes, ne gratuita eſſet crudelitas, & in ſæuientium lucrum cederet inopia patientium. Tum in Baſilicas ſe furor effudit; vt Dei cultus deſineret, cum non eſſet, vbi deferretur. At Chriſtianis ad pietatis officia nullus locus prophanus eſt. Inde ad ſanguinem digreſſa rabies, Athletas nobiles paſſim abſumpſit. At mutari potuit Tyrannorum ferocia, patientium conſtantia non potuit. Et qui bonorum damna, qui templorum lapſus immoti tulerant, ad mortis præſentiam non expauerunt. Quid vero mortem pro Chriſto non ferant, quæ Chriſtianis ita peccati pœna eſt, vt ſit etiam præmium virtutis? Illam Vſthazanes, Puzices, Azades, & alii proce-
*Martyres* res agnouere propitiam; cuius ope ex Regis

terreni Aulicis fiebant Dei per ſuum ſanguinem *Purpurati*. Qualem putas fuiſſe in alienos & ſortis infimę Chriſtianos Regem barbarum, quem vides, in chariſſimos, & notæ primariæ ſæuiſſe? Fidem ſuperat, quot è Clero præſertim, & Cenobiis illa tempeſtate conciderint. Omnibus præiuit ad victoriam Simeon Archiepiſcopus Cteſiphontis fœlici pœnâ; quos ad pugnam monitis ſalutaribus accenderat.

## CAP. XV.

## *Noua ſub Juliano Apoſtata perſecutio.*

NOn putauit ex antiquæ potentiæ fama Ethnica ſuperſtitio ſemel in perpetuum cecidiſſe. Itaque ſe rurſum erexit; nec ſpe leui; quippe duce Imperatore. Fuit hic *Iulianus* Conſtantini Magni ex fratre Conſtantio nepos, qui ſuffectus patrueli Conſtantio diu malè tectum virus explicans Chriſtaniſmi palam eiuratis ritibus, deſciuit ad Ethnicos. Inde *Apoſtata* ſuo ſe iure facturum credidit, ſi quos poteſtati ſubditos habebat, eoſdem *Apoſtaſiæ* conſortes faceret. Quaſi ob id vnum occupaſſet Imperium, vt peruerteret. Primum eius ſæuiendi conſilium, non ſęuire; ſed in ſpeciem prodeſſe; reuocatis Pręſulibus, quos deceſſore eiecerat, vt beneficijs extingueret, qui per damna creuerant, & nauem Eccleſiæ malacia demergeret, quæ procellas euaſerat. Tum ſe apertiùs paulatim prodens ad publicas ſuas imagines, quas reuereri fas erat, prophanas appinxit; vt mixtim cum Prin-

*Iulianus Apoſtata,* 360

*Fidem dolis aggreditur.*

cipe Dij colerentur. Deinde vt Byzantij, Antiochiæ, & alibi venales cibi aſperſionibus impiis pollnerentur, iuſſit; vt veſcendo immolatitiis, vel nolentes ad impietatem deficerent. Quid verò inde profectum, niſi vt diſtributâ à diuitibus in egenos annonâ, Chriſtiana pietas illuſtriùs ſe probaret; vbi occultiùs graſſabatur impietas? Cum minùs illa procederent, perſonam tandem poſuit *Proteus diadematus*; & Philoſophis, Aruſpicibus ac Victimariis ad honores promotis; fideles excluſit. Hinc illis ornamenta priſca reddita; & ipſe ſolenni ritu in Pontificem inauguratus. Fideles verò vt ciuitatum & militiæ iure exciderent, & *Galilæi* duntaxat impoſterum dicerentur, edixit. Hinc inter alios diſcincti balteo *Iouianus* & *Valentinianus* Tribuni primarij, dum Chriſto malunt obſequi, quam Antichriſtianum ſequi. At felix ignominia, quæ ſummæ gloriæ auſpicium fuit. Non illuſtrius poterant ad imperatorium decus aſſurgere; quam è gradu militis deſcendendo. Publicata & ditiorum bona, quaſi ex fanorum ſpoliis per iniuriam parta eſſent. At leuis pœna, perdere quæ contemnas. Fideles è publici magiſterii gradibus amouit, ne Deorum vana & impia ſcrutari poſſent & irridere. At prophanorum dum indixit inſcitiam, nihil nocuit; quibus *Chriſtum vnum ſcire in votis eſt.* Nec demùm incruenta fuit omnino perſecutio, ne triumphi gloria multis deeſſet; qui bonorum & famæ damno iam ſæpe vicerant. Hinc in Oriente præſertim innumeri ad necem quæſiti, & inter tra-

*Reſtituit Aruſpices.*

hentium manus diſcerpti; qui ſub Deceſſorum imperio Deorum fana & ſimulachra disjecerant. Id quidem non iuſſu, ſed quod grauius, permiſſu Principis, qui perſecutionem auxit, dum non edixit; & omnibus Impiis ius ſæuiendi dedit, dum nulli negauit. Heu! quæ tum paſſim laniena exercita? Teſtes inter alios Gazenſes, Heliopolitani, Arethuſii, &c. Iſtis parum fuit ſæuire ad mortem; in Sacerdotum inſuper & Virginum ſacrarum cadavera barbariem effudere. Proh quam immaniter! vt qui eorum viſcera vel porcis in cibum obiecerint; vel maiori portento ipſi comederint, qui ſupra porcos obrutuerant. Tandem vt in fabula, Actuum crudeliorum arbitrio permiſſo turbis; quod viſum plauſibile ſibi ſumpſit Hiſtrio purpuratus. Inde ſub iuris ſpecie plures iniquiſſimè trudicati, vt infuſcaretur mortis gloria per affictæ culpæ ignominiam. Inter alios eminuere *Paulus* & *Ioannes* fratres, qui Conſtantini quondam amicitiâ clari maluerunt ſanguinis ſui purpurâ irrubeſcere, quàm Apoſtatæ fieri purpurati. Nec minùs illuſtris palma *Gallicani*, qui ex voto admittendæ fidei Scytharum ſub Conſtantino victor; maiori victoria, dimiſsâ ex conſenſu ſponsâ Conſtantiâ Conſtantini filia, ſe & bona pauperum miniſterio addixerat. Sed vt ad faſtigium gloria procederet, pro Chriſto mortem Iuliani iuſſu tulit, cuius obſequio vitam ſacrauerat. Quid vero profecit impius tot innocentium pœnis, niſi vt ſuam ipſe ſibi cuderet reorum Maximus; & qui nouus Gigas Deum ſuo è

*Sæuitur in Chriſtianos paſſim.*

*Gallicanus.*

Regno monere tentauerat, ſubrogatis dæmonibus; jaculo de cœlis confixus, è ſuo ipſe excideret? Id ipſe facto dictoque moribundus teſtatus eſt, quando exceptum manu, qui fluebat ex vulnere, ſanguinem ſurſum ſpargens. *Vicisti*, inquit, *Galilæe, Saturare Nazarene.* Quidni vero Galilæus ille in cęlo regnans viciſſet Dæmonis ſatellitem; qui moriens olim in terra Dæmonem ipſum ſubegerat? Amoto fulcro ſtare non potuit Res ethnica. Nec Iouianus Imperatorium decus priùs admiſit, quàm milites, qui deferebant, Chriſtianos ſe proclamaſſent; in eos imperare noluit, qui repudiatâ idololatriâ Deo iterum non obedirent.

*Iuliani mors prodigioſa.*

*Ioniani pietas.*

## CAPVT XVI.

### *Ethnicorum noui conatus ab Ambroſio, Theodoſio & aliis repreſſi.*

POſt Iulianum auſa ſubinde conari noua ſuperſtitio Idololatrica, tandem in perpetuum concidit. Nam quid fracta poſſet in integros, & valentes; quam integram & valentem infirmi ſubruerant? Nihil itaque profuerunt illi conſilia Symmachi, & aliorum; nihil arma Eugenii, niſi vt vtrobique corrueret. Arridere quidem impiis viſa
371 fortuna, cum Valentinianus I. prophanorum rituum copiam eis fecit, etiam ad Aram Victoriæ, quam Magnentius à Conſtante
383 disjectam in Capitolio reſtituerat. At Gratianus ſublatâ rurſum Arâ, & ſubductis ad ſacra prophana ſumptibus è fiſco pendi ſolitis, ſeueritate correxit; quod indulgentiâ
384 pater peccauerat. Nec reuixit impietas Gatiano

Gratiano cæſo, cùm aduerſus Symmachum, apud Valentinianum II. pro pietate pugnaret Ambroſius, & de Victoria Victoriam reportaret. Spirare tamen iterum viſa ope Maximi, vt vnà perfidiâ Tyrannus Valentinianum è ſolio, & Deum ex Aris ejiceret; & vix intereſſe inter humanæ Majeſtatis reum, & Diuinæ oſtenderetur. Sed vtriuſque vindex Theodoſius Valentinianum ſolio, rebellibus fractis, & Deum Templis, ſublatis idolis, repoſuit. Vt ad nouum triumphum victori ſterneretur via; Eugenius Cathedram ſolio, ferulam ſceptro mutauit; ex Rhetore factus Imperator, poſt Valentinianum ab Arbogaſte in ſubtractæ copiarum præfecturæ vltionem Viennæ in Gallia cæſum. Quid enim non audeat in Imperatorem, qui Deum abjecerat? Gratitudinis ſuæ putabat eſſe Diis cultum reſtituere, quos ſibi ad Conſilia fauentes ex victimarum inſpectione cognouerat. Nec ſegniùs Theodoſius ſeu ex cauſæ fiduciâ, ſeu ex Ioannis celeberrimi in Ægypto Anachoretæ, quem de belli euentu conſuluerat, vaticinio, palmæ quaſi certus, in aciem proceſſit. Vtri ſtaret veritas, pugna decidit. Quid mirum vaſta clade impios concidiſſe, cùm non tam homines pugnauerint in homines; quam cœlum in inferos, Deus in Dæmonas? Id ex facto victoris probatum; ſuos enim reſpicere in terga conſpicatus, ab hoſte in cœlum manus vertit: vt quæ pugnando non vicerant, vincerent orando, accito ad auxilium Deo; & elementis ad ſtipendium. Vnde fieret, vt ſuis hoſtes iaculis

*Ambroſius contra Victoriam pugnat.*

388 *Theodoſius hoſtes imperij & Dei ſubigit.*

392 *Eugenius.*

334

ſere, quæ vix ſalua verecundiâ Hiſtoricus referat. Quippe fit ferme, ut eorum ad praua cor abripiatur, quorum animus falſis acquieuerit.

## CAPVT VIII.

## *De Semi-Arianis & Macedonianis ſiue Pneumatomachis.*

ARianorum fides verſatilis & deſultoria, ut falſitatis indicium fuit; ſic ruinæ præſagium. Hinc enim Schiſma, & quod proximè inter improbos ſequitur, excidium. Nec enim diu ſtare poteſt Regnum etiã Satanę in ſeipſum diuiſum. Schiſmatis autem iam tum à contentionum initio iactum ſemen, Seleuciæ demùm in fructum
359 maturuit. Ibi dum alij ducibus Eudoxio Antiocheno, Acacio Cæſarienſi, Aëtio & aliis,
*Occaſio.* Verbum Deo *ſimile* negant, Magiſtro digni diſcipuli, audiunt *Ariani*. Alij quaſi degeneres, dum ducibus Baſilio Ancyrano, Euſtachio Sebaſteno, Macedonio Byzantino & aliis Dei filium, cum in aliis, tum in ſubſtantia Patri ſimilem fatentur, dicti *Semi-Ariani* ac *Subſtantiarij*. Digladiatum diu inter partes, ac alternante victoria, dam-
359 nati Seleuciæ Ariani, Byzantii, quò euaſerant, in hoſtes anathema reciprocarunt; ex Conſtantii Imperatoris ſuffragio. At è viuis ablato Conſtantio, *Semiariani* Lampſaceno in conuentu aſſenſi Niceno Symbolo, & poſt
365 Tyanenſem Catholicorum Synodum, à Liberio Papa in gratiam accepti, vltum ibant iniuriam, ni nouam interea Hæreſim *Ma-*

*cedonius* promulgaſſet. Hic *Spiritum Sanctum cæteris quidem ſuperiorem, vnum tamen ex Angelis miniſtris dixit, & ideo natura Patri Filioque diſsimilem.* Adhæſere nouo dogmati *Semiariani*, necnon paſſim populus, cui noua ſemper magis placere ſolent, quam vera. Sed illud imprimis promouit *Marathonius*, ex Queſtore Monachus; Inde *Marathoniani*. Denique in tantum breui robur inualuit; vt Arianorum paſſim, ac Donatiſtarum animos inceſſerit. Verum amplitudo tam ſubita decrementi proximi auſpicium fuit. Concuſſa primùm factio ex authoris caſu & exilio iuſſu Conſtantij: In nutantem incuſſit etiam ictus *Athanaſius*; tum ſcripto è latebris ad Serapionem Tmuenſem Epiſcopum libro; tum in Alexandrina poſtea Synodo; vt qui Diuinitatis in Verbo indefeſſus aſſertor fuerat, eiuſdem in Spiritu ſancto vindex eſſet. Inualeſcens tamen rurſum peſtis Valentis imprimis præſidio nihil ferme ſani Conſtantinopoli reliquerat; vt in ea purganda maiori laude Gregorius Nazianzenus deſudaret. Hic illam in vrbem ab Antiochena Synodo miſſus pertinacium fregit animos, dum eorum ſe minis & inſultibus infractum præſtitit. Inde prevalentes Catholici à Petro Alexandriæ Patriarcha, cum ſuæ Eccleſiæ Præſulem poſcunt, qui eam quaſi è ruderibus eruerat. Inuentus tamen Maximus ex Cynico Semichriſtianus, qui corruptis quos Petrus Epiſcopos delegauerat, Infulas ſibi mallet; atque adeo aſſereret. Inde diſcordia, quæ etiam pulſo Maximo,

[Margin notes: *Hæreſis.* (beside line 1); *Progreſſus* (beside "chus; Inde Marathoniani"); 359 (beside "proximi auſpicium"); *Damnatio* (beside "Athanaſius"); 360 (beside "pionem Tmuenſem"); 362 (beside "tum in Alexandrina"); 378 (beside "ſtantinopoli reliquerat"); 379 (beside "ruderibus eruerat")]

*Synodus etiam.* qui eam pepererat, Catholicos ipſos miſcuit. Byzantina quidem Oecumenica Sy-
381 nodus, in nouos Hæreticos à Damaſo Papa & Theodoſio Imp. indicta, abiecto Maximo, Gregorium habere præſulem voluerat: nempe vt ipſe iam vltro ſe poſſet abdicare. Interueniente ſiquidèm interea Thymotheo Alexandrino, & eum ſine ſuo ſuffragio confirmatum in ſede indignante, vltro Infulas exuit, quas inuitus induerat, & iis ſe tum maxime dignum prodidit, cum, vt indignus, poſuit. Suam dignitatem ſcandalo fidelibus eſſe noluit, qui eam non admiſerat, niſi vt ſcandalum tolleret. Nec ob id melius actum cum Hæreſi; eam enim iam proſcriptam à Patribus, in hoc concordibus, ex eremo impugnare non deſtitit: Impulſis Nectario, quem ipſi ſuffecerant, vt eam noua molien-
384 tem comprimeret, & Theodoſio, vt nouis eam legum vinculis coërceret. Nempe in ſolitudine Præſulem ſe fuiſſe meminit triumphalis Anachoreta, qui in turba Præſuli Anachoretam miſcuerat.

*Turba inter Catholicos ex Nazianzeno.*

## CAPVT IX.

### *De Arianorum molitionibus in fidem ſub Valente, & iſtius clade.*

Credi poterat veniſſe ad ſummum Conſtantij furor, ni Valens, quem frater Valentinianus ad Imperij ſocietatem ad-
370 miſerat, vltra iuiſſet. Multis id probatum experimentis; ſed tum maxime quando octaginta Byzantinos proceres ad ſe Nicomediam de Arianorum ferocia expoſtula-

*Valentis ferocia in legatos.*

tum miſſos, deportari iuſſit in mare, & flammis abſumi. Quæ vel in Diocletiano tanta vnquam immanitas? qui cum alijs vel ſceleratiſſima permittat, alios ne de iniurijs quidem queri impunè ſinit. Ille mihi ſane, non Chriſtianus, non Princeps, ſed ne homo quidem ex vero eſt. Vexauit inſuper Athanaſium, Euſebium Samoſatenum, Meletium Antiochenum, Gregorium Niſſenum; & cùm alios innumeros primæ notæ Præſules, tum qui patratæ cladis occaſio fuit, Euagrium; quem obnitentibus Arianis, Antiſtitem ſibi Catholici Byzantini præfecerant. Nec magno Baſilio parcitum eſſet, ni Valentis in eum ſcripturientis edictum filius ſubito exceſſiſſet; manus horrendè intremuiſſet; & calamus feralem auerſatus ſententiam atramentum non reddidiſſet. Tot cum prodigijs vindicari oportuit, qui non ſeruabatur, niſi vt per prodigia Eccleſiæ tum maximè vacillantis vindex eſſet. Durauit hæc in Oriente graſſatio, donec eam Deus per Gottos ſeueritatis ſuæ ſatellites, vindicauit; quando ipſe Valens, iam vulnere in pugna prope Hadrianopolim accepto inualidus, & in tugurium deportatus ſubjectis facibus exarſit; 378
vt ille hoſtili flammâ conſumeretur, cujus furore Orientalis Eccleſia diu deflagrauerat.

*Et Præſules.*

*Baſilio prodigia patrocinantur.*

## CAPVT X.

## *De Arianorum in Occidente excidio.*

IN Occidente interea refloreſcebat Eccleſia, cum ex Valentiniani Imperatoris mitiori ingenio; tùm ex Hilarij Pictauienſis, Ambroſij Mediolanenſis, Damaſi Romani,
*Hilarius.* & aliorum ſtudio. Hilarius ſanè quo animo
359 rem Catholicam promoturus eſſet in Gallijs, iam tum exul Seleuciæ in pſeudoſynodo, & Byzantii apud Conſtantium præmonſtrauerat; quando & priuatim per colloquia, & publicè per ſcripta, Niceno Symbolo ſtrenuiſſime propugnato, non in pœnam defenſę fidei à pſeudoſynodo Biterrenſi relegatum, ſed in periclitantis præſidium miſſum ſe in Aſiam, arcano Dei conſilio prodidit. Ob id in patriam remiſſus, vt defenſa fides tam eius veniæ eſſet occaſio, quam fuerat damnationis. Hilarij igitur imprimis ſtudio, Saturnino Arelatenſi, & Paterno
362 Petracoricenſi Arianorum ſigniferis exauctoratis, vera fides in Galliis refloruit. Inde
*Auxentius hæreticus.* tranſmiſſis Alpibus Athleta nobilis cum Auxentio Mediolanenſi manus conſeruit; ut purulentum hominem iam tum à Dionyſii exilio illam Eccleſiam conſpurcantem, in ſuo ſterquilinio conficeret. Tunc tamen ex Valentiniani ad ambiguas impoſtoris Apologias decepti faciliori indole, euaſiſſe viſus eſt Auxentius; & Hilarius tamquam diſcordiarum Author reiectus, vt non diu poſt impoſtor eiuſdem Hilarii per literas impul-

ſu, variis in Gallicanis & Hiſpanis Synodis, atque adeo in Romana ſub Damaſo ignominia maiori conciderer. Obluctata diu quidem, pro collabente ſecta Iuſtina Auguſta; ſed vt Ambroſius, quem interea ex præfecto Inſubriæ adhuc Cathecumeno mirabili ſucceſſu in locũ Auxentii defuncti fideles promouerant, illuſtrius inclareſceret. Imperatricis enim artes & vim, tanta felicitate & conſtantia eluſit & contudit animoſus Epiſcopus, vt nec Sirmio Arianum Præſulem; nec Mediolani templum ſectariis; nec vt haberetur generale Concilium, aut priuatum inter ipſum Ambroſium & Auxentium iuniorem pſeudo-Epiſcopum coram Valentiniano II. colloquium impetrare potuerit. Nec prohibere demum quin Ariani Aquileiæ à finitimorum Præſulum cœtu damnarentur. Non ſibi tamen tunc defuit imperioſa & ex fruſtratis vbique conſiliis irritata fœmina. S. itaque Præſulem, ſeu arte, ſeu vi ab Eccleſia abducere, & in exilium deportare conata primò eſt. Tum quia minus è ſententia priores inſidiæ ceſſerant; pro Ambroſio, etiam per prodigia, pugnante Deo, & populo ipſum in Eccleſia diu noctuque indefeſſe circumſtante; eum per ſicariam, cui ob id manus extemplo diriguit, & mox ad ſceleris confeſſionem ſanata eſt; domi ſuæ clam occidere tentauit. Vltra graſſaturam inhibuit terror à Maximo: qui aliquot annis ante ex Britanniarum præfecto ab exercitu dictus Imper. fuerat; & in Gallias, cæſo Lugduni per Andragathium Ducem Gratiano Im-

*Iuſtina.* *Ambroſ.* 374

383

383

peratore, tyrannidem promouerat. Tyrannidem igitur fœminæ Tyrannus abrupit: vt
387 *Maxilmus.* poſteà Theodoſius de ipſo in Pannonia & ad
*Theodoſ.* Aquileiam victor, non Imperii tantum res,
388 ſed & Eccleſiæ in tranquillo poneret. Ex eo conſeneſcere hæreſis, flocci fieri pſeudopræſules, & *Orthodoxia* refloreſcere.

## CAPVT XI.

### *Septimam in Fidem Hæreſis Apollinariſtarum.*

*Apollinaris.* EX eodem, quo Macedonius, Arianorum ludo prodiit Apollinaris, vt nouum Eccleſiæ trophæum fieret, dum hoſtem ſe facit. Hic aliquandiu partes Catholicas animoſe tutatus tantum nominis obtinuit, vt eius magiſterio gloriatus ſit Hieronymus, qui & ipſos Pontifices inter diſcipulos habuit. At vt naues, ſic homines ſæpe ſua magnitudo mergit. Ipſe idem Apollinaris turpi lapſu docuit, inanem eſſe humanam ſapientiam, ſi eam diuina non regat. Dum enim ſuæ doctrinæ plus æquo tribuit, à diuina excidit. Non potuit non præceps ruere, qui per ſcripturarum lubrica & deuia, aſpernatus veteres, non alium quam ſe ductorem habuit. Ideo ſecutus Valentinum, Manetem & alios, iis ſe errorum anfractibus implicuit: vt opinioni veteris ſapientiæ nouam inſaniam ſaltem æquauerit. Nam Arianis ita ſe addidit, vt non magis Arianus Arius fuerit; quàm Apollinaris. Tum pertæſus, opinor, nomen diſcipuli, è ſuo multa addidit, quibus ſe magiſtrum faceret. *Triadem in Deo ità*

*finxit, vt tolleret vnitatem, maiorem Filio Patrem, & Spiritu ſancto Filium arbitratus,* vt hæreſes Macedonianam & Arianam in ſuam conflaret. Quanquam ſine aliorum ope & ſuam ipſe condidit; cum *Dei Verbum non aſſumpſiſſe hominem, ſed hominis tantum carnem, cui eſſet ipſum pro anima, commentus eſt.* In nouam hæreſim, Arianis vulgo probatam, inſurrexit ſui ſæculi Hercules Athanaſius; eamque tum Scriptis, tum Synodi Alexandrinæ decretis coërcuit. Athanaſio ſuccenturiatus Nazianzenus venit in partem victoriæ; vt eam ex aſſe reportaret Damaſus Papa in Romano Concilio. *Impugnatur.* 262 373

## CAPVT XII.

### *Octaua in Eccleſiam Hæreſis Photinianorum.*

ARianæ Hydræ caput etiam fuit Photinus Sirmienſis Epiſcopus. Iſte quaſi non ſatis eſſet expreſſiſſe Arium in dogmate, non tantum Chriſtum verum hominem docuit (unde *Homuncioniſtæ*) ſed tunc tantum cepiſſe, quando ſuper ipſum Spiritus Sanctus ſpecie viſibili apparuit; & inde *illum ex Spiritu Sancto dici genitum* affirmauit. Sed minus erat pro votis Sacrilegi impiè ſenſiſſe de Filio Dei, niſi in *Triadis* fide Sabellium ac Samoſatenum ſimul exprimeret. Proh! quot errores vno in cerebro! Nempe vt ſi non intruſis de nouo; ſaltem collectis hæreſibus audiret Hæreſiarcha. In hoſtes nouos, cùm per ſuos priuatim Athletas, maxime per Hilarium Pictauienſem; *Photinus.* *Hæreſis.* 347

tum per Sardicenſe concilium feliciter Ec-
*Impugnantur.* cleſia depugnauit. Egerunt & hic fidei cau-
ſam Ariani in Sirmiano conſenſu, vt in alie-
357 na perfidia, & ſuam ipſi damnarent. Repul-
lulantes iterum, & acceptæ cladis reliquias
378 audaciùs reſtaurantes, Gratianus primò, de-
381 inde Theodoſius edictis cōpreſſerunt; vt eos
demū Oecumenica Byzantij celebrata Synodus anathematis fulmine prorſus obtereret.

## CAPVT XIII.

### *Nona in Fidem hæreſis Pſeudo-Monachorum.*

NE quid intentatum in Eccleſiam relinqueret eius hoſtis, in eam etiam his temporibus *Pſeudo-Monachos* varij generis armauit, & varios diſtinxit in ordines, vt ſub ſuis quique ducibus pugnarent. Primos eduxit in aciem Euſtathius in Armenia, quos *Argyraſpidas* dicas, vt qui errores

*Euſtathiani monachi.* aureæ pietatis colore prætexuerint. Nemi-nem fore ſaluum delirabant, qui *ſpretis omnibus, vitæ ſe Monaſticæ legibus non adſtringeret. Inde maritis ab vxoribus, ſeruis à dominis, liberis à parentibus neceſſaria per ipſos ſeceſſio.* Ipſis tam indulgens erat de ſua pietate opinio, vt alios quoſque deſpicerent, & vel Diuorum ad cultum dicandas eſſe memorias aut Martyria (ſic vocari templa in Sanctorum honorem dicata mos erat) negarent. In hos Syluestri Papæ nomine

*Damnantur.* adeo feliciter ſtrinxit Apoſtolicam ſecurim Oſius Cordubenſis in Gangrenſi Concilio; vt qui damnis Eccleſię creſcere voluerant, Eccleſiam ipſi ſuis damnis ornauerint. Non

diu tamen poſt ex eadem *Pſeudo-Monacho-*
*rum* gente noua acies inſurrexit, in Meſo-
potamia & finitimis: Fuere ij *Maſſaliani*; *Maſſaliani.*
qui non minus attribuere precibus, quam
alij ſolitudini; quippe abiectis ſacramentis,
& piis operibus vnam orationem inſtru- *Euchitæ.*
mentum beatitudinis faciebant. Inde *Eu-*
*chitæ*, ſeu *Precatores*. Ij orationum aſſiduo
cum Deo commercio fieri poſſe putabant,
vt Deus corporeis oculis videretur. Quam-
quam quomodo corporeis; qui ſpretis aliis
quaſi Carnalibus, ſe *Spirituales* aſſerebant?
Quidni vero; qui ad perfectam cum Deo
ſimilitudinem, & ſupra peccandi aleam ſe
perueniſſe contenderent? In iis & ſimili-
bus tam fanaticè mentitis excidit vna veri-
tas etſi mixta mendacio. Cenſuerunt enim
omnes in ſe habere hoſpitantem dæmo-
nem; Id certe verum de ipſis, qui pars om-
nium erant. Adſtruebatur dogmati fides,
tum ex ſimulatis afflatibus, & viſis diaboli- 383
cis, inde *Enthuſiaſtæ*: tum ex habitu ad ſe- *Enthuſiaſtæ.*
ueritatem compoſito; inde *Saccophori*. Suam *Saccophori.*
& in hos aciem Eccleſia inſtruxit ſub Da-
maſo, Sydenſi & Antiochena in Synodis. At 427
illi dum ſe victos ſimulant, diu non vincun-
tur ex vero, cum nouis legibus colla non
ſubdiderint, niſi vt occaſione datâ reſilirent.
Inde in Orientali quadam Synodo ſub Cæ-
leſtino ſtatutum vt ne pœnitentiæ quidem
prę ſe ferentibus imaginem daretur venia, *Damnati*
qua ſæpius abuſi fuerant ad nouam culpam.
Et ne ſpe reſurgendi impelli poſſent impo-
ſterum ad caſum, nouo Generalis Epheſinæ 431
Synodi anathemate conciderunt. Nec enim

longa potuit eſſe Eccleſiæ ſecuritas, ſi illi non perijſſent, à quibus frequens diſcrimen ingruerat.

## CAPVT XIV.

### *Prima in Perſide, contra Chriſtianos perſecutio.*

QVo tempore Ariana peſtis diuexabat Eccleſiam, ingruit & in Perſide perſecutio: ne cui non licebat in ſuo quieſcere, in alieno pax eſſet. Occaſio; bellum atrox & pertinax, quod in ſe mutuo Conſtantium & Sapotem armauit. Inſtrumenta, Magi ac Iudæi; qui cum Catholicis innocentiæ ſuæ

*Occaſio.*

343 clipeo munitis nocere non poſſent, impegere crimina, quę vindicarent. Hinc traducti miſeri apud Regem, vt fautores hoſtium, & hoſtes patriæ, cuius vt Religionem, ſic amorem exuiſſent. Sęuitum primò in opes, ne gratuita eſſet crudelitas, & in ſæuientium lucrum cederet inopia patientium. Tum in Baſilicas ſe furor effudit; vt Dei cultus deſineret, cum non eſſet, vbi deferretur. At Chriſtianis ad pietatis officia nullus locus prophanus eſt. Inde ad ſanguinem digreſſa rabies, Athletas nobiles paſſim abſumpſit. At mutari potuit Tyrannorum ferocia, patientium conſtantia non potuit. Et qui bonorum damna, qui templorum lapſus immoti tulerant, ad mortis præſentiam non expauerunt. Quid vero mortem pro Chriſto non ferant, quæ Chriſtianis ita peccati pœna eſt, vt ſit etiam præmium virtutis? Illam Vſthazanes, Puzices, Azades, & alii proceres agnouere propitiam; cuius ope ex Regis

*Martyres*

terreni Aulicis fiebant Dei per ſuum ſanguinem *Purpurati*. Qualem putas fuiſſe in alienos & ſortis infimę Chriſtianos Regem barbarum, quem vides, in charifſimos, & notæ primariæ ſæuijſſe? Fidem ſuperat, quot è Clero præſertim, & Cenobiis illa tempeſtate conciderint. Omnibus præiuit ad victoriam Simeon Archiepiſcopus Cteſiphontis fœlici pœnâ; quos ad pugnam monitis ſalutaribus accenderat.

## CAP. XV.

## *Noua ſub Juliano Apoſtata perſecutio.*

NOn putauit ex antiquæ potentiæ fama Ethnica ſuperſtitio ſemel in perpetuum cecidiſſe. Itaque ſe rurſum erexit, nec ſpe leui; quippe duce Imperatore. Fuit hic *Iulianus* Conſtantini Magni ex fratre Conſtantio nepos, qui ſuffectus patrueli Conſtantio diu malè tectum virus explicans Chriſtaniſmi palam eiuratis ritibus, deſciuit ad Ethnicos. Inde *Apoſtata* ſuo ſe iure facturum credidit, ſi quos poteſtati ſubditos habebat, eoſdem *Apoſtaſiæ* conſortes faceret. Quaſi ob id vnum occupaſſet Imperium, vt peruerteret. Primum eius ſæuiendi conſilium, non ſæuire; ſed in ſpeciem prodeſſe; reuocatis Preſulibus, quos deceſſore eiecerat, vt beneficijs extingueret, qui per damna creuerant, & nauem Eccleſiæ malacia demergeret, quæ procellas euaſerat. Tum ſe apertiùs paulatim prodens ad publicas ſuas imagines, quas
 revereri fas erat, prophanas appinxit; vt mixtim cum Prin-

*Iulianus Apoſtata,* 360

*Fidem dolis aggreditur.*

cipe Dij colerentur. Deinde vt Byzantij, Antiochiæ, & alibi venales cibi aſperſionibus impiis polluerentur, iuſſit; vt veſcendo immolatitiis, vel nolentes ad impietatem deficerent. Quid verò inde profectum, niſi vt diſtributâ à diuitibus in egenos annonâ, Chriſtiana pietas illuſtriùs ſe probaret; vbi occultiùs graſſabatur impietas? Cum minùs illa procederent, perſonam tandem poſuit *Proteus diadematus*; & Philoſophis, Aruſpicibus ac Victimariis ad honores promotis; fideles excluſit. Hinc illis ornamenta priſca reddita; & ipſe ſolenni ritu in Pontificem inauguratus. Fideles verò vt ciuitatum & militiæ iure exciderent, & *Galilæi* duntaxat impoſterum dicerentur, edixit. Hinc inter alios diſcincti balteo *Iouianus* & *Valentinianus* Tribuni primarij, dum Chriſto malunt obſequi, quam Antichriſtianum ſequi. At felix ignominia, quæ ſummæ gloriæ auſpicium fuit. Non illuſtrius poterant ad imperatorium decus aſſurgere; quam è gradu militis deſcendendo. Publicata & ditiorum bona, quaſi ex fanorum ſpoliis per iniuriam parta eſſent. At leuis pœna, perdere quæ contemnas. Fideles è publici magiſterii gradibus amouit, ne Deorum vana & impia ſcrutari poſſent & irridere. At prophanorum dum indixit inſcitiam, nihil nocuit; quibus *Chriſtum vnum ſcire in votis eſt.* Nec demùm incruenta fuit omnino perſecutio, ne triumphi gloria multis deeſſet; qui bonorum & famæ damno iam ſæpe vicerant. Hinc in Oriente præſertim innumeri ad necem quæſiti, & inter tra-

*Reſtituit Aruſpices.*

hentium manus diſcerpti; qui ſub Deceſſorum imperio Deorum fana & ſimulachra disjecerant. Id quidem non iuſſu, ſed quod grauius, permiſſu Principis, qui perſecutionem auxit, dum non edixit; & omnibus Impiis ius ſæuiendi dedit, dum nulli negauit. Heu: quæ tum paſſim laniena exercita? Teſtes inter alios Gazenſes, Heliopolitani, Arethuſii, &c. Iſtis parum fuit ſæuire ad mortem; in Sacerdotum inſuper & Virginum ſacrarum cadavera barbariem effudere. Proh quam immaniter! vt qui eorum viſcera vel porcis in cibum obiecerint; vel maiori portento ipſi comederint, qui ſupra porcos obrutuerant. Tandem vt in fabula, Actuum crudeliorum arbitrio permiſſo turbis; quod viſum plauſibile ſibi ſumpſit Hiſtrio purpuratus. Inde ſub iuris ſpecie plures iniquiſſimè trudicati, vt infuſcaretur mortis gloria per afflictæ culpæ ignominiam. Inter alios eminuere *Paulus* & *Ioannes* fratres, qui Conſtantini quondam amicitiâ clari maluerunt ſanguinis ſui purpurâ irrubeſcere, quàm Apoſtatæ fieri purpurati. Nec minùs illuſtris palma *Gallicani*, qui ex voto admittendæ fidei Scytharum ſub Conſtantino victor; maiori victoria, dimiſsâ ex conſenſu ſponsâ Conſtantiâ Conſtantini filia, ſe & bona pauperum miniſterio addixerat. Sed vt ad faſtigium gloria procederet, pro Christo mortem Iuliani iuſſu tulit, cuius obſequio vitam ſacrauerat. Quid vero profecit impius tot innocentium pœnis, niſi vt ſuam ipſe ſibi cuderet reorum Maximus; & qui nouus Gigas Deum ſuo è

*Sæuitur in Chriſtianos paſſim.*

*Gallicanus.*

Gratiano cæſo, cùm aduerſus Symmachum, apud Valentinianum II. pro pietate pugnaret Ambroſius, & de Victoria Victoriam reportaret. *Ambroſius contra Victoriam pugnat.* Spirare tamen iterum viſa ope Maximi, vt vnâ perfidiâ Tyrannus Valentinianum è ſolio, & Deum ex Aris ejiceret; & vix intereſſe inter humanæ Majeſtatis reum, & Diuinæ oſtenderetur. Sed vtriuſque vindex Theodoſius Valentinianum ſo- 388
lio, rebellibus fractis, & Deum Templis, ſublatis idolis, repoſuit. *Theodoſius hoſtes imperij & Dei ſubigit.* Vt ad nouum triumphum victori ſterneretur via; Eugenius Cathedram ſolio, ferulam ſceptro mutauit; ex Rhetore factus Imperator, poſt Valentinianum ab Arbogaſte in ſubtractæ 392
copiarum præfecturæ vltionem Viennæ in Gallia cæſum. *Eugenius.* Quid enim non audeat in Imperatorem, qui Deum abjecerat? Gratitudinis ſuæ putabat eſſe Diis cultum reſtituere, quos ſibi ad Conſilia fauentes ex victimarum inſpectione cognouerat. Nec ſegniùs Theodoſius ſeu ex cauſæ fiduciâ, ſeu ex Ioannis celeberrimi in Ægypto Anachoretæ, quem de belli euentu conſulqerat, vaticinio, palmæ quaſi certus, in aciem proceſſit. Vtri ſtaret veritas, pugna decidit. Quid mirum vaſta clade impios concidiſſe, cùm non tam homines pugnauerint in homines; quam cœlum in inferos, Deus in Dæmonas? Id ex facto victoris probatum; 334
ſuos enim reſpicere in terga conſpicatus, ab hoſte in cœlum manus vertit: vt quæ pugnando non vicerant, vincerent orando, accito ad auxilium Deo; & elementis ad ſtipendium. Vnde fieret, vt ſuis hoſtes iaculis

*Elementa pro Theodoſius.* ventorum turbine retractis conficerentur ad Alpes. Vere itaque, & non tantùm Poëtice Imperatori Victoriam gratulatus Poëta Ethnicus cecinit.

*O nimium dilecte Deo! cui militat Ætheri*
*Et conjurati veniunt ad claſsica venti.*

Illuſtris Imperator Victoriis, quibus hoſtes; at illuſtrior multò, qua ſe domuit. In aliis partem multi vendicauerint; hæc tota ipſius fuit. In aliis repreſſis perfidis ſuum Principi reſtitutum Imperium, ſuus Deo cultus; in hac cœlum ipſi aſſertum. In pœnam cœſi Bothericæ militiæ apud Illiricos Præfecti; ad ſeptem Theſſalonicenſium millia per milites interfici juſſerat, nullo Innocentium à Reis diſcrimine. *Theodoſius pœnitens.* Sic graue nefas, grauiori vindicatum, vt vindicantis innocentia accreſceret. Nam ob id Eccleſiæ aditu excluſus ab Ambroſio, pœnitere palam non erubuit, quem non puduerat peccare. Magna laus Præſulis, qui nec in Principe culpam tulit ſine pœna; & qui auribus Imperatoriis vix vnquam illud auditum, *non licet* libertate plane Epiſcopali intonuit. Magna laus Principis, qui poſt culpam, non detrectauit pœnitentiam; & non minus Præſuli in ſe ad increpandum licere voluit; quam ſibi in alios ad ſæuiendum. Magna etiam felicitas Imperij, cui Princeps obtigit, quem ſi non facit innocentem peccandi verecundia; facit pœnitentia. Fuit hoc ſuauiſſimum in malo immedicabili Theſſalonicenſibus ſolatium. At multò felicius quod Antiochenos à clade non minori eripuit, cum nec minor eſſet

eorum culpa; vt qui & indictum tributum proterue negaſſent; & FlaccillæAug. ſtatuas ferociter diſieciſſent,& contumelioſe raptaſſent. Iam itaque ſpoliati priuilegijs; quibus Antiochia ſupra reliquas Orientis Vrbes hactenus eminuerat? Nihil non horribilis pauidi expectabant; quamtumuis animos ipſis facere conaretur Chryſoſtomus tunc preſbyter per conciones verè Chriſtianas. Sed tandem Flauianus Patriarcha Conſtantinopolim profectus, exarmatâ Principis irâ, veniam non ſolum miſeris obtinuit; ſed quod tunc ſummæ felicitatis fuit, celerem, & inſperatam. Dicas in eximio illo Principe, qui Chriſtianas virtutes Imperatorijs amabili commercio miſcuerat, relictum illum facilioris iracundiæ næuum, vt inter diuina, quibus eminebat, decora hominem ſe non obliuiſceretur; an vt eo vel expiato vitio, vel repreſſo, ſupra hominem ſe attolleret?

## CAPVT XVII.

## *Septimum in Eccleſia ſchiſma Vrſiciny.*

CVm Felice Papa ſic extinctum ſchiſma, quo Romanam Eccleſiam Ariani conuulſerant, vt nouum breui poſt ſuccreſceret. Nam dum Liberio ſaniorum ſuffragiis ſufficitur Damaſus, qui à Felice ſteterat; aduerſa factio per cruentos cæſorum gradus in ſolium *Vrciſinium* protruſit; vt pro meritis in indigno vis eſſet. At illa etiam victus parte Antipapa aliò diuertit; vt qui Leo nihil promouerat, Vulpem ageret. 367 *Antipapa*

Ideo impacta in Damaſum adulterij culpa, ſed non alio exitu; niſi vt eius caſtitas, poſt diſcuſſionem judicij, clarior eniteſceret. Nec dum tamen ceſſatum à turbis; quia nondum *Abdicatur.* abſceſſerat authòr turbarum. Hinc eius exilium Valentiniani I. juſſu, vt pacem tunc demum coleret, vbi non eſſet cum quo dimicaret. Eius ſectarij fruſtra, dum Damaſo
385 ſufficiebatur Siricius, tumultuati, cum Luciferianis iniere conſortium, vt duplex factio in vnum juncta vno ſimul ictu concideret.

## CAPVT XVIII.

### *Octauum in Eccleſia ſchiſma Luciferianorum.*

*Lucifer.* MAjus à Lucifero Calaris in Sardinia Præſule diſcrimen incubuit; vtpote ſperatum minùs à probatiſſimo. Ab eo enim periculum non timebat Eccleſia, pro qua tot ipſe pericula ſubiuerat. Nam Legatus ad Conſtantium à Liberio Papa damnari maluit, quam Athanaſium damnare: & in exilio fidei cauſam tam ſtrenuè ſcriptis egit, quàm infractè pœnam tulerat. Eximius ille tamen ſchiſma fecit, eò perius, quò ipſe melior; vt ſolet eſſe peſſima corruptio ex optimo. Nam cum poſt defuncti Conſtantij tyrannidem, vnà cum Euſebio Vercellenſi Liberij Papæ nomine Orientis Eccleſias obiret; adeo præfractè à ſocio deſciuit, vt ab Eccleſiæ ſenſu diuelli, quàm cum ipſo ſentire maluerit. Cauſa diſſidij alteri obiecta ab altero, vt ſe collegæ culpà, extra culpam

vterque poneret. Sed neuter Reus erat, ſi 362
Lucifer ſe Reum non feciſſet, dum Euſe- *Occaſio*
bium reum plus æquo credidit. Vt enim *ſchiſmatis*
ſine vlla vitij labe Paulinum eximiæ virtu-
tis Præſulem præfici curaſſet Antiochenæ
Eccleſiæ; vt illam non ab Arianis tantùm
infectam ſub Antitiſte Euzoio; ſed à Ca-
tholicis etiam, quorum alij à Meleſio, alij
ab Euſtatio præſulibus nomen habebant,
inter ſe diſſentientibus fœde diuulſam, Pa-
ſtore ſub vno, vtriſque grato in integro re-
ſtitueret. (Quod tamen fruſtra fuit, & non
probabat Euſebius) ſine culpa tamen non
fuit, quod lapſos ex Conſtantij nuper defun-
cti perſecutione præſules, in gratiam ab Eu-
ſebio receptos in Alexandrina Synodo, citra
dignitatum diſpendium, pertinaciùs impro-
bauit. Accreuit ex eo culpa, quod, & qui
poſt lapſum ſurrexerant, & per quos ſurre-
xerant, vt pollutos vitabat, non paucis ad
ſuam ſententiam tractis; vix enim ſoli pec-
cant magnæ famæ Rei. O ſi tàm facilè reuo-
carent ad bonum reſipiſcendo, quàm tra-
hunt ad malum delinquendo! non ſuperfuiſ-
ſet authori factio, & quos deiecerat cadens,
pœnitens erexiſſet. Nam Eccleſiæ corpori *Reſipiſcit.*
demùm redditus, quam ſeueritatem adhi-
beri in aliis fruſtra voluit, in ſe nihil impe-
ditus exercuit; & piam vitam obitu felici
claudens, templa meruit poſt lapſum, quæ
lapſis viuens occluſerat. Sectatores, quate-
nus exemplo magiſtri non reſipuerant; Hie-
ronymus ſcriptis, & Theodoſius edictis ſa-
pere docuerunt.

## CAPVT XIX.

## *Decima in fidem hæreſis Priſcillianiſtarum.*

INter hæc hæreſeos noua peſtis emergens ex inferis, ex periculo in periculum Eccleſiam in Hiſpania egit: vt ad tot incurrentes in ſe hoſtes cognoſceret ſe vere militantem eſſe, nec vnquam defore bellum, donec in triumphantem tranſierit. Author hęreſeos Priſcillianus fuit, gente Hiſpanus, vt vnde ſui cultus vindices Damaſum & Theodoſium Deus elegerat, inde ſibi etiam adminiſtrum Dæmon excitaret. Hic ita Manetem deliriis expreſſit, vt eius potuiſſet haberi diſcipulus, niſi collectis aliunde erroribus dignum ſe magiſterio probaſſet. Cum Sabellio de Trinitate ſenſit. In ieiuniorum ritibus, ne cum Eccleſia ſentiret, diebus ea Dominicis indixit. A Gnoſticorum ſordibus non horruit; an licitas putauerit, dubium. Certe occultas voluit, vel mendacio, vt crimen crimini patrocin um eſſet. Hinc & tritum illud à Maſſialianis ſumptum: *Iura, periura: Secretum prodere noli.* Cùm tàm nefaria profiteretur, fuere tamen etiam Præſules Inſtantius, & Saluianus, qui ea promouerint. Nec defuere fœminæ *Agape*, inter alias, *Procula & Galla*, vt à quo ſexu malum in orbe cœperat, ab eodem augeretur. Nec tam repreſſa peſtis in Cæſarauguſtana Synodo, quàm facta robuſtior, Hęreſiarchá Abilenſi Ec-

*Priſcillianus.*

*Hæreſis.*

eleſiæ à perduellibus præfecto; & ſententia, quà Gratianus Imper. vrgentibus Idacio & Ithacio Præſulibus Catholicis, ſectam damnauerat, ope Macedonij inter purpuratos primarii, reuocatâ. Sed quo tandem exitu, niſi vt in Burdigalenſi ſynodo damnati rurſum impij, à Maximo tyranno, ad quem prouocauerant, pœnas darent, vel capite vel exilio? Hæreſiarchæ pœna infuſcauit Ithacium, qui eam curauerat. Quippe non eſt Epiſcopi ad necem vſque, vel in hæreticum ſæuire. Hinc Martini Turonenſis cum ipſo contentio. Hinc eius & ſociorum ob pœnæ atrocioris patrocinium pœna & exilium, poſt necem Maximi. Cum authore ſecta, quam Hieronymus & Auguſtinus ante ſucculſerant, non prorſus concidit; vt & in hac arena Iunior Theodoſius deſudaret; ac demum repullulantem comprimeret Leo I. Epiſtola ad Turibium Aſturicenſem Epiſcopum, & indicto Generali in Hiſpania Concilio.

*Damnatur.*

*Et capite plectuur.*

400

## CAPVT XX.

### *Anacephalæſis de Origeniſtis.*

PEr hæc etiam tempora excitata dudum, & diu intermortua ab Origene procella, non leui metu, nec minori damno infremuit: vt quæ non *Antropomorphitis* ſolùm, *Millenariis*, &, vt volunt, *Pelagianis* inſurgendi animum dederit; ſed quæ Catholicos etiam Præſules, in *Chryſoſtomum* Eccleſiæ tum decus, Religionis tuendæ ſpecie,

animauerit ; & inanes vlciſcendi iniurias, cùm alijs tùm Eudoxię Auguſtæ per veram perſecutionem occaſionem præbuerit.

## CAPVT XXI.

### *De Origene & eius erroribus.*

*Origenes* 250 ORigeniſtarum parens Origenes tanti ingenij fuit, vt nullâ re magis, quàm eius exceſſu peccauerit ; Dum enim ſibi nimium fideus, quem per Scripturarum deuia ſequatur, vnum ſe deligit, ſublimia quidem ſcripſit, ſed ancipitis elogij ; ſic vt de ipſo iure dictum ſit ; *Vbi bene, nemo meliùs, vbi malè, nemo peiùs.* Tot vnus ſcripſit, quot vix multi legendis ſufficiant. Tam capacis & prompti erat ingenij, vt ſeptem Amanuenſibus diuerſi argumenti ſcripta ſimul dictaret ; & octodecimo ætatis anno Scripturas interpretatus tunc orbi docendo eſſet, cum alij manum ferulæ nondum ſubduxerunt. In hoſtes etiam fidei progreſſus ; Ethnicos, Marcioniſtas, Valentinianos, Arabes, qui animæ immortalitatem vocabant in dubium, & Ebionis de Chriſto placita renouabant, & alios ad Eccleſiæ obſequium vel adduxit, vel reduxit. Magna illa, & quæ Authorem inter prima Chriſtianorum decora ponerent ; niſi maioribus vitiis ſorduiſſet. Heu quid purum inter mortales ! quibus ex vero ſapere, gratiæ eſt ; cadere, naturæ. Hic dum ſe abſcidit, Eunuchos hæreticos peperit : dum libros de Principiis ſcripſit, errantium ſe principem fecit. Ibi animas coæuas Angelis, & in pœnam criminum cor-

*Acire celebris.*

*Et errans.*

poris ergaſtulo clauſas docuit; ibi alternas beatitudinis & damnationis vices adſtruit, ibi Reſurrectionis fidem conuellit, dum eam cuique non in proprio corpore futuram dixit. Totius demum Scripturæ certitudinem ambiguam reddidit, dum intempeſtiuis Allegoriis omnia inuoluit. Hinc ſacris motus, à Demetrio Alexandriæ Patriarchâ, nec ſcriptis Apologiis; nec ſuſcepto Romæ, coram Fabiano Pontifice, ſuæ fidei patrocinio, purgare notam potuit, quam ſcripta (quamquam forte ab Hęreticis, vt ipſe prætexebat, corrupta,) ante inuſſerant, quàm anathema ſentiret.

*Excommunicatur.* 232

## CAPVT XXII.

## *De Origeniſtis.*

CVm Origene adeo non concidêre diſcordiæ; vt Orientis diu turbatis Eccleſiis, Occidentales demùm concuſſerint. Author præcipuus Ruffinus fuit, Aquileienſis presbyter; quem ſimul cum Melaniâ Romanâ Nobili, Didimus Alexandrinus, cætera pius, infecerat. Facilè vel ſagacibus vitium imponit, cui affectata patroni ſanctitas, qualis in Ruffino fuit, pretium addit. Hinc eum Siricius Papa, dum hęret in cortice, & ex probitate animi ſui, nec de improbis male ſentit, Catholicum agnouit per literas communicatorias; fruſtra dolum detegente Marcellâ viduâ; quæ à D. Hieronymo Orthodoxæ doctrinæ placitis informata, Romanam Vrbem ſanctitatis & eruditionis non vulgaris opinione defixerat. At

*Ruffinus Origenis fautor.*

*Didimus etiam.*

animauerit ; & inanes vlciſcendi iniurias, cùm alijs tùm Eudoxię Auguſtæ per veram perſecutionem occaſionem præbuerit.

## CAPVT XXI.

### *De Origene & eius erroribus.*

*Origenes* 250 ORigeniſtarum parens Origenes tanti ingenij fuit, vt nullâ re magis, quàm eius exceſſu peccauerit ; Dum enim ſibi nimium fidens, quem per Scripturarum deuia ſequatur, vnum ſe deligit, ſublimia quidem ſcripſit, ſed ancipitis elogij ; ſic vt de ipſo iure dictum ſit ; *Vbi bene, nemo meliùs, vbi malè, nemo peiùs.* Tot vnus ſcripſit, quot vix multi legendis ſufficiant. Tam capacis & *Acire celebris.* prompti erat ingenij, vt ſeptem Amanuenſibus diuerſi argumenti ſcripta ſimul dictaret ; & octodecimo ætatis anno Scripturas interpretatus tunc orbi docendo eſſet, cum alij manum ferulæ nondum ſubduxerunt. In hoſtes etiam fidei progreſſus ; Ethnicos, Marcioniſtas, Valentinianos, Arabes, qui animæ immortalitatem vocabant in dubium, & Ebionis de Chriſto placita renouabant, & alios ad Eccleſiæ obſequium vel adduxit, vel reduxit. Magna illa, & quæ Authorem inter prima Chriſtianorum decora ponerent ; niſi maioribus vitiis ſorduiſſet. Heu quid purum inter mortales! quibus ex vero ſapere, gratiæ eſt ; cadere, naturæ. Hic dum ſe abſcidit, Eunuchos hæreticos *Fit errans.* peperit : dum libros de Principiis ſcripſit, errantium ſe principem fecit. Ibi animas coæuas Angelis, & in pœnam criminum corporis

poris ergaſtulo clauſas docuit; ibi alternas beatitudinis & damnationis vices adſtruit, ibi Reſurrectionis fidem conuellit, dum eam cuique non in proprio corpore futuram dixit. Totius demum Scripturæ certitudinem ambiguam reddidit, dum intempeſtiuis Allegoriis omnia inuoluit. Hinc ſacris motus, à Demetrio Alexandriæ Patriarchâ; nec ſcriptis Apologiis; nec ſuſcepto Romæ, coram Fabiano Pontifice, ſuæ fidei patrocinio, purgare notam potuit, quam ſcripta (quamquam forte ab Hæreticis, vt ipſe prætexebat, corrupta,) ante inuſſerant, quàm anathema ſentiret.

*Excommunicatur.*

232

## CAPVT XXII.

### *De Origeniſtis.*

CVm Origene adeo non concidêre diſcordiæ; vt Orientis diu turbatis Eccleſiis, Occidentales demùm concuſſerint. Author præcipuus Ruffinus fuit, Aquileienſis presbyter; quem ſimul cum Melaniâ Romanâ Nobili, Didimus Alexandrinus, cætera pius, infecerat. Facilè vel ſagacibus vitium imponit, cui affectata patroni ſanctitas, qualis in Ruffino fuit, pretium addit. Hinc eum Siricius Papa, dum hęret in cortice, & ex probitate animi ſui, nec de improbis male ſentit, Catholicum agnouit per literas communicatorias; fruſtra dolum detegente Marcellâ viduâ; quæ à D. Hieronymo Orthodoxæ doctrinæ placitis informata, Romanam Vrbem ſanctitatis & eruditionis non vulgaris opinione defixerat. At

*Ruffinus Origenis fautor.*

*Didimus etiam.*

Siricio ſuffectus Anaſtaſius, damnatis erroribus, & errorum poſtea vindice, diligentiâ reſtituit, quod incuriâ ipſe peccauerat. Ad
401 Comprimitur victoriam iam præiuerant Hieronymus, Theophilus Alexandr. Epiphanius Cyprius, & alij Fidei tum aſſertores eximij, contra Ioannem Hieroſolymę, Palladium Heleonopoleos, & alios Præſules, Origenis non tantum defenſores, ſed prope dixerim *idololatras*: ſeu iunctis vnà viribus, ſeu priuatim quiſque luctati. Hieronymo ſuæ tunc ſalutis partem maximam Occidens debuit. Nam libros de *Princ piis* ad verum interpretatus, veritati reddidit; ſi quos deprauata Ruffini verſio abduxerat. Nec minùs aliis debuit Oriens, dum ſuis quiſque in Eccleſiis per collectas ſynodos errores damnauere. Ex pœnâ horruere culpam plurimi; & cum ſuo ſignifero Ioanne Hieroſolym, Eccleſiam vt matrem ſunt reuerti, ex quo eos ipſa vt ſpurios abiecerat. At vt Ruffinus & alij non pauci, per quæſitas Origenis laudes, eius erroribus patrocinium quæſierint, ex nimio Authoris, cætera laudati, ſtudio, impia eius placita amauerint; non paucis tamen Origeniſmi labem inuſtam fuiſſe conſtat, quos nihil peccaſſe certum eſt; niſi quod vel Theophilo Alexandrino minùs placuerint, vel Origenis omnes libros damnare noluerint; licet in errores anathema dicerent. Hinc exortam eſſe dicunt procellam illam terribilem, quà plurimos Ægypti monachos, eoſque ſingulari pietatis & doctrinæ laude celebres, è ſuis cellulis excuſſit; & è Paleſtinà, quò ſe tamquam in Azylum rece-

perant, trans mare, Conſtantinopolim Theophilus egit; vt illic, ſi daretur, obrueret. Nam nihil moratus Chryſoſtomi, pro ipſis, quos humaniter exceperat, Epiſtolas & patrocinium; eos tamquam Reos, non Origeniſmi ſolùm, ſed aliorum etiam criminum, per ſummiſſos ſuæ factionis monachos opprimere conatus eſt. At cum illos non Chryſoſtomus tantùm, ſed Arcadius etiam, & Eudoxia Augg. & alij paſſim innocentes agnoſcerent; calumniæ conuicti accuſatores prolapſi ſunt in foueam, quam alijs parauerant; partim carceribus, partim exilio miſerè conſumpti. Hinc audaciores facti pij illi exules, oblatis Imperatori libellis accuſatorijs, ea ipſi Theophilo objecere crimina, tantâque fiduciâ probaturos ſe receperunt, vt in grande periculum adductum ſit tam illuſtre caput. At accitus Byzantium Patriarcha; ſiue authoritatis Patriarchalis, quam indignum videbatur à Monachis impeti, reuerentiâ; ſeu munerum, quibus purpuratorum fauorem emiſſe dicitur, pretio; ſeu etiam Eudoxiæ jam in Chryſoſtomum, ob liberiorem eius inter concionandum, vt putabat, licentiam exaſperatæ, gratiâ; ſeu etiam Præſulum quorumdam Chryſoſtomo infenſorum ſubſidio, non à ſe tantùm diſcrimen amolitus eſt; ſed monachis, quaſi ſuâ indignis iracundiâ, prætermiſſis, in ipſum Chryſoſtomum, cuius ſe tacito ſtudio accuſatum eſſe ſuſpicabatur, vim vltionis intendit. Idque exitu adeo felici, vt & innocentem Patriarcham è ſuâ tandem Eccleſiâ eiecerit, vt mox dicetur;

*Monachi vexati prætextu Origeniſmi.*

401 *Item Chryſoſtomus.*

303

Origeniſtarum factionem, ſi quæ ſupererat, ad ſeſqui-ſæculum prorſus oppreſſerit. Vel nunquam illam fuiſſe diceres, vel penitus extinctam. Sed ecce ſub Ioanne II. Pontif.
132 inſurrexit iterùm tam acriter, claſſicum inſonantibus Nonno, Leontio & alijs,
*Origeniſtæ reſurgunt.* quàm ſi nunquam fracta corruiſſet. Sed non alio tandem euentu, niſi vt à Sabâ, Theodoſio, & aliis pietatis eximiæ Cœnobitis, primùm coërcita; tùm à Menâ Byzantino Præſule, deinde à Vigilio Papa; denique ab Oecumenicâ Byzantinâ ſynodo, ipſe quoque
553 que damnaretur Origenes, cuius antea nomini parcitum fuerat. Sic reuixiſſe diſſi-
*Et reprimuntur.* dium dici potuit, ne ampliùs reuiuiſceret; nihilque magis Origeni obfuit, quàm quod plus iuſto illi quidam prodeſſe voluerint. Adeo acrius vel innocentiæ patrocinium; criminis ſæpe præjudicium eſt.

## CAPVT XXIII.

## *Molitiones Eudoxiæ & Theophili in Chryſoſtomum Origeniſmi nomine.*

*Chryſoſtomus Origeniſmi ſuſpectus.* CHryſoſtomum afflauit Origeniſtarum damnatio, & errantium mala paſſus eſt, qui errorum labem non ſenſerat. Nam dum Monachos Ægyptios cum Theophilo reconciliare ſtudet; eum ſibi hoſtem fecit. Acceſſit, quòd damnare cunctatus Origenem, vt monebat Epiphanius, eius patrocinij ſuſpicionem fecit. Adde quòd Eudoxiam Aug. in ſe crudelem reddidit, dum ob

non redditum viduæ agrum, auaram prædicat, & Eccleſiæ aditu arcet. Nec ſibi defuere Clerici, quos laxioris vitæ, & commercij liberioris cum ſacris virginibus conſcios, ad modeſtiam reuocauerat. Sed omnium acerrimus fuit Seuerianus Gabalenſis Epiſcopus; cui noua Bizantii molienti, dum dimiſit iniuriam reuerſus Epheſo, ad nouam præiuit. Tot ſimul hoſtibus nec vnus ceſſit, maior Hercule, & iam non ex eloquio tantùm, ſed magis ex firmitate *Aureus Chryſoſtomus*. Multi ſolum adorti ſunt; ſolus multos vicit. Nam qui eum tuebantur Epiſcopi, vel cadebant animis, vel *Origeniſmi* ſuſpecti, ei plus inuidiæ, quàm præſidij conferebant. Quid verò moraretur auxilium hominum; qui & innocentiam, & vindicem innocentiæ Deum habebat in partibus? maximè cum ex hoſtium caſtris Epiphanium diſceſſiſſe nouit. Hic enim, dum vidit, non hæreſim quam horrebat, ſed Præſulem Catholicum impeti; ne vindicatæ hactenus fidei laudem, innocentis Patriarchæ damnatione corrumperet, non expectato Theophilo reditum maturat in patriam. Sed de 402
viâ raptus ad cœlum, Chryſoſtomum magis innocentem intelligit, dum prophetam experitur. Quippe inter verborum rixas, vterque alteri ſuam extra Eccleſiam obitum minitabundus, vt dicunt, præſagierat. Interea Theophilus Byzantium appulſus, ex reo factus accuſator & iudex, ad Chalcedonis 403
ſuburbium, cui à quercu nomen, ſynodum tumultuariò cogit, & in ea Chryſoſtomum ſuæ & Eudoxiæ vindictæ immolat. Quid

*Quart.*

*Contendit cum Epiphanio.*

*Damnatur.*

non attentat potens fœmina , vbi ſe ſpretam rata , conatus impios adumbrat pietatis fuco ? Tunc tamen haud fauſtè ceſſere vota, Deo per prodigia innocenti patrocinante; quem vis humana perculerat. Vrbs tota horribili ſuccuſſu intremuit ; quippe fulcrum deerat; & populus ſeditionem minatus eſt ; luporum enim ferociam timebant oues, paſtore ſummoto. His territus Arcadius

*Recouatur.* exulantem ſedi reddidit quam amiſerat; Ipſe ſe zelo , quem non dimiſerat. Hinc noua in ipſum , & eius Amicos perſecutio. Dum enim nec Optimatum , nec ipſius Auguſtæ vitijs inter concionandum parcit ; & ſaltationes ad ipſius ſtatuam , non

440 *Iterum damnatur.* procul ab Eccleſia dedicatam fieri ſolitas grauiter reprehendit ; mirum quam furialibus in ipſum ſtimulis exagitata ſit impotens fœmina. Statim enim ad vindictæ conſortium adducto Arcadio , quos Præſules Chryſoſtomo parùm æquos nouerat , acciuit. Theophilus tamen periculi , quod à populo Byſantino , ob ſui Præſulis iniuriam commoto , vix nupereuaſerat, nondum oblitus , adeſſe ipſe per ſe non auſus , tres Præſules , ex Ægypto , ſibi addictiſſimos miſit. Ab ijs id vnum imputatum illuſtri Reo,quod abdicatus à Synodo , abſque alterius Synodi ſententià , contra Canonis Antiocheni præſcriptum,ſe Eccleſiæ reddidiſſet.At cum exciperetur, eum canonem ab Arianis contra Athanaſium ſancitum , non habendum eſſe à Catholicis pro lege , & in longum altercatio protraheretur ; tandem vt Patriarcham quaſi conuictum ab Eccleſia eijceret Arcadius impulſus eſt. Id verò tantâ ferociâ

& impietate præſtitum eſt pridie Paſchatis, diſtractâ per vim multitudine, quæ S. Præſuli baptiſmum Catechumenis adminiſtraturo, frequens aderat, vt Eccleſia videretur à Barbaris occupata; & non tantùm cæſorum ſanguine baptiſterium reſperſum ſit, ſed ipſe etiam Chriſti ſanguis, in Eccleſia tunc aſſeruari ſolitus, ſacrilegè diffuſus, militum veſtes intinxerit. At exilij pœna, quam culpa non meruerat, Aureo præſuli in gloriam ceſſit; dum per demiſſam inuſitatæ magnitudinis grandinem, & erumpentes ab Epiſcopali ſolio flammarum globos, qui Eccleſiam, curiam, & plurima ædificia conſumpſere, vrbe territâ & deformatâ, innocentiam exulis Deus vindicauit. Nec propterea intermiſſa eſt, quæ aduerſus Patriarcham, & eius fautores, qui propterea *Ioannitæ* dicti ſunt, cęperat perſecutio. Ille enim adeo inhumanè à ſatellitibus habitus eſt, vt vita ei non videretur relicta, niſi vt diutius periret. Iſti verò quaſi prodigioſum excitaſſent incendium, turbaſque miſcerent, quod Arſacium Chryſoſtomo ſubintruſum nollent vt Patriarcham agnoſcere, variè vexati ſunt. Plurimi tamen elapſi Romam ad Innocentium Pontif. contenderunt; vt eum innocentiæ patronum haberent, qui tam iniquos Orientales paſſi fuerant. Id etiam per Epiſtolas ab exilio ſcriptas Chryſoſtomus petiuit. Benè igitur Pontifex, ſuâ illos communione indignos judicauit, qui tantâ ferocitate in innocencentes ſæuierant. Nec eos in gratiam recèpit, donec Patriarchæ ſanctiſſimi nu-

*Sacrilega ferocia.*

*Prodigia.*

*Ioannitæ.*

*Prouocatur ad Pontific.*

per, ex exilijs moleſtij defuncti nomine in
406 ſacras tabulas relato, pœnitentiâ emendaſſent, quod injuſtitiâ puccauerant. Id ſtatim factum ab Alexandro Antiocheno, nec diu poſt ab Attico Byſantino, & alijs. An Theophilus vel in morte pœnituerit, non conſtat. Sed Cirillus eius ex ſorore
408 nepos, & in patriarchatu ſucceſſor, poſt aliquas moras tandem reuerenter impleuit. Inde pax & amica inter Eccleſias ſocietas, quæ non ante ſanciri verè potuit, quam Ioannis innocentia, eorum etiam teſtimonio comprobaretur, qui tot eam criminationibus & dolis violauerant. Magna damnati gloria; vt reuereri mortuum coacti ſint, qui eum viuentem vexauerant.

## CAP. XXIV.

### *Pontifices quarti ſaculi.*

QVam dilucidè in Diocletiano & aliis, qui ei non tam in Imperio, quàm in atroci aduerſus Chriſtianos ferociâ fuere collegæ, probatum eſt: Non eſſe conſilium contra Dominum. Adeò enim tanto crude-
304 litatis ſtrepitu Chriſtianitas exciſa non eſt;
*Marcell. XXXI.* vt firmior potius euaſerit. Certè *Marcellus* Marcellino ſuffectus rem Chriſtianam adeò promotam agnouit, vt ſeptem ab Euariſto
*Paræciarum numerus auctus.* conſtitutas Romæ parœcias, ad 25. augere coactus fuerit, miniſtrorum etiam, qui illis regendis incumberent, numero adaucto.
*Cardinales.* Qui verò cæteris miniſtris præerant, *Cardinales* dicebantur, & inde *Cardinalium*

origo. Cœmeterium, quod à Priſcilla matrona nobili, cuius impenſis conſtructum eſt, nomen habet, viâ Salariâ conſtituit. Non modicis præthereà opibus, quas Lucina hæreditatis nomine dedit, Eccleſiam muniit. Poſt hæc qui tam feliciter fidelium alimento ſiue ſpirituali, ſiue corporali prouiderat, ad publica in catabulo paſcenda iumenta à Maxentio damnatus eſt; vt qui paſcendo fideles mercedem æternam meruerat, eam iterùm mereretur diuturnâ in paſcendis animalibus patientiâ; atque adeò adipiſceretur ſexto Pontificatus anno. 309 *16. Iun.*

*Euſebius* ei ad duos circiter annos ſubſtitutus, Donatiſtas reſipiſcentes impoſitione manuum in gratiam recipiendos eſſe cenſuit; Dicitur etiam Euſebium Verſellenſem à matre Reſtituta è Sardinia delatum adhuc tenerum, fidei rudimentis imbuiſſe, & collato baptiſmate de ſe nominaſſe. *Euſeb. XXXII.* 309 *5. Febr.* 311 *26. Sept.*

Quàm felix *Melchiades*, qui ſuffectus Euſebio infra triennium regiminis inchoatum, & Tyrannidem in Maxentio demerſam, & Chriſtianitatem, de idololatriâ in Conſtantino triumphantem vidit. Eius & ipſe allaborauit victoriæ, dum pro Cæciliano Carthaginenſi Præſule, & Catholicis, quos Traditionis crimine Donatiſtæ infamauerant, ſententiam dixit; quam ſchiſmatici à Conſtantino, qui eos ad Melchiadem, ut par erat, remiſit, ſperauerant. Vetuit ne diebus Dominicis, & feriâ quintâ Chriſtiani ieiunarent; ne vel in hoc cum Ethnicis, qui dies illos ſuis ieiuniis deſtinauerant, conſentirent. *Melchiad. XXXIII.* 311 *1. Octob.* *Damnat Donat.* 313 *17. Dec.*

*Sylveſt.* Melchiadem *Sylueſter* excipiens mirùm
XXXIV. qua felicitate ſplendorem Eccleſiæ promo-
314 tum, & fidei veritatem firmiùs aſſertam
*1. Febr.* Conſtantini imprimis magnificentià & pie-
tate viderit. Licet enim ex quodam Impe-
ratoris pro Aruſpicibus decreto nonnihil a-
*Latebra.* licubi inſultantibus impiis, ad latebras ipſe
Soractis montis fuerit compulſus; emenda-
to tamen breui poſt Imperator edicto, &
ferociam impiorum repreſſit, & Eccleſias
vbiuis magnificè conſtructas liberaliſſimè
locupletauit, & immunitatibus auxit. Cum
interea Papa interiori Eccleſiæ decori, fi-
deique præſidio allaboraret. Nam in Ro-
mano Concilio ne ſimplex Sacerdos chriſ-
mate frontem baptizati liniret inhibuit; &
*Redituum* vt opes Eccleſiæ in quatuor diuiſæ partes, ad
*ſacrorum* Præſulis, cleri, pauperum, & fabricæ vſum
*diuiſio.* impenderentur, conſtituit. Tum in alterà
Romanà Synodo, approbato Niceno Con-
cilio, cui per Oſium Cordubenſem & alios
335 præfuit, & Arij hæreſim, & Schiſma vetus
*31. Dec.* Quartadecimanorum; & nouum Meletij
*Marcus* coërcuit. Poſt hæc qui militantem Eccle-
XXXV. ſiam ad 22. fermè annos tam feliciter rexe-
336 rat, ad triumphantem vocatus, locum fe-
*16. Ian.* cit *Marco* ad octo dumtaxat menſes.
*Iulius* *Iulius* verò, qui Marcum excepit, vl-
XXXVI. tra quindecim annos ſummà prudentiæ, for-
336 titudinis, & pietatis laude clauum Eccleſiæ
*27. Octob.* tenuit. Athanaſium, Marcellum Ancyra-
*Athanaſ.* num, & alios in Antiochenà Synodo ab Eu-
*& alios* ſebianis abdicatos Romæ benigniſſimè ex-
*abſoluit.* cepit, & cum Euſebiani vt promiſerát & iuſſi
fuerant, non aduenirent, innocentes dixit in-

Synodo. Tùm quia neque per iuſſa, neque per monita euicit, vt præſules ſuis Eccleſiis reſtituerentur; Conſtantio, qui Euſebianis ſe totum abdixerat, id abnuente; egit apud Conſtantem, vt Sardicæ habito vniuerſali Concilio, cui per Archidamum & Philoxenum Preſbyteros præfuit, Innocentes rurſum dicerentur, abdicatis Euſebianis plurimis, qui ſcelerum & hęreſeos conſcii Philippopolim ſe receperant: & Conſtantij tyrannide freti in præſules Catholicos, & in ipſum nefas! Iulium, dixerunt anathema. Conſtantis tamen zelo, qui minaces ad fratrem literas ſcripſit, nonnihil repreſſi plurimi, aquieuere Concilio, & paſſi reſtitui Catholicos, ne ſuis ipſi ſedibus pellerentur, veniam à Iulio petierunt. Obiit demùm inchoato decimo ſexto Pontificatus anno.

*Sardic. Concil.*

*Euſebianorũ proteruia.*

*352 12. Apr.*

Viſa non diù poſt nonnihil nutare pars Catholica ſub Liberio, qui Iulium exceperat. Initio quidem eximiam de ſe ſpem fecerat, Euſebianorum, qui ad ſe legatos aduersùs Athanaſium, & pro ſe miſerant, reiectis calumniis, & Alexandrinæ Synodi pro Athanaſio votis aſſenſus. Nec minùs conſtantiæ prodiderat, cum damnationi Athanaſij, aſſenſo Vincentio Capuano, quem ad Conſtantiũ, Arelatem Legatum vnà cũ Marcello miſerat, per nouas ad eumdem Conſtantium & per Legatum Luciferum Mediolanum delatas literas, libertate verè Apoſtolicà, quæ per ignauiam Legati peccauerant, emendare conatus eſt. Quid quod Romæ ad Euſebij eunuchi promiſſa, minas, munera infractus perſtitit? Et Mediolani demùm,

*Liberius XXXVI.*

*352 8. Mai.*

*Strenuitas*

quò iuſſu Conſtantij perductus eſt, exulare Beream maluit, quàm cum impiis aduersùs Athanaſium ſentire. Sed poſteà ambiguæ,
*Ignauia.* quam Sirmienſis Pſeudopræſulum cœtus compegerat, fidei formulæ, ac Athanaſij damnationi aſſenſus, quas palmas ſtrenuitate meruerat, indigno transfugio corrupit. Vnde Romæ animorum ſubita miraq; conuerſio. Nam quem in exilio vt verum Pontificem venerati hactenus fuerant, Antipapæ Felicis peroſi commercium, vt alibi dictum
*l. 3. c. 6.* eſt; eum in ſolio auerſati ſunt vt intruſum,
*Felix.* *Felicis*, qui eius perfidiam damnauerat, ve-
*XXXVIII.* nerati conſtantiam. Quo itaque gradu euaſurum ſe rurſus ad ſolium putauit, eo eo verè deturbatus eſt. Verè *deiectus dum alleuaretur.* Nec ei apud fideles authoritas ac veneratio ante reddita eſt, quàm poſt Ariminenſe Concilium, reiectis quæ Seleuciæ &
*Reſipiſcentia.* Conſtantinopoli contra fidem Ariani decreuerant, prioris transfugij maculam, poſte-
*Arianos* riori confeſſione eluiſſet. Nec viſus eſt ite-
*damnat.* rum pelli & agi ad latebras, niſi vt mortuo interea Conſtantio, ſuæ Sedi reſtitui, non iam ex ſimulatà, aut diſſimulatà ignauè perfidià, ſed ex Religione ſtrenuè defenſà me-
367 reretur. Vitam demùm nonnullis ſubinde
*9. Sept.* næuis interſtinctam ſanctiſſimè clauſit de-
*l. 3. c. 17.* cimo ſexto Pontificatus anno inchoato.

*Damaſ.* *Damaſus* Vrſiciano ſchiſmate, de quo
*XXXIX.* alibi, compoſito, Liberium excepit, vt qui
367 eius, poſt reſipiſcentiam in ſuburbiis latitan-
*15. Sept.* tis Vicarius fuerat, eum piè defunctum in dignitate ſequeretur. Ex nominis omine ſuum totum regimen, quod annorum ſep-

temdecim fuit, victoriis conſignavit. Ab Vrſicino & ſchiſmaticis ad hæreticos digreſſus, Auxentium, Valentem, Vrſacium, alioſque Arianorum ſigniferos, nec non Apollinarem & gregales in Synodis Romæ damnauit. Priſcillianum hæreſeos purgaturus infamiam, ex Hiſpaniis ad ſe profectum ab alloquio excluſit. Byzantinâ primâ Synodo generali approbatâ, Macedonianam hæreſim proſcripſit. Multa ad externam Eccleſiæ diſciplinam, & internum Religionis cultum pertinentia, Hieronymi ad hoc Romam acciti ope ſapientiſſimè conſtituit. Sacris Martyrum Reliquiis tumulos erexit, & tumulis elogia ſepulchralia inſcripſit. Edixit tandem vt ad finem cuiuſque Pſalmi, dum in Eccleſiis canitur, glorificationis Hymnulus *Gloria Patri*, &c. adderetur. In his elogium ſibi numquam deſiturum moriturus ſub magno Theodoſio Pontifex præſcripſit. Nec enim pulchriùs ſanctiſſimi Pontificis vitam ornari verè credas, quàm ſi ipſum & laudaſſe Martyres, & vt adoranda Trinitas ſpeciali ritu quotidie laudaretur edixiſſe videas.

*Hæreticos damnat.*

384 11. *Dec.*

Damaſum in dignitate ſecutus *Siricius* eſt, at non ſimul in zelo. Licet enim Nouatianis, Montenſibus, & Iouiniano coërcitis, pro Clericorum cœlibatu tuendo ſollicitus fuerit, & cum Theodoſio egerit, vt Symmachus, qui eum, pro reſtituenda in Capitolio Arâ victoriæ, rogare ſuſtinuerat, exilio mulctaretur; & aduerſus Idololatras aſperiùs ageretur: Malè tamen dicitur meruiſſe de Eccleſiâ, quia non benè de Paulino ac Hie-

*Siricius* XL.

385 11. *Ian.*

*Iniquus in Hier. & Paulin*

ronymo, qui Eccleſiæ vindices indefeſſi erant. Hieronymum enim paſſus eſt à Clericis vexari, ac in Paleſtinam agi, quòd eos mollius, quàm pro ſtatu viuentes, vexaſſet ipſe ſub Damaſo. Paulinus verò ad Seuerum Sulpitium luctuosè conqueritur, maximum ſibi gratiæ Dominicæ detrimentum contigiſſe ex *Vrbici Papæ* ſuperbâ diſcretione.

*Mollior in Ruffin. & Orig.* Nec ſatis etiam diligenter incubuit in euellendis ex agro Dominico Origenis zizaniis, quæ Ruffinus & Melania ex Oriente reduces inſperſerant. Dignus propterea qui à ſupremo Patrefamilias à ſuâ præfecturâ ipſe auulſus Miniſtro diligentiori locum faceret, decimo quarto ineunte Pontificatus anno. *398 22. Feb.*

*Anaſtaſ. XLI.* *Anaſtaſius* enim vir Apoſtolicæ ſollicitudinis, ita errorum germen anathematis falce reſecuit, vt aſtutum eorum vindicem, quod Romam vocatus non veniſſet, ſimul perculerit. *398 14. Mar. Damnat Ruffin.* Cum Donatiſtis mitiùs actum voluit; vt quos ſi ex animo reſipiſcerent, ſine dignitatum damno recipi annuerit, ex Concilii Carthaginenſis iudicio. *Donatiſtis parcit.* Diaconos, qui Romæ cum Sacerdotibus de gradu contendere auſi fuerant, ità compeſcuit; vt Sacerdotes canentibus Euangelium Diaconis, ſimul ſtare incuruis nonnihil humeris voluerit. *Contentio Diaconorum cum Presbyr.* Accurato demùm in omnibus regimine dignum ſe præſtitit, qui ante tolleretur ad cælites, quàm in prædam Roma barbaris cederet: Ne orbis caput, ſub tali Eccleſiæ capite tolleretur. Obijt autem ineunte quinto Pontificatus anno. *402 27. April.*

## CAPVT XXV.

### Vndecima in fidem hæreſis, Anthropomorphitarum.

DE *Antropomorphitis* fuit hoc etiam tempore contentio: eam enim laruam Catholicis appingebant fautores Origenis, vt Aduerſariorum inuidiâ, ſuos crimine abſoluerent. At innocentiæ præjudicium non eſt, alijs tributus error, vel ex vero; quid ſi ex falſo? quiſquis ita ſibi patrocinatur, adeo ſe non purgat, vt inficiat. Grauior ergo Origeniſtarum culpa, quod vt innocentiam ſibi adſtruerent, innocentes in culpa poſuerint. Etſi enim Catholici, eorum de reſurrectione conuulſo delirio, ſuſcitata corpora in lucidos aëris globos transformatum iri negarent; non tamen Deum ad hominis effigiem effingebant. Iſtius author vecordiæ Audæus, iam tum ex Arij temporibus innotuerat. Hic hominem ad Dei ſimilitudinem fuiſſe compactum, capere non poterat; niſi Deo humanam figuram prius fuiſſe intelligeret. Peccaſſe & in hoc, eius ſectatores dicunt, quòd crimina non debito, ſed ridiculo ritu confeſſos, per abſolutionem in gratiam accipiebant; nullâ impoſitâ reo pœnâ, quâ ſatisfaceret. Fuit hæc diſcipulorum, poſt ipſum, peruerſitas; ipſum enim, & ei coæuos diſcipulos ad normam innocentiæ vixiſſe, Antiquorum ſententia eſt: ſi tamen non in crimine, illa innocentia, ex qua venit ad tantam confidentiam, vt Præſules etiam parùm ex Apoſtolico ſenſu vi-

341 *Audæus Anthropomorphitas condidit.*

uentes palam reprehenderet. Hinc eorum in ipſum odium, & eius ab Eccleſiâ ſeceſſio, quaſi pereundum ſibi eſſe crederet, quod alios ab interitu non reuocaret. Ne deeſſent in quos felicius Magiſtrum ageret, in Scythiam à Conſtantio amandatus eſt. Ibi toxico vertente in antidotum, fidem emortuam exſuſcitauit; & plurimas Eccleſias, vel de nouo condidit, vel collapſas reſtituit. Mirabilis planè Dei ſapientia: *Scythas conuertit.* qui damnum vnius in plurimorum lucrum vertit, & per transfugam (ſi perſeuerauit in vitio) transfugas ſibi aſſeruit.

## CAPVT XXVI.

## *De Millenarÿs.*

*Quid millenarÿ.* AD Origeniſtarum diſſidia inualuere *Millenarii*, quos velut emortuos Apol-
373 linaris nuper excitauerat. Hi cum docerent homines poſt reſurrectionem mille annos in terris inter ſummas delicias moraturos; neceſſe fuit, vt ſibi cauerent ab Origeniſtis, qui Reſurrectionis fidem abiecerant. Sic in errorem, dum impingit error, vterque infringitur; & Eccleſiæ triumphis allaborat. Delirium illud iam olim Cerintho placuerat, & hoc ſatis erat ad anathema: niſi ſe magnis rei Chriſtianæ vindicibus Papiâ Hieropolitano, Iuſtino, atque Irenæo tutatum eſſet. Adeo nec excelſi viri ſupra caſus aleam ſunt: Error tantis probatus Authoribus, diu apud multos pro veritate fuit; ſic vt nec illum refellere quiſquam auſus ſit, nec Eccleſia proſcribere: ne in vitio quod oderat, Athletas ſuos

ſuos videretur odiſſe, quos amabat. At latiùs 264
demùm ſerpente malo, Nepotis Epiſcopi patrocinio, ſcriptis contra obſtitit Dioniſius Alexandrinus. Ab hoc repreſſum ita obſtupuit, vt ſui ſenſum prope non fecerit, donec illud Apollinaris, ſuam ob pertinaciam, in hæreſim transformaſſet. Hinc in ipſum Damaſi anathema, & ex eo excidium. Nam *Damnantur.* 402
quod damnatis fauerit Seuerus Sulpitius, & nonnulli ex illa factione ſuperſtites, aduerſus Origeniſtas depugnando; fuit hic peſtis iam euaneſcentis conatus vltimus. *Nec* poſthac extitit, qui de huiuſmodi nugis excitandis vel cogitauerit.

## CAPVT XXVII.

## *Duodecima in Fidem hæreſis Pelagianorum.*

EX Origenis etiam ſchola dicitur prodiiſſe Pelagius; hoſtis, ſi quis vnquam Eccleſiæ peſtilentiſſimus. Tam horridi fœtus, naturam puduerat; ideo apud diuiſos *Pelagius.*
toto orbe Britannos illum effudit & abdidit. At ſuapte ipſe indole ſe prodidit, vt orbem reliquum inficeret. In Ægypto poſtea ſub ouina Monachi pelle, animum lupi fouens in Ouile Domini attrociter graſſatus eſt. *Originis negatâ in homine labe, naturæ patronum egit, vt eam damnaret. Veram Christi gratiam non in impulſione interna animi, ſed in illuminatione tantùm ponens, ſalutem in noſtra natura poſitam eſſe dixit,* *Hæreſis.*
*vt nos perderet, & Saluatorem repudiaret, libertatem euexit vt præcipitaret; eamque ita*

*ſui dominam fecit, vt Dei dominium extingueret.* Peſſundatum ibant Eccleſiam hæc dogmata; vt quæ, ſublatà gratià, ſine vi, ſine animà, velut exſuccum & exangue cor-
412 pus langueat, neceſſe eſt; ni Carthagine ſtatim in ſynodo Celeſtius eorum aſſertor
*Reprimitur.* damnatus eſſet. Diſcipulo Magiſter cautior, Dioſpolitanos Præſules, ad quos ab *Hieronymo* & *Auguſtino* extruſus è latebris,
415 accuſantibus eum *Herote* & *Lazaro* Gallis Præſulibus,& Orontio Hiſpano Presbytero, cauſam dicere coactus eſt; ſic reſponſis ambiguis eluſit, vt euaſerit,ſi non innocens, ſaltem indemnatus. Quamquam cur indemnatus, qui ſe damnauit ex vero, dum hæreſes proſcripſit ore, quas fouebat in animo? Nec haberi potuit innocens, quem Innocentius Pontif. Rom. pro reo ſemper habuit. Nec eum vnà cum Celeſtio innocentem exi-
416 ſtimauit Zozimus Innocentio ſuffectus, niſi
418 vt poſteà detectà verſipellium fraude bis reos haberet. Celeſtius enim fidei ſuæ libellum Zozimo oblatum, eà arte contexuit, vt ſub verborum ambiguitate erroribus diſſimulatis, nihil non Catholicum præferre videretur. Ob id cum præterea ſuffragari ſe Epiſtolæ Innocentij aduerſus errores Pelagij profiteretur; æquiorem ſibi Pontificem reddidit. Cum præterea per literas nihil non Catholicè in ſpeciem continentes à Pelagio ex Oriente ſcriptas deceptus Pontifex eſſet; & Hæreſiarcham Catholicum agnouit, & in literis ad Affiricanos præſules ſcriptis, eius accuſatores *Herotem* & *Lazarum* calumniæ reos declarauit. Sed à Carthagi-

nenſi 214. Antiſtitum Synodo cõmonitus; & à Celeſtij ſimul in damnandis ſine ambiguo erroribus tergiuerſatione conuictus, eos etiã ipſe damnauit. Pontificibus aſſenſi Africæ præſules, Carthagine iterum, ſemel Mileui in ſynodum coacti, in Hęreſiarcham & gregales, ni reſipiſcerent, dixerunt anathema; & Auguſtinum, qui nouam in Hydram eſſet Hercules, elegerunt: vt vindicata ab hoſtibus Dei gratia, trophæum Auguſtini fieret, quemadmodum aſſertus Deo Auguſtinus, *Auguſt.* trophæum gratiæ fuerat. Athletæ nobilis, *in Pelag.* quem Honorius Imp. edictis in impium muniuerat, vel vmbram Hoſtis veritus, in ſuam ſe Britanniam recepit, vt nouà peſte, illa præſertim tellus periret, quæ ipſam effuderat. 409 Quamquam Lupus Trecenſis, Germanus Altiſiodorenſis Præſules, & Palladius Romanus Diaconus, eò à Celeſtino *In Anglia* Pontif. & Gallica ſynodo miſſi, monſtrum *impugna-* in Palæſtinà, Africà, Italià profligatum, in *tur.* ſuo demum confecerunt ſterquilinio. Illa victoria pro gradu Palladio fuit ad nobiliorem, vt qui ad huius inſulæ Borealia, fidei luce diffuſà, Scotorum Apoſtolus dici meruerit. Nimirùm illa Dei conſuetudo eſt; vt ex malis bona eruat: & ſinat aliquos perire, vt multi non pereant. Nec interea datum *Scoti* Auguſtino quieſcere, vt nouis ſemper victo- *conuerſi.* riis inclareſceret. Nàm obtrito non ſemel Iuliano Capuano præſule, qui ſe Pelagio ſuffecerat, nouis vbique ſoboleſcentibus ex *Auguſt.* damnata radice ſurculis exſcindendis tam *in Iulia-* promptus aderat, vt per eum ſæpe ſe viciſſe *num.* ante Eccleſia cognoſceret, quam hoſtes ha-

buiſſe. In nouos tandem Prometheos intorſit anathema Epheſina Synodus; vt Neſtoriana peſtis, ſuæ ruinæ ſociam haberet Pelagianam, cui ita ſucceſſit ordine temporum, vt dum Chriſtum ex meritis Deum factum docuit, ſuo ipſam prægeneratam vtero, non iniuria dixerit apud Proſperum. Meritò igitur vna de altera dicet. *Mecum oritur, mecum moritur, mecumque ſepulchrum intrat, & inferni carceris ima ſubit.*

## CAPVT XXVIII.

## *De Semipelagianis, ſeu Pelagianorum Reliquiis.*

NOn ſtatim poſt victoriam pax fuit & ſecuritas. Ex Semipelagianis non minùs periculi incubuit, quam ex totis. Hi ore tenus execrati Pelagium, Pelagianiſmum fouebant animo: & veram de gratia Doctrinam verbis profeſſi, ad eam tamen, quoſdam libertatis conatus, præire contendebant. Sic quam voluntatis dominam Deus voluit, fecere pediſſequam; & totum amiſerunt boni operis meritum, dum initium ſibi aſſeruerunt. Motus primos excitarunt in Affricà, vt eàdem in Arenà & Pelagium & ſobolem Auguſtinus conficeret. Cœpit in Adrumetinis monachis, & Vitale, victoria. Hos ob id turbatos, quod per efficaciam gratiæ quam aſſerebat Auguſtinus, libertatem videretur interimere, & vim correptionis eneruare; ſic per ſcriptos libellos ſapere docuit, vt ſi aliter id remedij haberi non poterat, præſtiterit ægrotaſſe. A Maſſilienſibus

*Errores.*

419 *Adrumetini Monachi.*

preſbyteris vis maior incubuit, Ducibus Caſſiano, Vincentio, Fauſto, Gennadio, & & aliis. Iſti Auguſtinum, cætera, vt profitebantur, reueriti, in hoc haud ferre poterant; quod gratiæ partes ſtudioſiùs agens, non ſatis libero cauiſſet arbitrio, & quaſi fatum gentium inuexiſſet. Sed vt ad ſpectrum inhorreſcebant ſcrupuloſius, quod citra vllam meritorum præſcientiam, quoſdam à Deo ita deſtinari ad gloriam diceret, vt alij, occulto iuſtoque iudicio, relinquerentur ad pœnam. In hos etſi ſtrenuè obniterentur Proſper Regienſis, & Hilarius Arelatenſis Antiſtites, videbatur tamen nutare victoria, donec in auxilium accitus eſt Auguſtinus. Hic ſcriptis illico eximijs illis de prædeſtinatione ſanctorum, & dono perſeuerantiæ ad Proſperum & Hilarium libris; & qui tunc in veram Chriſti gratiam inſurrexerant hoſtes obtriuit; & aurea Eccleſiæ arma, quibus Ingrati in perpetuum obtererentur, prouidit. Sed eo poſteà, qui diu in terris vicerat, ad triumphi gloriam vocato, ſic recruduere diſſidia, vt Proſpero & Hilario nihil minùs cum fractis hoſtibus laborandum fuerit, quàm cum integris. Adeo conuincere errantem facilius eſt, quàm vincere. Nec plena ipſis victoria obtigiſſet; etiam poſt Gallos, Genuenſes, Vincentium, & qui omnium inſtar erat Collatorem ſeu Caſſianum per ſcripta à Proſpero coërcitos; ni pertinacibus obſtruxiſſet ora Celeſtinus Pontif. Arauſicana ſynodus, obluctantes exarmaſſet; & tùm ſecuti Pontifices, Leo, Gelaſius, Hormiſdas; tùm Doctores eximij

*Et Maſſilienſes.* 426

*Errores.*

*Proſper & Hilar. & Auguſtinus in eos.*

*A Pontif. damnati.*

Fulgentius Ruſpenſis, Auitus Viennenſis, Cæſarius Arelatenſis, & alij gratiæ Chriſtianæ aſſertores incliti ita contudiſſent, vt ſi qui poſtea eorum ex cineribus prodierint, prius damnati cenſeri debeant, quam nati.

## CAPVT XIX.

### *Iudæorum noua clades ſub Conſtantino, Conſtantio & aliis.*

IVdæis ſub Alexandro Mammeæ Imp. qui eis in Palæſtinâ degere,& Præfectum loco
224 Regis,qui jus eis diceret,habere permuſit,viſa eſt blandiri fortuna, ut ex guſtatâ proſperitatis aliqua dulcedine, pœnarũ quibus rebellantes iterum Conſtantinus obruit, ſenſus eſſet acerbior. Cum enim in Chriſtianos, maximè qui ab ipſis deſciuerant, molirentur impia, & veſaniam armis deffen-
*Iudæi vexati à Conſtantino.* derent; innumeros decurtatos auribus, & ſtigmate inuſtos,circumduci per vrbes juſſit, vt ex ignominiæ ſaltem ſenſu Chriſtianis non tantum parcere, ſed etiam obſequi do-
355 cerentur. Nec dum tamen ita dociles ad jugum redditi ſunt, vt nouas in ſe clades per nouas rebelliones non accerſerint. Nam ite-
*Et Conſtantio.* rum ſub Conſtantio tumultuantes, & mili-
313 tum, quos perfide occiderant, ſe armis tuentes, Gallus Cæſar ita obtriuit, vt nec ætas innoxia infantes ſeruauerit. Nec feliciùs impiis ceſſit fauor Iuliani. Eos ita ad miſeriam ſuum fatum damnauerat; vt etiam beneficia ipſis verterentur in pœnam. Dum enim templum rurſus molientes in Deum

pugnant ; & Diuino , de perpetua ipſius va- *Templum*
ſtitate , vaticinio , fidem negant , in Archi- *dum in-*
tectos temerarios mouentur elementa , pro *ſtaurant*
ſuo. Tellus vaſtè concuſſa opus hauſit & opi- *prodigijs*
fices , & per emiſſos è fundamentis flamma- *terrentur.*
rum globos , plurimos abſumpſit. Ne pro-
digiorum lateret Author , & vna in ſublimi
viſa crux , & plurimæ veſtibus impreſſæ ſa-
crilegos terruerunt. Cum molitiones apertę
non ſuccederent , ad occulta ſacrilegia di-
uertêre. Maximè dum Amani pœnam ,
quam ritu annuo adumbrant , in Chriſti
Crucifixi trahunt ignominiam. At quorſum *Chriſtum*
tandem , niſi vt ab vtroque Theodoſio , Ho- *irrident.*
norio , & alijs per edicta coërciti ; vix vn- 384
quam pœnam euaſerint , qui culpam admi- 408
ſerant ? Auſi tamen poſthæc multi & priſca
miracula cogitare ; & Iudaicam ex Creta
profectionem , ſicco tentare veſtigio. Eam
ſtolidis ſpem fecerat impoſtor qui ſe Moſem
de cœlo miſſum mentiebatur. Nempe vt ſub *Delu-*
falſo Moſis nomine Pharaonem exprimeret, *duntur &*
in vndis cum plurimis gregalium demerſus. *merguntur.*
Ex pereuntium naufragio ad nauem Eccleſię
multi venere. *Ea quippe vera promiſsionis*
*terra , ad quam per vndas , non Pelagi , ſed* 432
*Baptiſmi veniendum eſt.*

## CAPVT XXX.

### *Decima tertia in fidem Hæreſis Antidicomarianitarum, ſeu Heluidij, Iouiniani, Vigilantij, &c.*

VIrginitas cœli quondam vnius accola
fuit , nunc & terræ , vt eam ſui hoſpitio

in cœlum mutet; & nouos hoſpites cœlo paret. Nam ex quo Deum inter homines peperit; Homines Deo parere non deſinit. In eam inſurrexit author libidinum, non difficilem ſibi de Eccleſia victoriam fore ratus, ſi decus eius præcipuum conuelleret. Eam itaque infra ſortem connubij dejectam, &
382 ablatam Deiparæ, (vnde *Antidicomarianitæ*) per Heluidium, in Italia; Bonoſum in Macedonia, & Apollinaris quoſdam diſcipulos in Affrica impetiit. At vtrobique per Athletas nobiles victrix Eccleſia; Hic per Damaſum & Hieronymum; ibi per Anyſium Theſſalonicæ præſulem, ex ſynodi Capuanæ decreto; Alibi per Epiphanium, ſuum cœlo, Deiparæ, ſibique decus aſſeruit. Iis nihilo verecundior Iouinianus virginitatis in Deipara læſæ ſacrilegio noua ſuperaddidit, vt turpiùs periret. Ciborum damnauit abſtinentiam; quam pudicitiæ alimentum nouerat. In Chriſto verum hominis corpus noluit cum Manete, ne Deus nexu mirabili junctus homini in virgine dici poſſet. Omnes Chriſtianos eumdem aſſecuturos gloriæ gradum aſſeruit, ne ſpe maioris ſupra coniugatos præmij, ſibi virgines blandirentur. Hoſtem iam inſ. actum in ſociis Hieronymus iterum & Auguſtinus ſtrauerunt ſcriptis. Siricius Papa, & Ambroſius in Mediolanenſi Concilio confecerunt. Vt ibi periret hæreſis, vbi Hæreſiarcha prodierat, patre Auxentio Pſeudoepiſcopo. Superuixit erroribus errans, vt à Theodoſio Magno primùm coërcitus, ab Honorio poſtea, in Boam inſulam amandaretur,

*Virginitatis hoſtes*

*Damnãtur.*

*Iouinianus.*

*Errores.*

*Impugnatur.*

retur, vt procul à continente efflaret animam, quâ dudium terras infecerat. Iouiniano ſuccenturiatus Vigilantius, ita ſe hoſtem continentiæ prodidit; vt ſacros ritus, & omnem Eccleſiæ diſciplinam impiè violauerit; Cælibatum in clericis noluit; cereorum ac lampadum vſum è ſacris mouit, exequiales preces reiecit; Martyrum lipſanis cultum deferri vetuit; & Catholicos ob id *Cinerarios*, & idololatras nuncupauit; feſtorum peruigilia ſuſtulit; His & ſimilibus Gallias terruit vir Hiſpanus, quæ monſtris nondum aſſueuerat. Periclitabatur Eccleſiæ pulcherrima portio, ni ſui ſeculi alter Alcides Hieronymus ſcriptorum clauâ monſtrum obtriuiſſet. 412 *Vigilantius.* *Errores.* *Hieronym. in eum.*

## CAPVT XXXI.

## *Secunda in Perſide perſecutio, & primum pro Religione bellum.*

EReχerat ſe rurſum in Perſide Eccleſia, tùm Iſdegerdis Regis, quem Arcadius moriens Theodoſio filio Tutorem dederat, indulgentiâ; tum Maruthæ Meſopotamiæ Prçſulis ſtudio. Huic, ab Arcadio ad Iſdegerdem miſſo, promouendæ fidei facta copia eſt; vt qui à Rege morbum, ab eius filij corpore Dæmonem excuſſerat, ſubditorum ſanaret animos, & Deo aſſereret. Propagabatur feliciter Chriſtiana ſoboles, & Magorum nequicquam infrementium ſuperabat inſidias: cùm ecce à repentino turbine remora. Occaſio ab Auda Præſule, qui opus abrupit, dum nimiùm accelerat; & euerſo 408 *Fides in Perſide promouetur.*

*Pyreo*, (id erat fanum *Igni* ſacrum) Eccleſiam ſimul euertit. Adeò nihil ſæpe magis retardat opus, quàm feſtinaſſe. Nam ad vltionem *Ignis* igneſcens Baranes Iſdegerdis filius, Audà trucidato, in omnes Chriſtianos perſecutionis flammas excitat. Nec plane ſuo *Igni* ſatisfactum iri credidit; niſi recens conſtructas Eccleſias vexatur ignis abſumeret. Ad hæc Theodoſius Chriſtiani eſſe non putavit, veri Dei injurias impunè pati; cum pro falſo tot cædes inflictas vidit, tot incendia conflata. Andalurio mandata vltio ad ſatietatem impleta eſt. Præter cæſos in acie, ad centum fugientium millia Euphrates hauſit. Quaſi aduerſus *Ignis* vindices, in Chriſtianorum ſtipendium vndæ venirent. Militarem Andalurij gloriam ſic decore pacifico æmulatus eſt Acarius Amidæ in Meſopotamia Præſul, vt excellerit. Nam conflatis Eccleſiæ vaſis, magnum hoſtium numerum eduxit è vinculis; & ad manſuetudinis in hoſte miraculum ſtupente Rege in patriam dimiſit. Eximium id ſane, ſed cui apud Chriſtianos conſuetudo admirationem aufert. Admirabilior multò Aſpabeti, Saracenorum Perſis militantium Ducis, erga Chriſtianos benignitas, vtpote in infidele rarior. Hic Chriſtianis, quos pœnarum metus abducebat ex Perſide, euadendi factà copià Regis incurrit odium, vnde ſibi Dei gratiam aſſeruit. Felix calamitas, quà peruenitur ad gloriam! Nam ad Romanos profugus Saracenis, qui parebant Imperio in Arabia, præficitur; ac miraculo ſanati per Euthymium Archimandritam, filij factus

*Inde bellum.*

*Charitas eximia Præſulis.*

*Et Ducis.*

cum plurimis Saracenis Chriſtianus, & poſtea Præſul; documento fuit, quanti ſæpe ſit terram perdere, vt acquiratur cœlum.

## CAPVT XXXI.

### *Nonum in Eccleſia Schiſma Eulalianum.*

VT pluribus ſimul par hoſtibus, atque adeo ſuperior Eccleſia probaretur, hoc ipſo tempore Schiſmaticorum perfidiam paſſa eſt. Cum enim Boniaſcius Romanus preſbyter concordibus fermè omnium ſuffragijs, in locum Zozimi ſuffectus eſſet, 418
Turbones aliqui Eulalium Archidiaconum ipſi oppoſuerunt, ex Symmachi præfecti ſuffragio; vt quod Antipapæ ad ſacras Infulas deerat ex jure, ex Patroni potentiâ ſuppleretur. Nec improſperè cedebat audacia, cum falsâ Præfecti relatione deceptus Honorius Imp. dignitatem Eulalio adjudicaſſet. At poſteà veritatem fidelius edoctus, vtrumque Rauennam acciuit, vt ex finitimorum præſulum, quos conuocauerat, judicio lis dirimeretur. Sed cum diutius cauſa protraheretur, Imperator Achilleum Spoletinum præſulem ſacra, in paſchate, Romæ facere juſſit; contendentibus intereà vrbe abſtinere iuſſis, & non jam tantum ex Italiâ, ſed ex Affrica etiam, & Gallia Præſulibus, qui litem in Synodo dirimerent, conuocatis. At ne eſſet opus Synodo ad extinguendum Schiſma, quod Temerarij ambitio conflauerat; Ambitioſi temeritas fecit. Cum enim contra præſcriptum Vrbem in-

greſſus Eulalius, ſeditione ipſam miſcuiſſet; eum & vrbe & dignitate ſtatim cedere Imperator juſſit; grauiſſimas partiarijs interminatus pœnas, ſi quid in contrarium molirentur. Edixit etiam ad monitum Bonifacij, quem interea ægritudo mortis admonuerat, vt ſi poſt ipſius obitum duo eligerentur, ea electio vtrique aditum ad Pontificatum præcluderet. An id omnino ad æquitatis normam non examino. Satis ſit, quod Imperator ſimul & Pontif. crediderint, ſi quid ea ex lege inuriæ pateretur æquitas, penſatum largè fore ex procuratâ Eccleſiæ pace, cui omnia jura ſeruire æquum eſt.

# FLORI CHRISTIANI LIBER QVARTVS.

## CAPVT PRIMVM.

*Anacephalæoſis de nouis Arianorum motibus & laceratione Imperij.*

PER hæc tempera reſpirauit iterum Arianum monſtrum, & concoctæ interea peſtis efflato rurſum in Italia, Gallia, Hiſpania & Affrica halitu, oppreſſum ſe fuiſſe docuit, non extinctum. Quid mirum? gentes exteræ ipſi fuerunt auxilio. Et tunc Hæreſis Eccleſiæ ex damnis creuit, cum illa ex caſu Imperij. Præualuere quippe tandem Barbari, vt eis daretur in prædam Romanus orbis, qui prædis accreuerat. Nimirùm vt hominibus ſuæ ſunt ætatum vices; ita Imperiis. Creſcere ſemper aut durare in ſummo nefas in terris, vbi omnia viciſſitudinibus quaſi corporata Deus voluit. Quæ ex imo venerunt ad ſummum;

vt in imum tandem à ſummo redeant neceſſe eſt. Hinc Saraceni, Gotti, Franci, Vvandali, Burgundiones, Hunni, & alij è remotis finibus populi noua Romano in Imperio Imperia condiderunt. Tunc demum conſtitit quam altè ſtetiſſet Roma; quam late regnaſſet, quando cecidit, & regnare deſiit. Quantum fuiſſe oportuit Rom. Imperium, ex cuius veluti cadauere tam ampla tot Regnorum corpora ſurrexerunt? Inde tamen; quæ Dei fuit in eam indulgentia, damnum non ſenſit Eccleſia, niſi vt copioſius redimeret. Alicubi quidem Ariani & Pagani obtinuerunt: ſed victis demum aut manſuefactis Barbaris, qui pios ritus oppreſſerant, impietatem ſimul deficere neceſſe fuit. Vt ſylueſtres Arbores manſueſcunt mitiori ſub cœlo: ſic feroces illi populi humanioribus interſiti barbariem poſuerunt. Et eis in alieno tandem fides illuxit, quibus non affulſiſſet in proprio. Nec dedignati ſunt eos magiſtros agnoſcere, quorum ſe Dominos fecerant. Id cum ita ſit, haud abs re me facturum puto, ſi priuſquam nouos Arianorum progreſſus referam; irruptiones iſtas breuiter, ac ſeorſim collegero.

## CAPVT II.

### *De Saracenorum primordiis.*

SAracenos gentem Arabicam, ſine lare certo, ſine legum vinculis vagam, jam
372 tum Auſter ad Imperii Romani clades emiſit, cum Boreas Gottos in Thraciam. Hi Mauuià Regina Duce non ante repreſſerunt

arma, quibus euaſtabant Arabiam & Palæ-
ſtinam, quàm Moïſem Anachoretam in
Ægypto celeberrimum, in Præſulem impe-
traſſent. Inde pax Imperij, & apud Bar-
baros propagatio fidei, cuius ante ſemina
Hilarion clariſſimus ille Monachus iecerat.
Monachorum magna gloria! vt per ipſos &
ſeruaretur Imperium, & Eccleſia promoue-
retur? Quod vt pacis pretium acceperant, *Fides*
reddiderunt vt beneficium; quando gratuito *apud Sa-*
auxilio Gottos è Byzantij mœnibus amoue- *racenos.*
runt. Æternùm ſibi Chriſtianos tùm addi-
xerant. ni aduerſus ipſos poſtea, quorum 378
ritus eiurauerant, Varani aduerſus Theo-
doſium Iuniorem, bello Perſico, venalem
operam locaſſent. Nec deſtiterunt Imperij 420
ſubinde limites incurſare, donec Alamunda-
rum Regem è Palæſtinâ, quam prædis & *Saraceni*
cædibus exhauſerat, prodigia depulerunt, vt *Apoſtatæ*
ad fidem adducerent. Nam terra hiatu ſu- *turbant.*
bito improbum hauſit, qui Sabę Monacho 509
inſultauerat. Leo in excubiis ad cellulam
Ioannis Silentiarij reſidens Barbaros ab ac-
ceſſu inhibuit; & S. Theodori effigies, ex *Sed ter-*
humero per impium transfixo, magnam *rentur.*
vim ſanguinis effudit. Ad hæc attonitus
Alamandarus iis accenſeri voluit, quibus
Terram, Cælum, feras eſſe auxilio videbat.
Ditior itaque cæleſti theſauro fidei, quem *Et con-*
gratis habuit, ad ſuos rediit, quam terrenis *uertun-*
opibus, quas inuitis extorſerat. Iterum ta- *tur.*
men turbatum ab impiis, vt Iuſtiniano pa- 539
cem annui tributi pretio venderent; iterum
exuta fides, vt eam rurſum ſub Naamane 591
Rege induerent.

## CAPVT III.

### *De Gottis & Erulis.*

GOtti gens Scythica; quos Maſſagetas olim, Getaſque dictos volunt, in Europam ex Aſia tranſgreſſi, *Vndè.* Boreales Tractus ad Balticum penetrarunt; jam tum à Decij temporibus Romanorum hoſtes anniuerſarij. *Sæpe cæſi.* Nec obſtitere clades à Claudio, Probo, Conſtantino & aliis frequenter illatę, quin tandem Pannonias inuaſerint. Ibi ab Hunnis victi, partim victorum ſubiere iugum, 376 partim Fritigerne Duce, ex Valentis veniâ, in Thraciâ conſederunt. Iſti quod magis ad *Oſtrogotti, Vviſigotti.* Orientem vergerent, dicti ſunt Oſtrogotti, cum Pannonici Vviſigotti audierint. Ex diuerſo pariter ad ortum vel occaſum ſitu, diuerſitas iſta cognominis placuit eorum poſteris, qui aliquandiu poſt Hiſpanias & Italiam inuaſerunt. Cum autem qui ſe Valenti ſubdiderant, à Lupicino Præfecto iniquius habiti, nihil precibus & querimoniis 378 proficerent; ad arma conclamant; & bellum *Thraciam vaſtant & Imperatorem cremant.* malunt, quàm pacem iniquam. Lupicinus primo impetu opprimitur; ipſeque poſtea Valens è clade profugus, in tugurio crematur. Ruebat Imperium ad Imperatoris caſum, ni Byzantio adfuiſſent auxilio Saraceni;& Radagaiſum poſtea cum ducentorum millium exercitu in Fæſulanis anguſtiis Sti-406 *Vincuntur.* lico cæcidiſſet. Quamquam parum proderat Honorio viciſſe, vbi nihil minùs diſcriminis à Victore timuit, quàm à victis. Nomine tenus Imperatori militabat Stilico, re-

ſibi,aut filio Eucherio; cui purpuram in Vi-
ctoriæ pretium ſperare auſus eſt. Hinc cre-
ditus ipſe aduocaſſe Alaricum Barbarorum
Regem, vt ſui neceſſitatem faceret; & ad *Cum eis*
Polentiam in Liguriâ victum abire permi- *colludit*
ſiſſe, cum poſſet exſcindere; ne ſublato ho- *Stilico.*
ſte, armorum ſibi adimeretur copia. Veter-
num adhæc Imperator excutiens, ne perdat 408
Imperium, perdit proditorem; maluitque *Qui ideo*
hoſtis profeſſi graſſationibus vexari ali- *necatur.*
quandiu prouincias; quam occulti perfidia
in perpetuum perdi, *Stilicone* cæſo, aper-
tum Alarico iter ad Vrbem, quam obſedit,
expugnauit, diripuit. Idque tanta celeritate
vt Romam ante captam audierit Rauennæ 410
Honorius, quam obſeſſam. Victoria ſane, *Romam*
poſt homines natos celeberrima; quâ, vnâ *capiunt.*
in vrbe orbis ſimul & victus eſt & vindica-
tus. Ideo quaſi ne minoribus palmis tantam
gloriam Victor poſthac detereret, Conſen-
tiæ non diu poſt, exceſſit. Ab eius ſucceſ-
ſore Ataulfo pacem emit Honorius, datâ
in ſponſam Sorore Placidiâ, & in dotem
Hiſpaniis permiſſis. Nec dum tamen Impe-
rio parta ſecuritas, vt quatenus à Barbaris
non totum perierat, à Romanis primùm
conuelleretur,deinde ab Erulis periret. Iſto- 475
rum Rex Odoacer,ad vindicandam Nepotis, *Eruli Im-*
quem Oreſtes ſolio detruſerat, vt Auguſtu- *periũ ex-*
lum filium ei ſufficeret, iniuriam; à Septen- *tinguunt.*
trione accitus à proceribus, cæſis vel pulſis
hoſtibus, Auguſtulum purpura exuit,& in eo
Imperium extinxit. Nec enim diutiùs dura-
re potuit à ſummo deductum ad minima,
& ab Auguſto diminutum ad Auguſtulum.

Obdoacrum jam ab annis ſeptendecim in Italia regnantem, armis primo vicit Theo-
439 doricus Amalus Gottorum Princeps: deinde ne mentiretur prouerbium, & conſortis impatiens Regum poteſtas monſtraretur; eum poſt pacis fœdera incautum ſuſtulit. Hinc aſſerta Oſtrogottis Italia; donec eam ſexaginta poſt annos per Belliſarium & Narſetem ſibi rurſum Iuſtinianus aſſeruit. Perennare diutius datum Vviſigottis in Hiſpania: nam quas in Galliis Prouincias occupauerant, Francis demùm reliquére vacuas, vt faciliùs domitis Vvandalis, Alanis & Sueuis, qui Hiſpanias inter ſe partiri fuerant, Regnum nobiliſſimum ſubigerent.

*Eruli extingunt Gotti.*

*Gottos Belliſarius in Italia.*

## CAPVT IV.

### *De Vvandalis.*

VVandali vnâ cum Sueuis & Alanis ex interiori Germaniâ effuſi, curſim euaſtauere Gallias, vt otioſius partitas inter ſe Hiſpanias exhaurirent. In eas, ne crimini
409 verteretur inuaſio, à Conſtantino, quem eo tempore in Britannia Imperatorem milites dixerant; quod ab eo Magni Conſtantini, quem nomine, patria, atque etiam filio Conſtante referebat, felicitas aduerſus Barbaros expectaretur, acciti ſunt. Adeo ad magnæ potentiæ caſum, totum quod poſſunt exteri, à Domeſticis eſt. Objicere moram ſubeuntibus conati Didimus & Verannius fratres, quos Prouinciæ Honorius præfecerat, primo funduntur impetu, & cæduntur. Hinc omnia paſſim in prædam ad annos

*Vvandali in Hiſpania.*

octodecim. Tunc ſeu impellentibus Gottis à tergo; ſeu à fronte inuitante Bonifacio Præfecto, quem Ætij præſertim apud Valentinianum III. calumniæ, ad proditionis conſilia perpulerant, Vvandalos in Affricam Genſericus traduxit. Ad hæc Bonifacius ſtrenuitate emendare perfidiam, & obluctari præſentibus, qui abſentes acciuerat. Sed veterem erga principem fidem reddere potuit pœnitentia, fortunam non potuit. Nec tam facile fuit vel armato hoſtem ejicere, quàm fuerat irato aduocare. Victus itaque & ab ijs pulſus quos intromiſerat, prouinciam victoribus vacuam reliquit, vt eam prædis exhaurirent ſimul & implerent: vt quam aliquandiu diuexatam, & ſuum fecerunt ſpolium, & reliqui ferme orbis ſpoliarium. Quippe claſſibus prædatoriis, & infeſtauere maria, & quæ ſupererant Imperio litterales Prouincias diripuerunt, & Romam ipſam miſerabilem in modum euaſtauerunt; ſacris ipſis opibus, quibus Alarici copiæ pepercerant, in Affricam tranſportatis. Quamquam non eſt cur de iſta queramur iniuriâ. Cunctantem Genſericum acciuit Eudoxia, Valentiniani ſponſi cædem in Maximum, alterum conjugem, & prioris parricidam, vltura. Nempe vt qui Hiſpanias Tyranni impulſu, Affricam Præfecti perfidiâ inuaſerant, Romam ipſam ſubigerent conſilio Imperatricis; & vtrobique miſerum Imperium, ſuorum ante manibus conuelleretur, quàm alienorum aſſultibus concideret. At quanti miſeræ conſtitit vindictæ libido! in captiuitatem vnà cum filiabus, Eudoxiâ & Placi-

427

431 *Affricam domant.*

455 *Romam diripiunt.*

*Auguſtas captiuas ducunt.* dià, & innumeris aliis abducta, didicit, patriam ſe non potuiſſe Barbaris vendere; quin ipſa etiam veniret. Tyrannidem Vvandalicam poſt ſæculum tandem ſubruit Beliſarius Iuſtiniani juſſu, vt Hilderici Regis
543 fœderati, quem deturbatum ſolio Gilimer obtruncauerat, injuriam vlciſceretur. Tanta id celeritate factum, vt biennium nec illud totum ſuffecerit capiendo cum proceribus *Extinguuntur.* Tyranno, exterminandis prorſus Barbaris, & Prouinciæ recuperandæ.

## CAPVT V.

## *De Burgundionibus.*

BVrgundiones Germaniæ populi ab Stilicone ad Galliarum & Hiſpaniarum prædam vnà cum Vvandalis & aliis acciti; Stilicone cæſo, Romanis aduerſus Francos opem locauere. Nempè vt aliis pugnantes ſibi vincerent, & nouum Regnum in Galliis
413 ad Ararim & Rhodanum excitarent. Id ſuo ſe jure facere putabant, qui ex iis Romanis ortos ſe dicebant, quos ad coërcendos Barbaros, per Caſtella (Burgos vocant indigenæ & inde ipſis nomen) circa Rhenum *Eorum origo.* diſpoſitos Druſus collocauerat. Illuſtris hæc ſane victoria; ſed cuius fructum amiſerant, ni eam palma nobilior firmaſſet. Quando congreſſi cum Hunnis, ne vincerentur, Chriſtianorum inuocauere numen, & vnà pugnà Hunnos ſimul & Dæmonas profliga*Chriſtiani.* uere. Sic terram dùm nolunt perdere, Cœlum acquirunt; & ne ſibi Regnum pereat, Deo ſubdunt. Duraſſet in ſæcula, ſi quà ope-

tunc ſtetit ipſi non abdicaſſent, & fidem veram Arianiſmo mutaſſent; Perennare Regnum non debuit, in quo Deo negabatur æternitas. Nec Rex Sigiſmundus ad S. Auiti Vienneſis Epiſcopi monita mutatus in Catholicum Dei ſententiam immutauit. Ipſe quidem etiam Sigerici filij ad nouercæ calumnias cæſi, poſt longam in Agaunenſi cœnobio pœnitentiam, veniam meruit; ſed Regni vitæque damno. Nam à Clodemiro Aurelianenſium Rege victus & demerſus in puteum, & cladium ante mortem patientiâ, & miraculorum poſt mortem claritudine probauit innocentiam. Fratrem equidem vltus Gundemarus, Clodemiro in acie cæſo, ſibi rurſum Regnum aſſeruit; ſed vt caſu grauiori corrueret. Nam à Childeberto & Clotario Clodemiri fratribus, victus eſt & ſui Regni ruinis oppreſſus.

*Ariani.*
526
*Extinguuntur.*

## CAPVT VI.

### *De Francis.*

FRanci Germaniæ populi, iam tum à Gallieni temporibus, per irruptiones varias, Galliarum fines deprædati; conſtituendo, quod in æuum duraret, Imperio proluſerunt. Repreſſi diu quidem ab Aureliano, Chloro, Conſtantino, & aliis: ſed vt per aduerſa eniterentur ad ſumma; & dignos ſe proſperis probarent per improſpera. Rheno igitur tandem tranſmiſſo; cùm aliorum tum præſertim Merouei & Clodouei Regum auſpiciis, tam latè fines proferunt; vt ſubactis etiam Burgundionibus & Gottis

420
*Gallias inuadunt.*

*Auguſtæ captiuæ ducunt.* dià, & innumeris aliis abducta, didicit, patriam ſe non potuiſſe Barbaris vendere; quin ipſa etiam veniret. Tyrannidem Vvandalicam poſt ſæculum tandem ſubruit Belliſarius Iuſtiniani juſſu, vt Hilderici Regis
543 fœderati, quem deturbatum ſolio Gilimer obtruncauerat, injuriam vlciſceretur. Tanta id celeritate factum, vt biennium nec illud totum ſuffecerit capiendo cum proceribus
*Extinguntur.* Tyranno, exterminandis prorſus Barbaris, & Prouinciæ recuperandæ.

## CAPVT. V.

## *De Burgundionibus.*

BVrgundiones Germaniæ populi ab Stilicone ad Galliarum & Hiſpaniarum prædam vnà cum Vvandalis & aliis acciti; Stilicone cæſo, Romanis aduerſus Francos opem locauere. Nempè vt aliis pugnantes ſibi vincerent, & nouum Regnum in Galliis
413 ad Ararim & Rhodanum excitarent. Id ſuo ſe jure facere putabant, qui ex iis Romanis ortos ſe dicebant, quos ad coërcendos Barbaros, per Caſtella (Burgos vocant indi-
*Eorum origo.* genæ & inde ipſis nomen) circa Rhenum di poſitos Druſus collocauerat. Illuſtris hæc ſane victoria; ſed cuius fructum amiſerant, ni eam palma nobilior firmaſſet. Quando congreſſi cum Hunnis, ne vincerentur, Chriſtianorum inuocauere numen, & vnà pugnà Hunnos ſimul & Dæmonas profliga-
*Chriſtiani.* uere. Sic terram dùm nolunt perdere, Cœlum acquirunt; & ne ſibi Regnum pereat, Deo ſubdunt. Duraſſet in ſæcula, ſi quà ope

tunc ſtetit ipſi non abdicaſſent, & fidem veram Arianiſmo mutaſſent; Perennare Regnum non debuit, in quo Deo negabatur æternitas. Nec Rex Sigiſmundus ad S. Auiti Vienuenſis Epiſcopi monita mutatus in Catholicum Dei ſententiam immutauit. Ipſe quidem etiam Sigerici filij ad nouercæ calumnias cæſi, poſt longam in Agaunenſi cœnobio pœnitentiam, veniam meruit; ſed Regni vitæque damno. Nam à Clodemiro Aurelianenſium Rege victus & demerſus in puteum, & cladium ante mortem patientiâ, & miraculorum poſt mortem claritudine probauit innocentiam. Fratrem equidem vltus Gundemarus, Clodemiro in acie cæſo, ſibi rurſum Regnum aſſeruit; ſed vt caſu grauiori corrueret. Nam à Childeberto & Clotario Clodemiri fratribus, victus eſt & ſui Regni ruinis oppreſſus. *Ariani.* 526 *Extinguuntur.*

## CAPVT VI.

### *De Francis.*

FRanci Germaniæ populi, iam tum à Gallieni temporibus, per irruptiones varias, Galliarum fines deprædati; conſtituendo, quod in æuum duraret, Imperio proluſerunt. Repreſſi diu quidem ab Aureliano, Chloro, Conſtantino, & aliis: ſed vt per aduerſa eniterentur ad ſumma; & dignos ſe proſperis probarent per improſpera. Rheno igitur tandem tranſmiſſo; cùm aliorum tùm præſertim Merouei & Clodouei Regum auſpiciis, tam latè fines proferunt; vt ſubactis etiam Burgundionibus & Gottis 420 *Gallias inuadunt.*

vniuerſas Gallias demùm occupauerint. Eximij in hoc! ſed quanto illuſtriores, quòd Res bellicas multùm infra diuinas habuerint? Aliquandiu quidem apud eos hæſit
*Ethnici.* Ethnica ſuperſtitio: etſi Clodouæum, qui à Pharamundo, Regum primo quintus regnabat, Clotildis vxor, & Rhemigius Remenſis Epiſcopus, ab impiis ritibus abducere conarentur. Tanta nimirùm in tanto Rege mutatio miraculo reſeruabatur. Vt poſſint Chriſti diſcipuli facere Chriſtianos; *Chriſtianiſſimum* facere Dei vnius fuit. Cum igitur Alemannico bello ſuis jam cladi proxi-
499 *Chriſtiani Rege Clodonæo.* mis animum non redderet inuocatus Iupiter; ad vxoris Deum confugit: & id viciſſe fuit hoſtium animos & ſuum; eâdem enim victoriâ illos ſibi, hunc Chriſto ſubdidit. Verè tunc victor, cum ex Remigij conſilio, *Adorauit quod incenderat, incendit quod adorauerat.* Quanta vis in exemplo principum! ex eo conſeneſcere impietas, inualeſcere fides, & qui Romanum ſemper jugum detrectauerant (inde *Franci* ſeu liberi) jugo Eccleſiæ colla ſubmittere. Facile nempe fuit etiam impiis ritus amare, quos miraculo æternum duraturo cœlum approbauerat. Cum enim miniſter præpediente multitudine oleum ad inungendum Regem tardiùs afferret, ecce eius officium columba de cœlis præripuit, & cœleſte chriſma detulit in phialâ, quo non Clodouæus ſolùm, ſed eius deinceps poſteri continuato prodigio inun-
*Ampulla ſacra.* gerentur. Sic Regum gloriæ Deus proſpexit, quos ſuæ in ſæcula vindices nouit.

## CAPVT VII.

### *De Hunnis.*

HVnni ex Boreali quondam effuſi Aſiâ ſuas etiam in hac Imperij tragœdiâ partes egère. Nam & Gottis iuncti ſub Valente, & ſoli ſub Theodoſio II. Thracias euaſtauère; vt ſub Arcadio totum Orientem diuexauerant. *Imperium lacerant.* Gratiano quidem aduerſus Maximum adfuerunt; ſed ita vt vel oneri eſſet auxilium, vel pudori. Cum enim Ganno Duce mare Britannicum infeſtarent, 483 inciderunt in nauigia, quæ ad nouos Armoricæ Accolas (nam pulſis indigenis eam Prouinciam Britannis Maximus dederat) Virgines ad connubia deferebant. Ad hoc ſpectaculum, qui Martem vnum hactenus ſpirauerant, Cupidinis flammâ igneſcunt; ſed quà efferentur, & tremulas extinguant, quæ nollent violari; quaſi puderet ſupereſſe Virgines, quæ vim fregerant, cui Regna ceſſiſſent. *Vrſulam & ſocias necant.* Sociis ad palmam præiuit Vrſula, quibus hortatrix fuerat ad pugnam. Sic pretio ſanguinis redempta pudicitia; & felici clade hominum euaſere connubia, quæ Deo ſe in ſponſas addixerant. Illa verò quantula ad Attilæ clades? Hic Pannoniis, aliiſque circum Regionibus occupatis, cum ſeptingentorum millium exercitu irrupit in Gallias, *Attila in Galliis.* hoc eſt nobiliſſimam prouinciam, ſanguine, fumo, ruderibus oppleuit. Euaſere tamen Trecæ & Aurelia; Vrbis vtriuſque Præſule, tot myriadibus Barbarorum præualente.

Nempe quid homines expaueſcat, qui Deum pro ſe habet! Id de Lupo Trecenſi quis dubitet, ſi verba factaque nouerit? Nam ſuo cum Clero obuiam factus Barbaro; *Vndenam tu*, inquit, *& quis es?* Ad hæc impius; *à Deo*, ait, *cuius flagellum dicor. Veni ergo*, refert Epiſcopus, *Dei mei flagellum, & quod juberis, exequere.* His vel attonitus, vel emollitus Barbarus, mediam vrbem ſine noxà pertranſiit. Quippe nulli vnquam Dei flagellum nocuit, qui lubens admiſit. Nec minor Aniani Aurelianenſis de impio victoria; vt quem incumbentem mœnibus ſolo orationum clipeo ſummouerit; nec eum magis in Campis Catalaunicis Ætius Romanus, Merouecus Francus, Theodoricus Gottus, & Gundericus Burgundus, quos communis timor periculi ſimul junxerat, armis profligarunt, quam vnus Anianus precibus. Vt flumen vno excluſum alueo aliò exundat, ſic Attila depulſus è Galliis in Italiam diuertit: vt poſt Aquileam, Ticinum, Mediolanum & obuia quæque æquata ſolo; Leoni tandem Pontifici victoriam cederet, qui Lupo jam de ſe trophæum poſuerat. Hic enim vna ſua pietate nixus adortus Barbarum, vbi Mincius in Padum influit, eum ita verbis perculit, vt vltra Danubium repelleret. Fuit nimirùm & hic Deus in partibus, vel Attilæ teſtimonio; vt qui Cælitem quendam (D. Petrum fuiſſe ſcribunt) ſtricto interminantem gladio, ni recederet, viſum ſibi ad latus Pontificis, confeſſus ſit. Quanti eſt ad ſalutem patriæ Præſulis innocentia! Felici vobis id experi-

*Lupo cedit.*

*Et Aniano.*

451 *Vincitur armis.*

*Italiam vaſtat.*

452 *Leoni Pontif. cedit.*

experimento conſtitit, Mutina,& Rauenna: Quippe dum vrbes finitimæ vel fumarent incendiis, vel ſanguine innatarent; Geminiani & Ioannis Præſulum veſtrorum ſubſidio incolumes euaſiſtis. Adeo ſupra vim Pietas eſt; & fruſtrà Tyranni premunt, quos Deus tuetur. Cæterùm pulſi laribus Circumpadani non pauci petiere maria; vt ibi eſſent in tranquillo, quos in terris procella di perſerat. In procellarum Regno condidere Vrbem, quam nulla vnquam procella demergeret. Hæc vrbs Venetiæ fuerunt, quas dicas antiquam Romam; niſi quòd maiores virtutes habet, minòra vitia; & in minori Imperio non minores victorias. *Venetiæ condita.*

## CAPVT VIII.

## *De Anglis.*

A Barbarorum irruptionibus Britanniam natura muniuerat interfluente Oceano; ni vt malè affectum corpus, ruinæ cauſas intra ſe ipſa texiſſet, & ad ſui tandem prædam vocaſſet Alienigenas. Nam Scoti & Picti, quos ad incultos Borealis oræ tractus Romani egerant, in mutuam diu congreſſi perniciem, junxere tandem copias; & Fergum ſecuti Ducem, aggerum, quibus veluti feræ coërcebantur, effracta morâ, in mitiorem Britanniam non ſemel irruperunt. Repreſſi quidem aliquandiu ſeu Romanorum ope; ſeu Vvortigeri, quem in Regem Britanni promouerant (quando nihil ſubſidij ſuppetebat ab Ætio Galliarum Valentiniani III. nomine Præfecto, qui aduer- *Scoti & Picti in Britanniam.*

446 ſus Hunnos, & alios barbaros copias omnes acciuerat) auxilio; ſeu vocatis ad ſtipendium Anglis. Hæc enim tùm miſeri Imperij ſors erat; vt Barbari propelli non poſſent, niſi per barbaros; nec poſſet jugum violentum excuti, niſi voluntario; & mercenarij conducerentur, qui domini tandem euaderent; & libertatis in ſpeciem vindices re tyrannidem vſurparent. Angli porrò mixti Saxonibus & Iutis ex Cimbricà Cherſoneſo profecti, in eà primum Germaniæ parte conſederunt, quæ ex ipſis Saxonia audiit. Inde veluti genus maritimum peroſi mediterranea in Batauiam ſedes tranſtulere. In Britannorum poſtmodùm vocati auxilium, dum aliis pugnant, ſibi vincunt. Et fruſtrà diu reluctatis Ambroſio, Vthero, Arturo, & aliis, quos miſeri indigenæ aduerſus perfidos ſibi præfecerant, inſulà tandem potiuntur. Victores inter ſe partiti prædam, ſeptẽ ex vno Regna conſtituunt. Quæ tùm inſulæ vaſtitas! quæ laceratio! Sed quid hæc ad Eccleſiæ damna ſub Ethnicis victoribus? Priora illa quantumuis grauia vix animum ſubeunt; dùm iſta, quæ magis ſunt triſtia, incurrunt.

*Angli.*

*Britanniam occupant.*

## CAPVT IX.

### *De Arianorum in Hiſpania motibus & interitu.*

NOn modico ſuccuſſu fluctuauit Occidentalis Eccleſia ex Imperij caſu: fit enim, vt excelſa, dum corruunt, circumjacentia inuoluant. Id triſti nimis experimen-

to Hiſpanis conſtitit, qui ſuis in victoribus Arianam magis perfidiam horruerunt, quam Scythicam barbariem. Etſi enim vis fidei primò non fieret; conſeneſcebat tamen priſca Religio, quando multi ſuam in Regem fidem teſtabantur perfidiâ in Deum. Nam & tunc reperire erat, quibus ad guſtum Principis pietas probabatur. Quamquam & Hæretici Clotildem Reginam, quod iret ad ſacra Catholica, conuitiis, & iniecto in os luto impetentes, ſua nonnunquam ſe facie prodidere. Ad ſororis & Eccleſiæ vltionem Childebertus Pariſiorum Rex, Vviſigottos cum ſuo Rege Amalarico prope Narbonem ſternit, & ſororem viduam eſſe mauult, quam impio nuptam. In hoc Clodouæi filium noſcas; qui ad Pictauios Alarico ſtrenuè cæſo, Arianorum ruinis Eccleſiam amplificauerat & Franciam. Præſentibus miraculis præiuerat ad Victoriam Deus; ductu Ceruæ Vingenna fluuio tranſmiſſo, & Engoliſmæ mœnibus ſponte collapſis: vt vnus duos Hebræorum Heroas Moſem & Ioſue referret, ad quorum nutum viam copiis fecère Pelagus, & Iordanis; & Ierico mœnia corruère. Nec Almarico Alarici filio profuit inſtauraſſe bellum, niſi vt ad Burdegalam fuſus nouum de ſe trophæum Clodouæo, & Eccleſiæ poneret. Quantò ſapientior Theodemirus Sueuorum in Gallecia Princeps! Qui Martini Turonenſis per votum inuocati beneficio Ariamirum filium ſanatum agnoſcens; & alterius Martini Bracarenſis Epiſcopi monitis impulſus, eiuratâ hæreſi, eos in fide ſecutus

*531* (margin, beside "ſtum Principis pietas probabatur")

*Vviſigotti Ariani vincuntur à Francis.*

*507* (margin, beside "riam Deus")

*Sueui Catholici in Hiſpan.*

*560* (margin, beside "rius Martini Bracarenſis")

446 ſus Hunnos, & alios barbaros copias omnes accivierat) auxilio; ſeu vocatis ad ſtipendium Anglis. Hæc enim tùm miſeri Imperij ſors erat; vt Barbari propelli non poſſent, niſi per barbaros; nec poſſet jugum violentum excuti, niſi voluntario; & mercenarij conducerentur, qui domini tandem euaderent; & libertatis in ſpeciem vindices re tyrannidem vſurparent. Angli porrò mixti Saxonibus & Iutis ex Cimbricà Cherſoneſo profecti, in eà primum Germaniæ parte conſederunt, quæ ex ipſis Saxonia audiit. Inde veluti genus maritimum peroſi mediterranea in Batauiam ſedes tranſtulere. In Britannorum poſtmodùm vocati auxilium, dum aliis pugnant, ſibi vincunt. Et fruſtrà diu reluctatis Ambroſio, Vthero, Arturo, & aliis, quos miſeri indigenæ aduerſus perfidos ſibi præfecerant, inſulà tandem potiuntur. Victores inter ſe partiti prædam, ſeptẽ ex vno Regna conſtituunt. Quæ tùm inſulæ vaſtitas! quæ laceratio! Sed quid hæc ad Eccleſiæ damna ſub Ethnicis victoribus? Priora illa quantumuis grauia vix animum ſubeunt; dùm iſta, quæ magis ſunt triſtia, incurrunt.

*Angli.*

*Britanniam occupant.*

## CAPVT IX.

### *De Arianorum in Hiſpania motibus & interitu.*

NOn modico ſucceſſu fluctuauit Occidentalis Eccleſia ex Imperij caſu: fit enim, vt excelſa, dum corruunt, circumjacentia inuoluant. Id triſti nimis experimen-

to Hiſpanis conſtitit, qui ſuis in victoribus Arianam magis perfidiam horruerunt, quam Scythicam barbariem. Etſi enim vis fidei primò non fieret; conſeneſcebat tamen priſca Religio, quando multi ſuam in Regem fidem teſtabantur perfidiâ in Deum. Nam & tunc reperire erat, quibus ad guſtum Principis pietas probabatur. Quamquam & Hæretici Clotildem Reginam, 531
quod iret ad ſacra Catholica, conuitiis, & iniecto in os luto impetentes, ſua nonnunquam ſe facie prodidere. Ad ſororis & Ecclesiæ vltionem Childebertus Pariſiorum Rex, Vviſigottos cum ſuo Rege Amalarico prope Narbonem ſternit, & ſororem viduam eſſe mauult, quam impio nuptam. In hoc Clodouæi filium noſcas; qui ad Pictauios Alarico ſtrenuè cæſo, Arianorum ruinis Eccleſiam amplificauerat & Franciam. *Vviſigotti Ariani vincuntur à Francis.*

Præſentibus miraculis præiuerat ad Victoriam Deus; ductu Ceruæ Vingenna fluuio 507
tranſmiſſo, & Engoliſmæ mœnibus ſponte collapſis: vt vnus duos Hebræorum Heroas Moſem & Ioſue referret, ad quorum nutum viam copiis fecère Pelagus, & Iordanis; & Ierico mœnia corruère. Nec Almarico Alarici filio profuit inſtauraſſe bellum, niſi vt ad Burdegalam fuſus nouum de ſe trophæum Clodouæo, & Eccleſiæ poneret.

Quantò ſapientior Theodemirus Sueuorum in Gallecia Princeps: Qui Martini Turonenſis per votum inuocati beneficio Arimirum filium ſanatum agnoſcens; & alterius Martini Bracarenſis Epiſcopi monitis 560
impulſus, eiuratâ hæreſi, eos in fide ſecutus *Sueui Catholici in Hiſpan.*

eſt Duces, quos miraculi authores nouerat. Sic morbus filij patrem ſanauit; & vnius damnum in populi lucrum vertit. Nec intra Galæciam ſtetiſſet felicitas; ni eam à ſe Leouigildus Vuiſigothorum Rex amouiſſet.

*Goiſiunta Ingundē narum cruciat.* Cauſa Goiſiunta eius ſponſa. Ne maleficam dubites; Brunehildis ex Athanagildo priori ſponſo mater fuit. Hæc Ingundis ſuæ ex Brunehilde neptis, Hermenigildo priuigno nuptę conſtantiam in fide, iniuriam interpretata; eam ſæuiente brumà in ſtagno ſenſim merſit, vt Ariano ritu rebaptizaret, & inhumanitate pluſquam Ethnicà, cruciaret.

583 *Hermenigildus ob id armat.* Ad hæc Hermenigildus, quem vt thori, ſic fidei conſortem, ad pium opus incumbente ſimul Leandro Hiſpalenſi Præſule, ſponſa fecerat, ad arma accingitur: Nec patris putat iniuriam, Dei & ſponſę cauſam vel contra patrem defendere. Victus tamen eſt, vt

588 *Et vincitur & pro fide necatur.* patris juſſu mortem pro fide paſſus nobiliùs triumpharet. Ex eo inualeſcere magis paſſim hæreſis; Catholici partim bonis exui, partim exulare, & inter eos Præſules primarij Leander & Fulgentius fratres. Hæręſim etiam profiteri Sueui, quos in Monachum detonſo Audicà Tyranno; qui Elurico Rege Cœnobij ſeptis incluſo, regnum inuaſerat, in ſuas leges Leouigildus egerat: deficere

*Perſecutiõ* demùm viſa fides Catholica; ſed vt ſolis ad modum poſt caliginem pulchriùs rutilaret. Nam Leouigildo inter acres conſcientiæ morſus defuncto, Recaredum illius alterum

705 filium & vnicum hæredem, fidei legibus Leander imbuit, & in Rege Regnum. Ex animo conuerſum ne dubites, quemquam

pati ſubditum noluit pius Princeps, qui profeſſione hæreſeos Dei leges ſperneret; ac è 573
ſuis caſtris pelli juſſit, qui deſertores eſſent militię Chriſtianæ. Fides ſanè in ipſo etiam *Recaredus*
ortu jam adulta. Eam nempe meruerat moriens *Rex Catholicus*
Hermenigildus. Et quod armis Re- *Hiſpanias*
gnum non vindicauerat; fuſo ſanguine Deo, *fidei aſſerit.*
quod maiùs eſt, conſecrauit.

## CAPVT X.

## *De Arianorum motibus in Affrica & interitu.*

MInùs damni illatum Imperio eſt à *Vvandali Ariani.*
Vvandalis Affricâ ſubactâ, quam Ec-
cleſiæ Arianiſmo in Affricam importato, &
perſecutionis pluſquam Ethnicæ in Catho- 437
licos renouatâ rabie. Hinc enim fidelium
alij à Genſerico necari juſſi; alij in remotas *Fideles in Affric a vexant.*
ſolitudines abducti; alij nauibus laceris ſine
remigum & nauticę ſupellectilis ſubſidio, in
certum naufragium expoſiti. Patris non degener
Hunericus; nullum ad honores admitti voluit, qui laſę fidei non contraxiſſet
infamiam. Quę tunc Eccleſiæ comploratio!
cum Tyranni juſſu, Chriſtianorum plurimis 480
vita, aliis lingua erepta eſt: quinque millia
Clericorum in exilium miſſa ſunt, & Eccleſię
omnes totâ Affricâ, vel occluſę penitùs, vel
prophanis ritibus impiatæ. Mirum ſuperfuiſſe in quos ab Hunerico tertius Thraſimundus, nouo perſecutionis genere fureret;
blandiendo: Nempe vt & inuicti blanditiis
Chriſtiani proderentur, qui pœnas ſuperauerant. Permiſerat Rex accerrimę callidita-

495 tis, Præſules ſuo fungi munere, dùm excedentibus non ſufficerentur noui. Non dubitabat enim, quin tandem Eccleſiæ collaberentur, quibus fulcra deficerent. Edictum impium nihil morati Præſules, nouos vbi opus fuit Epiſcopos defunctis ſubrogauerunt: & piâ contumaciâ perire maluerunt, quàm obſequio impio Eccleſiam perdere. Inde ipſorum multi ad vltimas ſolitudines tranſcripti, & viginti ſupra ducentos in Sardiniam deportati. Felix inſula, & meritò
504 paradiſi æmula, quando tot Heroas Angelis pares, & inter alios Fulgentium illum Ruſpenſem, ſui ſæculi miraculum ſuo ſinu recepit; & in patriam demùm, tanquam ad triumphum ex Victoriâ, remiſit. Suis ſedibus reſtituti Præſules, fauente jam, cum cœlo, Hilderico, qui Thraſimundum exceperat, reparandis, quæ damna, ex ipſorum diſceſſu, Eccleſia paſſa fuerat, ſtrenuè incubuerunt. Nec retardatum opus ali-
530 quandiu ob Gilimeris turbinem, niſi vt felicius promoueretur; & felici virtute Belliſarij hæreſis prorſus, vnà cum Barbaris exſcinderetur. Suum in decus & fructum obtigiſſe tyrannidem, cognouere Catholici; poſtquam euaſerunt. Tunc demùm innotuit Eccleſiæ militaſſe barbaros, dùm impugnabant. Per eos enim extincti Manichæi: & infidelium reliquiæ totâ Affricâ funditus exciſæ. Quid de fidelibus dicam? præſertim Epiſcopis, quorum per hæc aduerſa virtus emicuit; quæ latuiſſet in proſperis. Plus fuit in Paulino Nolenſi ſe Captiui pretium feciſſe, quàm ignotam inter dignitatum de-

*Opprimuntur à Beliſario*

*Paulinus Nolanus.*

ſora, indigam inter opes, & cœlibem in connubio vitam duxiſſe. Nec minor Typaſentium in Mauritaniâ gloria: quorum plurimis, vni etiam naturâ muto, poſt euulſam linguam, adeo verba non defuerunt, vt copioſiùs abundauerint. Eugenij verò Carthaginenſis Epiſcopi, ex ſanato Cœco, miraculum pulchrius enituit ex caſu. Nam Cyrola Arianorum Præſulum ſignifer dum Catholici virtutem æmulatur, & mentienti ex pacto & pretio cœcum, reddere viſum ſimulat; illum excœcauit. Hæc nimirùm Hæreticorum miracula, videntes excœcare. Ex eo denique Vvandalicæ perſecutionis fructus ſatis innotuit; quòd nec fideles defecerint, vbi jam erant; & in interioribus Mauritaniæ, vbi vel rari, vel nulli erant, accreuerint. Eò enim eiectus inter alios Martinianus conditione ſeruus, à jugo dæmonis vindicauit accolas, & erectis paſſim Eccleſijs documento fuit; non ſemper eos malè mereri de fide, qui malè merentur.

*Hæretici tentatum miraculum.*

## CAPVT XI.

## *De Arianorum motib. in Italia & interitu.*

VT multum alibi turbarum in Prouinciis, & Eccleſiis ex caſu Imperij contigerit; plus certè in Italia. Quippe in Imperij, atque adeo Eccleſiæ Capite nullum vulnus non lethale fuit. Eſt tamen cur de mirabili erga ſe tot inter turbines Dei præſidio, Eccleſia ſibi placeat. Prodigioſum enim, Odoacrum Romà captà, Auguſtorum era-

485. *Odoacer Arianus mutat Imperium non fidem*

ſis titulis imperium regno mutaſſe, & nihil innouaſſe in fide,& Eccleſiæ ritibus, Arianus cum eſſet; niſi quòd ne rata poſtmodũ eſſet Romani Pontificis electio abſque Regum aſſenſu edixit. Nec minùs in Orthodoxos pronus Theodoricus; quibus tã rigidè æquũ nonnumquam ſe præbuit, vt ſuis Arianis parùm æquus indè audierit. Cuius enim ſeueritatis fuit, chariſſimum hominẽ morti addicere, quod in ſui gratiam factus eſſet

493 Arianus? Diuinum factum; ſed cui vox oraculo propior pretium addit. *Si Deo*, inquit, *infidus ſis, quî mihi homini fidus eris?* O vel hoc vno felicem, magnumque Regem, ni abiectis Boëtij, Symmachi, Caſſiodori poſtea conſiliis: ſe regendum adulatoribus & impiis permiſiſſet! Tunc verè conſtitit talem eſſe Principem quales adminiſtri: Nec in Regno diu eſſe iuſtitię & felicitati locum, vbi ea magis Princeps conſilia probat, quæ ſuauia aſſentatores ingerunt; quam quæ ſalubria ſapientes. Poſthàc enim quaſi trãsformatus in alterum, alienâ ſub perſonâ, verba diù orbi ſe dediſſe prodidit. Hinc Orthodoxi vexati: Ioannes Romanus Pontif. qui ad Iuſtinianum miſſus Arianis templa obtinere noluerat, mori coactus in carcere, &

534 ſui ornamenta ſęculi Boëtius, vnà cum ſocero Symmacho capite cęſi. Quamquam ipſius & poſterorum intererat, Boëtium affligi: Ipſius, vt fieret pœnis ſanctior, ferendo: poſterorum: quo pacto ferendæ eſſent, ex eius Philoſophiæ ſolatiis ediſcendo. Crimen demùm ſecuta vltio ſceleſtum Regem afflixit, qui tot Innocentes afflixerat. Ne dubitaretur

*Theodorici æquitas rigida.*

*Peruertitur.*

*Vexat fideles.*

*Cædit Boëtium &c.*

dubitaretur de cauſà pœnæ ; ad oblatum in cœna magni piſcis caput derepentè inhorruit ; & id eſſe Symmachi caput, exſertis dentibus, & toruis oculis interminans, ſæpius exclamauit ; & breui poſt furore correptus interiit. 526 Poſt patris obitum Amalazuntha, maturitate maſculà, pro filio impubere Athalarico, non diu rexit Italiam. *Plectitur diuinitus.* Nam ille acerbo raptus eſt funere ; illa cædi juſſa à Theodoto conſobrino, quem Regem fecerat. 534 Ad fœderatæ Reginę vltionem Iuſtinianus accingitur ; vt & in Italià, dum crimen alienum vindicat, ſuam rem, ſimul & Eccleſiæ promoueat. 538 Hinc Belliſarius potitus Sicilià, Neapoli, & intermediis, Romam ipſam expugnat ; & contra Vvitigem, Theodoto à ſuis cæſo ſuffectum, qui centum ſupra quinquaginta Gottorum millia habebat in caſtris, propugnat; ipſumque demum Vvitigem exciſo, inter alia, Mediolano, & trecentis ea in vrbe hominum millibus contrucidatis exultantem, Rauennæ cepit, & Conſtantinopolim in triumphum abduxit. *Belliſarius Gottos ſternit.* Accreuit ex cladibus Gottis animus Rege Totilà, vt qui & ſuorum res perditas reſtituerit ; & Græcorum reſtitutas aliquandiu perdiderit. Poſt victos hoſtes, Italià magnam partem potitus, ipſam Romam inuadit & funditùs exſcindit ; ac reparatam à Belliſario, cum quo Marte vario ſæpiùs colluctatus eſt, ſibi rurſum aſſeruit, vt iterùm Ciuium immadentem ſanguine perderet. 547 *Totila Romam deruit.* Nec enim ferinam indolem exuerat, ex monitis & miraculis, quibus eum Benedictus Nurſinus, eximiæ tum ſanctimoniæ

Monachus & perculerat, & ad lenitatis, inter bella, memoriam hortatus fuerat. Sed qui hominem eſſe ab homine non didicit, doceri potuit à fera; quam Cerbonico Populonis Epiſcopo, quem vrſo dilaniandum obiecerat, blandiri vidit; nî magis ipſe fera humanitatis omnem ſenſum penitùs abdicaſſet. Vt ea peſte liberaretur Italia: Belliſario, cuius iam felicitas & virtus conſenuerant, ſuffectus Narſes; qui Barbarum aſſecutus in Thuſciâ, vnà cum copiis contrucidauit. Eo vno ſtetiſſe Rem Gotticam tùm
559 *Narſes Gottos in Italia extinguit.* conſtitit, quando cecidit: vt quæ nunquam poſthac damnum reparauerit. Gentis afflictæ reliquias conatus quidem colligere Theias ſuffectus Totilæ: ſed ſtatim tantâ ſtrage deletus eſt: vt vix ſuperfuerit, qui à ſe captam vrbem, & Arianam hæreſim vindicatam, gloriari poſſet.

## CAPVT XII.

## *Decima-quarta in fidem Hæreſis, Neſtorij.*

*Neſtorius* NEſtorius, ex Antiocheno Presbytero factus Præſul Byzantinus, tàm zelantem fidei ſub initium ſe prodidit; quàm in progreſſu perfidum Apoſtatam. Dicas ambitioſiùs ſe venditaſſe Catholicum, vt ſecuriùs non eſſet. Piè ſanè ad Iuniorem Theo-
428 doſium: *Mihi tu*, inquit, *terram Hæreticis purga; ego tibi cœlum aperiam: Adſis tu mihi in profligandis Hæreticis; ego tibi adero in Perſis ſubigendis.* At, nefas! parcendum negabat hæreticis, cum ipſe jam hæreſim

parturiebat : & Samoſateno dicebat anathema , quòd Deum in Chriſto negaſſet, cum eius ipſe blaſphemiam renouabat, adminiſtris vſus Anaſtaſio Presbytero, & Dorotheo Præſule. Ad hæc obſiſtere quibus cordi erat Religio; & vniuerſus etiam populus infremere : cum *Mariam Virginem negari Deiparam , & Deum affectûs , non Hypoſtaſeos vinculo*, copulatum homini in Chriſto audiebat. Et jam non vnius mutatione literæ ex ὁμουσίῳ facto ὁμοιουσίῳ vt in Ario ; ſed accentûs, Θεότοκος poſito pro Θεοτόκος, totum Incarnati Dei myſterium peruerti. Adeò leuis ſępe error Grammaticæ, magnum in Theologia peccatum eſt. Neſtorius tamen Theodori Mopſueſtani, & Diodori Tarſenſis, quorum libros hactenus latentes diuulgari curauerat, patrocinio ſe tuebatur; quaſi minus eſſet in veneno mali, quod eo viri primarij periiſſent. *Hæreſis.* Conſtantinopoli nata peſtis tranſmiſit æquora, & Ægypti Monachis infectis, latè in *Promouetur.* ruinam trahebat orbem; ni Cyrillus Alexandrinus fruſtra à ſe admonitum & reprehenſum Neſtorium videns ; Imperatore, 430 Pontifice, Monachis, & aliis periculi & of- *Cyrillus* ficij commonitis, humeros labanti ſuppo- *contra* ſuiſſet. At adeo non reſipuit impius ; vt *ſtat. & Pontif.* etiam ad Celeſtini Pontificis monita obſurdeſcens, in ipſum Cyrillum, cui ſuas vices Cœleſtinus commiſerat, hæreſeos ſuſpicionem reiecerit ; quaſi dum eum anathematiſmis in Alexandrinâ Synodo vrget, deuiaſſet ad Apollinaris deliria. Hoc enim potiſſimum errantium ſcutum ; Accuſantes in-

famare. Eà tùm arte tantùm ab iis profectum, quibus nullum erat in jure præſidium, vt Ioannes Antiochenus, & alij nonnulli Præſules, ſeu in Hæreſiarcham gratiâ, ſeu in Cyrillum inuidiâ; Epheſinam Oecumenicam Synodum aduentu ſuo, de induſtriâ, tardiori turbauerint, & priuatis in coitionibus, Cyrillum & Mennonem Epheſi Præſulem, ob Anathematiſmos damnauerint; quaſi hæreſim incurriſſent, dum damnauerunt. Oleum adjecit incendio Candidianus Comes, qui ex Concilij, nomine Theodoſij, vindice, Tyrannus factus eſt: & ſuſcepto palam Hæreſiarchæ patrocinio; quem jam Synodus, antequam adueniret Antiochenus, ritè damnauerat; rem Fidei valde afflixit, cuius ſe aſſertorem fore promiſerat: Ac per diſpoſitos in viis milites interceptis Catholicorum, ad Imperatorem literis, ipſum veri neſcium penè Apoſtatam fecit. Viſa tamen veritas vrgeri aliquandiu, vt glorioſiùs exurgeret. Nam per Nuncium qui mendici habitu cuſtodias eluſit, & per literas incluſas baculi cauo, quo non tam ipſe, quàm fides innixa perſtitit; Imperatore & Clero, vt res erant, admonitis, cum prætereà ab accitis vtriuſque partis præſulibus rei geſtæ ordinem, ac Schiſmaticorum aduerſus Synodum proteruiam cognouiſſent; ſuum demùm veritati, & eius defenſoribus decus redditum eſt. Nam exauctoratis Candidiano, Irenæo & aliis Comitibus, qui authoritate ſibi ab Imperatore, ad Synodi præſidium, attributâ, ad Synodi & Imperatoris dedecus abuſi fue-

*Epheſina Synodus.* 431

431 *Hæreſiarcha ac fautores puniti.*

rant; ipſe Neſtorius cum poſt aliquas ipſi ad reſipiſcendum conceſſas moras, in pertinaciâ duraret, in Oaſim Ægypti deportatus eſt. Abſciſſum eum verè ab Eccleſiæ corpore fuiſſe ex eo conſtitit, quod citò putruerit. Cepit à lingua tabes, vt eâ primùm parte 436
pœnam ferret, qua per blaſphemias in Chriſtum & eius Matrem primò peccauerat. Mitiùs actum cum fautoribus, & aliquandiu ſuperſeſſum à pœnâ, vt ipſi facilius ſuperſederent à culpâ. Sic receptus in gratiam, inter alios, Theodoretus Cyri Præſul; ſoluto anathematis vinculo, quo cum Ioanne Antiocheno & gregalibus innexus fuerat. *Theodoretus in gratiam receptus.* Collapſa tùm Hæreſis reuiuiſcere diu poſt in Hiſpaniâ viſa eſt, Elipandi Toletani, & Felicis Vrgelitani Præſulum ſubſidio; ſed vt rurſum concideret. Nam tùm Caroli Magni, tùm Hadriani I. Pontif. diligentia in Synodis Foroiulienſi in Italiâ, Ratiſponenſi & Francordienſi in Germaniâ, ſuis iterum cineribus ſepulta flamma nondum benè rediuiua in perpetuum delituit.

## CAPVT XIII.
## *Decimaquinta in Fidem Hæreſis, Eutychetis.*

NOn minùs à ſuis contra Neſtorium Patronis periculi paſſa eſt Eccleſia, quàm ab ipſo. Eutyches enim Archimandrita Byzantinus, dum acriùs Hæreſiarcham premit, Hæreſiarcha fit: & ſic in *Eutyches.*
Chriſto perſonas diſtingui noluit, vt *naturas miſcuerit, & ex duabus vnam fecerit.* In 448.
eum ſtatim ter dictum anathema in totidem

Byzantinis ſynodis, à Flauiano Patriarchà.

*Damnatur.* At ex eo adeo non reſipuit, vt adducto ad partes Chryſaphio eunucho, qui Flauianum oderat, & per eum Theodoſio & Eudoxia Augg. in ipſum Patriarcham Neſtorianiſmi labem objecerit. Nec iis tamen Patronis Bizantij aut Romæ à Leone Pontif. impetrat, vt innocens dicatur. Poſt hæc vt Epheſi noua Synodus indicatur euincit; quaſi per vim & errorem, veritatem ibi obrutam voluerit, vbi nuper veritas de vi, & errore triumphauerat. Nec id in arduo: cum Legatis Pontificis impiè violatis, Theodoreto, Iba

*In Epheſino Latrocinio abſoluitur.* Edeſſeno, Euſebio Dorylæo, Flauiano, qui in exilio cæſus eſt, & aliis, quaſi eſſent Neſtorianiſmi rei, excluſis: Dioſcorus Alexandriæ Patriarcha, ad libidinem Chryſaphij & Hæreſiarchæ, omnia peruerteret, &

450 in ipſum Pontificem anathema diceret: quod Epheſinum Latrocinium (ſic audiit illa transfugarum conſpiratio) in Romana

*Theodoſius reſipit & Hæreticos plectit.* Synodo reſcidiſſet. Sed interea Theodoſius, qui ad fraudem non iuerat, ſed pertractus ab impiis, ſpecie boni, fuerat; bonæ menti redditus, credulitatis nimiæ culpam in authores vltus eſt, & cæſo Chryſaphio, relegatàque Eudoxià, Pulcheriam acciuit; vt quod nimis vxorius peccauerat, ſororius

*Pulcheria.* emendaret. At in ipſo rei exequendæ con-

450 ſilio è viuis raptus, id decoris Marciano reliquit. Hic ductà Pulcherià, cum mutuo ſeruandæ continentiæ pacto, exules Epiſ-

*Synodus Chalcedon.* copos reuocat, & aſſenſu Pontificis, Chalcedone ſynodum Oecumenicam indicit. In ea damnatis Dioſcoro, Eutychere & conſor-

tibus, *duplicis in Chriſto naturæ, vniuſque* 451
*Perſonæ aſſerta veritas eſt.* Leo Pontif. ſynodum; cui ad Catholicum de controuerſiā ſenſum, mirabilis ea de re ad Flauianum Patriarcham Epiſtola; ante præiuerat, ratam habuit, niſi qua parte, Byzantinum Præſulem, is tunc erat Anatolius Flauiano ſuffectus, vno Romano minorem poſthac fore decreuerat. Iam tum enim ſubodorabatur non obtuſæ naris homo, quid moliretur Græcorum ambitio. Interea pro ſuo Dioſcoro, contra ſuffectum ipſi Proterium, tumultuantes Alexandrini, militari præſidio ſubiguntur. Nec feliciùs ceſſit audacia pſeudomonachis Paleſtinis; Marciani juſſu abdicato Theodoſio, quem Eudoxiæ impulſu Hieroſolymæ Præſulem fecerant, & reſtituto Iuuenale, cum Chalcedone Eutychianiſmum, cuius ſe aſſertorem Epheſino in latrocinio prodiderat, eiuraſſet. Breui etiam

*Alexandrini plectuntur.*

poſt Eudoxiam, quam ſua calamitas non 455
flexerat, captiuitate filiæ in Africam, à Vvandalis Romam deprædatis, abductæ commonitam; cum alij tum Symeon Stylita, & Euthymius Abbas, bonæ menti reddiderunt. Sic pius Imperator, repreſſa paſſim per edicta hæreſi, ſubditos omnes, ſi non Catholicos ex animo, id enim ſupra vim hominum; in ſpeciem ſaltem fecit: vt ſi qui ſeriò benè ſentire nollent, ac ſeruari, ſoli errarent, perirentque.

*Eudoxia Aug. reſipit.*

## CAPVT XIV.

### *Anacephalæoſis de Eutychetis fautoribus.*

EX Eutychetis errore nullum non mali genus in Eccleſiam incubuit. Inde Æluri fraudes, Acephalorum prodigia; Incorruptibilium & Agnoitarum deliria, Theopaſcitarum blaſphemiæ; Vigilij, Laurentij, & de tribus capitulis ſchiſmata; quoramdam Imperatorum ferocia, Bizantinorum Præſulum rumor; & ſi qua alia, quæ Orientales preſertim Eccleſias turbauerunt, poſt obitum Marciani. Vt quo viuente tranquillitas Chriſtiana conſtiterat, eo moriente concideret. Adeo ſtare nequeunt magna ædificia, quibus fulcra ſubduxeris.

## CAPVT XV.

### *De intruſione Æluri hæretici in Alexandrinam Eccleſiam; eius audacia & pœna.*

POſt obitum Marciani Oriente toto reſurgens hæreſis Alexandrinos imprimis in tumultus egit. Author Timotheus Ælurus ex Monacho presbyter, qui ſub Angeli habitu Monachorum cellas noctu circumiens, vt abdicato Proterio, ſufficeretur ad Patriarchium Timotheus, Dei nomine, inſuſurrabat. Nec mora ad ipſum templi Baptiſterium trucidato Proterio, ejuſque cadauere per vrbis compita impiè tracto,

*Ælurus fraude fit Patriarcha Alex.* 460

membratimque diuulſo, & poſtea combuſto, ſufficitur Ælurus. Hic vt dignum ſe probaret infulis, iis indignos non Orientis ſolùm Patriarchas, & omnes qui Chalcedonenſem Synodum approbarent, ſed ipſum etiam Leonem Pontif. per anathema dixit, & Ægypto totâ vexari Catholicos curauit. *Furit in Cathol.* Dicas in anteceſſum vindicatam voluiſſe labem, quam à Catholicis vbique damnatus, & à Leone Imp. in locum Marciani defuncti ex omnium conſenſu nuper promoto, & ad hæreſeos excidium à Leone Pontifice per literas accenſo, abdicatus pertulit, ſubſtituto in eius locum Timotheo Soloſaciolo. At æquiſſimæ pœnæ probrum, vltionis iniuſtæ ſpongiâ, detergi non poteſt. A Zenone Imp. qui Leonem exceperat, redditus ſedi, pulſo Timotheo Seloſaciolo, acrius ignominiæ fomentum parauerat: ni obluctatis ſtrenuè Alexandrinis Catholicis, atque Byzantinis, quo turbandi cauſa conceſſerat; ipſoque Zenone, poſt Baſiliſci tyrannidem, in melius mutato, concidiſſet animis, & hauſto veneno periiſſet: vt quatenus alios non dabatur inficere, ſe ipſe corrumperet. 475 *Veneno ſe necat.*

## CAPVT XVI.

### *De Acephalis, Corrupticolis Incorrupticolis & inde Alexandriæ turbis.*

CVm Æluro adeo non concidêre partes, vt inualuerint. Licet enim Petrum Mogum ei ab impiis ſuffectum Zeno abiece-

Petrus Mogu. rit, Solofaciolo repoſito; cum tamen breui reſtituit, pulſo Ioanne Talaida, quem Solofaciolo demortuo pij ſuffecerant. Inde nouæ turbæ & Acephalorum prodigia. Dum
482 enim verſipellis Thalaïda in Chalcedonenſe Concilium æquum modò ſe prodit, mox iniquum: nec allexit Catholicos, & Hæreticos alienauit. Sic quia nec ſeriò bonus fuit, nec in totum videri malus voluit, neutris probare ſe potuit. Porrò dùm nec eum
Acephali. Hæretici approbant, nec ſe Catholicis iungunt: *Acephali* audiunt. Ne diu ſine capite monſtrum eſſet, effecit Anaſtaſius Imp. qui
101 Leonem exceperat, in ſedem Antiochenam
Seuerus. promoto Seuero. Hic ex Ethnico Mago, & Venefico Chriſtianitatem amplexus non eſt, niſi vt corrumperet, Eutychiano, ſeu Monophyſitarum dogmate prius ipſe corruptus. Nec ante ad inſulas euaſit: quàm, interpoſito ad Anaſtaſium ſacramento, promiſiſſet, eodem ipſo die, quo fieret Antiochenus Epiſcopus, Chalcedonenſe Concilium ſe reſciſſurum. Sub eo, monſtrum quod ante ſine capite defectu peccabat, ex redundantiâ iam fuit informius, quia *multiceps*. Nam cum à Præſulibus paſſim anathemate perculſus, vt abſciſſæ linguæ pœnam, quâ eum Iuſtinus Anaſtaſio ſuffectus damnauerat, de-
518 clinaret, Alexandriam tunc hæreſeon ſentinam, & hæreticorum azylum, profugiſſet, comite Iuliano Halicarnaſſeo, noui prodigij fuit occaſio. Cum enim Chriſti corpus corruptibile fateretur, idque pernegaret Iu-
Incorrupticolæ. lianus, ſchiſma *Corruptibilium* & *Incorruptibilium* inter vertiginoſos illos procuſum eſt.

Cum vero Themiſtius Diaconus, ex Seueri placito, contra Timotheum Alexandriæ pſeudopatriarcham, aliqua Chriſtum ignoraſſe colligeret, *Agnoitas* & *Themiſtianos* procudit. Inter hos, & ſchiſmata rurſum ſubinde orta, (nec enim diu pax inter impios) vt ſic informe corpus non iam in membra, ſed fruſta diſſectum facilius deficeret. Quidquid enim Theodora Aug. noua Medea, ad illud recoquendum molita ſit; Agapetus tamen Pontif. Romanus Conſtantinopolim, Theodorici Regis Italiæ nomine, profectus, reuireſcendi ſpem abſtulit; dum Anthimum Byzantinum, Petrum Apameenſem Præſules, & Zoaram Monachum Syrum; nec non ipſum Seuerum malorum omnium lernam, diris deuouit: planè quaſi non ad Italiæ pacem, quam non obtinuit; ſed ad Eccleſiæ tranquillitatem procurandam, cui cum fructu incubuit, Iuſtinianum adiiſſet ſanctiſſimus Pontif. Nam cum interea Alexandrini plurimi abdicato Theodoſio Corrupticolà, Gaiannum Incorrupticolam ſubrogaſſent, ſchiſma de nouo prodiit, quo ſuamet ſponte hæreſeos monſtrum tandem corrueret, & ſuo ſe veneno extingueret. Manum tamen vltimam rei Iuſtinianus appoſuit: cum vtroque pulſo pſeudoepiſcopo, Paulum, vnum ex Tabenneſibus Ægypti Abbatibus in eius Eccleſię ſolium ſubſtitui curauit, annitente Pelagio, Syluerij Papæ Apocriſiario.

*Agnoitæ.*

*Damnatur à Pontif.*

*Et Iuſtiniano.*

## CAPVT XVII.

### *De Iuſtiniani hæreſi, & eius, nec non Zenonis & Anaſtaſii Imperatorum pœna.*

QVàm nemo mortalium omnibus horis ſapit! Imperatorum eximius ille Iuſtinianus, amplificato, ex barbarorum cladibus, in Affricam & Italiam, Imperio nobilis: & legibus ſeu digeſtis in ordinem, ſeu conditis nobilior: & hactenus Eccleſiæ patrocinio multò illuſtrior, Imperator ille ter maximus, Incorrupticolis tandem aſſenſus, labem in ſe admiſit, quam in aliis
*Iuſtinianus incorrupticola.* damnauerat. Et nouus Salomon cum viridis adhuc ad miraculum, & aliis ſapuerit; ſibi ipſe maturus prodigio maiori deſipuit. Theodori Cæſareenſis peſtilentibus monitis, & Theodoræ ſponſæ, in hoc etiam Salomonis effigies, mortiferis blanditiis aſſentiri maluit; quam ſuis legibus. Inde
538 qui iam ante Sylverium Papam ſanctiſſi-
540 mum, eique ſuffectum Vigilium vltioni
551 coniugis immolauerat; Eutychium Byzan-
*Suuir.* tinum Præſulem in exilium miſit, ſubſtituto, in adulationis pretium, Ioanne Schola-
565 ſtico. Eamdem pœnam Anaſtaſio Antiocheno & aliis Præſulibus, ſcripto iam libello indixerat; cum ipſe ad maiorem, vt creditur, vocatus, improuiſâ morte interiit. Du-
*Moritur improuiſo caſu.* bium an pœnitens, vt in hoc etiam Salomonem exprimeret? Pauendum fatum! Sed à quo nec Imperatores impios ſua purpura,

aut ſatellitium excludit. Zeno inter alios, ſeu comitiali morbo, ſeu largiori potu ad inſtar mortui collapſus, non in lectum delatus eſt, ne reualeſceret; ſed in tumulum, ſponſæ Ariadnæ iuſſu, vt ſeriò interiret. Illo in mortis ſpoliario, vitali recepto ſenſu, lamentari caſum miſer, compellare ſatellites, vociferari coniugem; ſed tanquam ſpectrum ad aliorum pauorem, non ad ſui ſolatium. Dignus quem eiulantem hominum nemo audiret; qui ad Dei & Præſulum monita ſæpius obſurduerat. Anaſtaſius verò, terræmotibus, ſomniis, tonitruis & fulguribus conſternatus; cum per cubicula abrepto ſimilis diu diſcurriſſet, vltrici tandem fulminis igne interiit; qui tot in Eccleſiis flammas excitauerat.

*Zenonis mors horribilis.* 491

*Et Anaſtaſij.* 518

## CAPVT XVIII.

## *De Zenonis Henotico, & inde turbis.*

EVtychetis è cineribus rediuiuum incendium vt extingueret Zeno, oleum infudit. Quid enim aliud quàm peſtem aluit edictum illud, cui nomen *Henoticon*, ſeu conciliatorium? Quippe in eo dùm damnatis Hæreticis & Synodis Nycenâ, Byzantinâ, & Epheſinâ approbatis, Chalcedonenſis non meminit; hæreſeos in eà damnatæ fautorem ſe prodidit, & fidelium animos in ſe, & in edictum conciuit. Quid quod illis interminari anathema auſus eſt homo prophanus; qui edicto non acquieſcerent? Diſſo-

481 *Henoticon*

*Approbe-* cianti Conciliatorio aſſenſere pſeudopræ-
*tur ab* ſules Acacius & Petrus Mogus; ille Byzan-
*Haret.* tii, hic Alexandriæ; nec non alii, quibus
483 quiduis potius perſuadeas, quam verita-
*Damna* tem. At latentem eius impietatem coërcuit
*tur Roma.* Felix Papa, in Romanâ Synodo, per ana-
thema, & Bizantii per Legatos ad Zeno-
nem & Acacium Patriarcham. Quamquam
Legati, qui fuere Vitalis & Miſenus Anti-
ſtites, minis & carcere primùm inflexi; tùm
blanditiis fracti, Acacium habuere pro Ca-
tholico; ſed vt à Felice poſt reditum abdi-
cati, pro Hæreticis cum Acacio haberen-
tur. Auxit & Pſeudopatriarcha pœnam,
dùm eluſit: & damnationis ſententiam ſi-
484 gnificari ſibi priuatim minitabundus non
reſpuit; niſi vt eius ad ſacra pergentis fur-
tim appenſa pallio à Monacho Acæmetenſi
omnium oculis ſubiiceretur; & ſuæ ipſe pœ-
næ, vel neſcius præco eſſet, qui culpæ au-
thor fuerat. Hinc eius in Catholicos furor
inualuit; & in Acæmetas, & Præſules cru-
delitas exaggerata: in illos enim & morte
*Zeno ſæuit* ſæuiit; in iſtos exilio; ad eius vltionem
conſpirantibus ſimul Zenone, Petro Mogo,
Petro Fullone & aliis, quos etiam anathe-
ma afflauerat; cum eàdem eſſent in culpâ.
Vt ad cumulum veſania procederet, in ip-
ſum etiam Pontificem virus effudit, eius no-
mine è ſacris tabulis eraſo. Quaſi ſibi red-
deret innocentiam, dùm ſuum in Iudicem
debacchando crimen exaggerat. At quàm
decorum Felici fuit expungi ab impio; tam
ignominioſum Acacio à Piis. Diù quidem
obſtitere Præſules etiam Catholici Eupho-

mius, & Macedonius, ne id ignominiæ illi inureretur; ſed non alio tandem euentu, niſi vt & eam ipſi, cætera innoxii, pœnam ferrent, quam ſceleſtiſſimo inferri noluerant. Id apud Iuſtinum Imp. & Ioannem Cappadocem Patriarcham euincente demùm per Legatos Hormiſda Pontif. quippe non procul eſt ab hæreſeos culpà, qui hæretici patronum ſe præbet. Sic cum Pontifice conſpirantibus tandem Imperatore & Patriarcha Byzantino; intruſi Præſules Oriente toto deturbati, legitimi reſtituti; & pacatis diuturnæ agitationis fluctibus tranquillitas arriſit.

*Acacÿ pſeudo-patr. Byzant. nomen è dypticl. is eraſum.*

*Pax in Eccleſia.*

## CAPVT XIX.

### *Vndecimum in Eccleſia ſchiſma, Laurentianum.*

EX Eutychetis fonte ſchiſmatis Laurentiani riuus etiam prodiit. Author Anaſtaſius Imp. qui vſus adminiſtro Feſto 497
Romano Patricio, qui iunctus Germano Capuano, & Creſconio Tudertino Præſulibus ad ipſum ab Anaſtaſio Pontif. miſſis, approbationem Henotici ab ipſo Pontif. expreſſurum ſe putauit. At Romanam Petram ſcopulum eſſe Hæreſeon, non aſylum expertus eſt: quando Anaſtaſius de cuius facilitate nihil ſibi Feſtus non promiſerat, intereà exceſſit; & Symmachus ei ſuffectus, tam obnixè impietati obſtitit, quàm ſi Petræ, in quà ſedebat, duritiem in animum induiſſet. Ad hæc Feſtus, quia nihil à vero Pontifice ſperat, falſum intrudit, emptâ

*Occaſio.*

498 dignitate Laurentio, qui eam rurſus venderet. Indè turbæ, donec Theodoricus Rex, ad quem diſcordantes acceſſerant, ſecundum Symmachum Rauennæ ſententiam dixit. Nec fuit cur de iudicio quereretur Antipapa, qui in Epiſcopatu Nucerino ſatis amplum audaciæ præmium obtinuerat; ſi quid ſatis ambitioni foret. In vrbem itaque non multò poſt accitus à Feſto & Probino Patriciis, diſcordias redintegrat, & indignum ſe vel infimo Eccleſiæ gradu prodit, cum primum per ſacrilegia appetiit. Ad nouos motus indignatus Theodoricus, vt iniquitatem impii coërceat, iniquum ſe prodit: & vt Symmachus etiam à Pontificio munere abſtineat, edicit: Petro intereà Altinæ Præſule gubernandę Eccleſiæ, & dirimendæ controuerſiæ præfecto. At cum ingraueſcerent indè diſſidia, Præſide ſchiſmaticis fauente, ex illius iniuſtitiâ ſuam Theodoricus agnouit, & liberum ſynodo fecit controuerſiam vt videretur dirimere. In eâ Symmachi perſpecta innocentia, quam calumniis

502 aduerſarii infuſcauerant. Sacris moti ſunt ſchiſmatici, nec parcitum Altinati: indignus enim ſacris vel intereſſe, quibus tanto Eccleſiæ diſcrimine, & dedecore præeſſe ſuſtinuerat. Quin & ipſum Regem fulmen afflauit, reſciſsâ lege, quę Pontificis electionem ſine Regum aſſenſu factam reſcindebat. Magna Eccleſiæ maieſtas! Tyrannis etiam ſuis legem dicere, & vel ſub iugo, non liberam tantùm, ſed Dominam ſe meminiſſe! Ex aliquorum pœna, culpam plurimi eluerunt: adeo vt ſcripto, ex præſcripto Synodi

*Laurentius Antipapa à Theodorico damnatur.*

*Rurſum turbat.*

*Sed in ſynodo reprimitur.*

cti, libello Eradius Ticinenſis Præſul, magis impiorum pertinaciam præſciderit, quam impios & pertinaces.

## CAPVT XX.

### *De Theopaſcitis hæreticis.*

FOns fuit in principio Eutychetis error: ſed qui, acceptis in progreſſu nouarum hæreſeon ſubinde riuis, in flumen excreſceret. Non modicum ei incrementum fuere *Theopaſcitæ*, qui authore Petro Gnapheo, *Petrus Gnaphæus Theopaſcita.*
ſeu Fullone Antiochiæ prodierunt. Hic à Zenone Leonis Imperatoris genero in Eccleſiæ Antiochenæ ſolium intruſus, & Leone mortuo, 471
cuius viuentis metu abſceſſerat, repoſitus: ab eodem tandem, poſt Baſiliſcum tyrannum domitum, abdicatus eſt. Pro- 474
motionis impiæ culpam emendauerat Imperator, abdicatione tam piâ: ni perfidum Antiochiæ commorari permiſiſſet. Non ſatis fuit ad ouium tutelam, è gradu paſtoritio dimouiſſe lupum, procul ab ouili arceri etiam debuit. Id ſi eſſet præſtitum, non fuiſ- *Antiochena turba ab Hæreticis.*
ſet à turbonibus, impulſu impii, violata Eccleſia, & in ea Stephanus Patriarcha nefariè trucidatus. Id mali dùm cauere impo- 479
ſterum Imperator cupit, maiori dat anſam. Edixit enim vt in cæſi Stephani locum, alter Stephanus eligeretur, non Antiochiæ ex more, ſed Conſtantinopoli: indè quippè Acacius Patriarcha Byzantinus infra ſe omnes Patriarchas Antiochenos haberi *Byzant. præſulum præſumptio.*
voluit, quia ex iis vnum fecerat, & honorem precarium, pro iure habuit. Inde nouæ

ſuæ magnitudinis,cuius & Chalcedone nuper, & ante Conſtantinopoli in œcumenicis Conciliis iacta fundamenta erant,Byzantinis Præſulibus perſuaſio, qua toties excuſſi ſ. nec dum tamen excidiſſe ſe putant. Ex ea, perſuaſione auſus etiam Acacius non diu poſt, abuſus ad hoc Zenonis Imp. potentiâ, Calendionem ſanctiſſimumPræſulem,quem ex more Syriæ Antiſtites Stephano ſuffecerant,abdicare ; & vt ad cumulũ veſaniam proueheret, Stephano in Oaſim amandato, impium Cnapheum reſtituere. Hic ne melioris frugis crederetur factus ex miſeriis:
*Error Theopaſcitarum.* *Theopaſcitas* ſtatim condidit, & ſacro iſti triſagio:*Sanctus Deus, Sanctus Fortis, Sanctus Immortalis*, ( quod aliquot annis ante, puero in ſublime rapto cœlitus monſtratum, nutanti diu horribiliter terræ, ſuam quietem impetrauerat ) addi voluit, *qui paſſus es pro nobis:* quaſi Diuinitas aut Trinitas paſſa eſſet. In nouum Patripaſſianum
*Damnatur.* ſtatim dictum eſt Anathema, non Romæ ſolùm,ſed etiamByzãtii,in Synodis:Authoribus illic FelicePapa,hic ipſo AcacioPatriarchâ.Nec progreſſum feciſſet impietas, ni Acacius eàdem,cum Hereſiarchâ nouo,quẽ authoritate ſuâ & ambitione promouerat, ſe damnatum pœnâ à Felice Pontifice au-
483 diens,eius ſe vindicem profeſſus eſſet. Diu-
484 tiùs inde inualuit cœleſtis Cantici appendix tartarea : vt quam, etiam authore mortuo,
*Et promouetur.* cantari palam Conſtantinopoli iuſſerit Anaſtaſius Imperator. Ad impietatis nouæ ritum populus inhorreſcere : in cœtus colligi : Religionem proditam infremere : ob-

ſtantes cædere, & Imperatoris diſiectis ſtatuis, immodico pietatis ſtudio ea perpetrate, quę furor ſolet. Ad hæc Imperator veritus, ne re deiiceretur è ſolio, qui abdicatum ſe videbat in ſtatuis: exploſo additamento impio, nihil in ſacris ſe poſthac immutaturum ſacramento promiſit. At ei leue erat Dei nomine abuti fallendis hominibus, qui nec ipſi Deo fidelem ſe præbuit. Periurio quod tyrannis in vſu, non modo tunc populum decepit: ſed & Vitalianum poſtea, qui fidei prætextu rebellauit in Thracia, & Hormiſdæ Pontificis Legatos ſæpius deluſit. At vt iis fraudibus ſecuritatem ab hominibus impetrauerit, non tamen vel à ſuâ conſcientiâ, vel à Deo: illius quippe ſtimulis aliquandiu exeſus: iſtius demum igne abſumptus eſt.

512

*Ob id turba.*

518

*Et Imperatoris pœna.*

## CAPVT XXI.

### *Rixa inter Catholicos de Theopaſcitis.*

QVæ procella ſuſtulit Anaſtaſium, eadem in Eccleſię cælo ſerenum fecit: ſed quod præpoſterus nonnullorum zelus turbido corrupit. Leontius enim Scythas inter Monachos primarius; cui ſe adiunxere Ioannes Maxentius, Petrus Diaconus, & alii pietate, & doctrinâ non incelebres viri, ad eluendam ſuſpicionem hæreſeos Neſtorianæ, cuius inuidia Catholicos onerabant Eutychiani: *vnum de Trinitate eſſe Chriſtum crucifixum* confitendum cenſuit. Id & neceſ-

*Monachi Scythæ ſuſpecti de Theopaſciſmo.*

519

ſarium negat Victor Diaconus, & ſuperfluum dicunt Hormiſdę Pontif. apud Iuſtinum Imp. tum Legati, & ſuſpectum aſſerunt Acemetenſes Monachi. Nec aliter cenſuit Hormiſdas ipſe, ad quem Monachi Scythæ prouocauerant: vt ſcriptis ad Poſſeſſorem Epiſcopum Affricanum literis indicatum voluit: Omnium tandem ſuffragio ſunt habiti *Theopaſcitæ*, qui ſuo vno, eoque fortè vero innocentes erant. Hinc ad Epiſtolam illam ad Poſſeſſorem, Monachis Scythis contumelioſam, audax Maxentii reſponſio, quaſi non eam Pontifex, ſed eius nomine latens aliquis hoſtis ſcripſiſſet. Cum enim nullius ſibi hæreſeos, vel ſchiſmatis eſſent conſcii, licitum putarunt, vel contra iudicem reclamare, quem arbitrabantur magis ex rumore & ex calumniis Dioſcori Legatorum primarii apud Iuſtinum, quàm ex vero de ſe ſentire. Accreuit eis etiam audacia poſt Hormiſdam ex ſcelere Dioſcori, qui contra Bonifacium II. Antipapam ſe gerens, in peſſimæ coniurationis exordio exceſſerat. De ipſorum enim innocentià æquiùs iudicari ceptum; quando per quem nocentes crediti fuerant, atroci cum fuiſſe in crimine conſtitit. Sed quod pro victorià fuit, cùm alij Affricani Præſules, tùm Fulgentius ille toto orbe celeberrimus, & tanto magiſtro non indignus diſcipulus, Ferrandus Eccleſiæ Carthaginenſis Diaconus, eorum ſe vindices etiam per ſcripta profeſſi ſunt. Acceſſit quod Iuſtinianus, qui priuatus adhuc Dioſcoro apud Hormiſdam contra Scythas fauerat; factus

*Reprimuntur ab Hormiſda.*

*Ros vindicat Maxentius.*

530

*Et Fulgentius.*

534

Imperator Scythis apud Ioannem II. Pontif. contra aduerſarios per Legatos fauerit. Factum itaque vt Pontifex anathema dixerit in Acæmetenſes & alios, qui *vnam de Trinitate eſſe Chriſtum crucifixum* non fáterentur. Sic quod vnus Pontificum ſtatuerat reſcidit alter; nec tamen alter ab altero in re diſſenſit. Nec enim diſceptabatur de fide, quæ eadem ſemper eſt; ſed de verborum ſenſu, quibus vt pij ſanam interpretationem, ſic ſuperbi dubiam poſſunt appingere. Ideo ſaluâ dignitate Pontificiâ, idem benè ab vno damnari potuit, abſolui ab altero, nec propterea, Deus acta Dei reſcidiſſe dici potuit. *Agnoſcuntur Catholici.*

## CAPVT XXII.

### *Pontifices quinti ſæculi.*

ANaſtaſium non in zelo minùs, quàm in gradu ſecutus Innocentius I. non fidei tantùm aduerſus Pelagij & Vigilantij hæreſes, ad Præſulum Africanorum & Gallorum monita, Aſſertorem ſe ſtrenuum præſtitit; ſed acerrimo etiam fidei ac pietatis Euangelicæ præconi Chryſoſtomo, aduerſus inimicorum molitiones, & calumnias, fuit quaſi pro clypeo. Arcadium enim & Eudoxiam Augg. Apoſtolica reprehenſione corripuit, Theophilum Alexandr. & gregales à ſua communione excluſit; & vt S. Præſulis in exilio defuncti nomen in ſacris Dypthichis reponerent, Cyrillum Alexand. Atticum Byzantinum, & alios adegit. Antiochenæ Eccleſiæ ab Euſtathij & Meletij tem- *402. 17. Mai. Innoc. XXXXII. damnat. Pelag. Vigil. Tuetur Chryſoſt.*

ſarium negat Victor Diaconus, & ſuperfluum dicunt Hormiſdę Pontif. apud Iuſtinum Imp. tum Legati, & ſuſpectum aſſerunt Acemetenſes Monachi. Nec aliter cenſuit Hormiſdas ipſe, ad quem Monachi Scythæ prouocauerant: vt ſcriptis ad Poſſeſſorem Epiſcopum Affricanum literis indicatum voluit: Omnium tandem ſuffragio ſunt habiti *Theopaſcitæ*, qui ſuo vno, eoque fortè vero innocentes erant. Hinc ad Epiſtolam illam ad Poſſeſſorem, Monachis Scythis contumelioſam, audax Maxentii reſponſio: quaſi non eam Pontifex, ſed eius nomine latens aliquis hoſtis ſcripſiſſet. Cum enim nullius ſibi hæreſeos, vel ſchiſmatis eſſent conſcii, licitum putarunt, vel contra iudicem reclamare, quem arbitrabantur magis ex rumore & ex calúmniis Dioſcori Legatorum primarii apud Iuſtinum, quàm ex vero de ſe ſentire. Accreuit eis etiam audacia poſt Hormiſdam ex ſcelere Dioſcori, qui contra Bonifacium II. Antipapam ſe gerens, in peſſimæ coniurationis exordio exceſſerat. De ipſorum enim innocentià æquiùs iudicari ceptum; quando per quem nocentes crediti fuerant, atroci cum fuiſſe in crimine conſtitit. Sed quod pro victorià fuit, cùm alij Affricani Præſules, tùm Fulgentius ille toto orbe celeberrimus, & tanto magiſtro non indignus diſcipulus, Ferrandus Eccleſiæ Carthaginenſis Diaconus, eorum ſe vindices etiam per ſcripta profeſſi ſunt. Acceſſit quod Iuſtinianus, qui priuatus adhuc Dioſcoro apud Hormiſdam contra Scythas fauerat; factus

*Reprimuntur ab Hormiſda.*

*Eos vindicat Maxentius.*

530

*Et Fulgentius.*

534

Imperator Scythis apud Ioannem II. Pontif. contra aduerſarios per Legatos fauerit. Agnoſcuntur Catholici. Factum itaque vt Pontifex anathema dixerit in Acæmetenſes & alios, qui *vnam de Trinitate eſſe Chriſtum crucifixum* non faterentur. Sic quod vnus Pontificum ſtatuerat reſcidit alter; nec tamen alter ab altero in re diſſenſit. Nec enim diſceptabatur de fide, quæ eadem ſemper eſt; ſed de verborum ſenſu, quibus vt pij ſanam interpretationem, ſic ſuperbi dubiam poſſunt appingere. Ideo ſaluâ dignitate Pontificiâ; idem benè ab vno damnari potuit, abſolui ab altero, nec propterea, Deus acta Dei reſcidiſſe dici potuit.

## CAPVT XXII.

### *Pontifices quinti ſæculi.*

ANaſtaſium non in zelo minus, quàm in gradu ſecutus Innocentius I. non fidei tantum aduerſus Pelagij & Vigilantij hæreſes, ad Præſulum Affricanorum & Gallorum monita, Aſſertorem ſe ſtrenuum præſtitit; ſed acerrimo etiam fidei ac pietatis Euangelicæ præconi Chryſoſtomo, aduerſus inimicorum molitiones, & calumnias, fuit quaſi pro clypeo. Arcadium enim & Eudoxiam Augg. Apoſtolica reprehenſione corripuit; Theophilum Alexandr. & gregales à ſua communione excluſit; & vt S. Præſulis in exilio defuncti nomen in ſacris Dyptichis reponerent, Cyrillum Alexand. Atticum Byzantinum, & alios adegit. Antiochenæ Eccleſiæ ab Euſtathij & Meletij tem- 402. 17. Mai. Innoc. XXXXII. damnar. Pelag. Vigil. Tuetur Chryſoſt.

pore per ſchiſma diuulſæ pacem tandem reſtitutam Alexandri Patriarchæ ſtudio, per literas ei gratulatus eſt. Nec interea diſciplinæ Eccleſiaſticæ curam intermiſit, ſcri-
*Scribit pro diſciplina* ptis ad hoc ad Exuperium Tholoſanum, Victricum Rotomagenſem, Decentium Rauennatem, & alios Epiſtolis Apoſtolico zelo pleniſſimis. Qui diuina tam ſedulo curauerat, Deo ipſe curæ fuit, dum Vrbem Gothus inuaſit: Nimirùm vt quatenus ſtragem à
*Roma diripitur.* grege prohibere non poterat, Rauennæ interea, quò pro pace inter Honorium & A-
417 laricum miſſus fuerat, ſolatio leniret. Obiit
*30. Iul.* decimo ſexto ineunte dignitatis anno.
*Zozim. XLIII.* Zozimus Innocentio ſuffectus Celeſtium
417 Pelagij diſcipulum, quem ipſius hypocriſi
*19. Aug.* deluſus innocentem dixerat, ad Africanorum Præſulum monita damnauit: Proculum Maſſilienſem Epiſcopum, temerè Metropolitani ius ſibi vindicantem coërcuit:
*Cereus* Eccleſiæ Arelatenſis iura potiora, quàm
*Paſchalis.* Narbonenſis dixit. Benedictionem Cerei Paſchalis in minoribus etiam parochiis fieri indulſit; ne Clerici in publicis diuerſo-
*Gradatio* riis potarent, aut ante admitterentur ad Sa-
*in Ordin.* cerdotium, quàm in gradibus inferioribus
*recipiĕdis.* aliquandiu miniſtraſſent; ac ne ſerui coop-
418 tarentur in Clerum interdixit. Obiit ſecun-
*26. Dec.* do inchoato Pontificatus anno.
*Schiſma Eulalianum.* Eulalio, qui fauore Symmachi Pontificatum inuaſerat, abiecto, Eccleſiæ gubernaculis *Bonifacius* admotus; Pelagianum
*Bonifac. XLIV.* dogma, in duabus Iuliani Capuani Pſeudo-
418 epiſcopi Epiſtolis inſperſum ab Auguſtino
*31. Dec.* iterum refelli curauit. Patroclum Arela-

tenſem, contra Niceni Canonis præſcriptum Narbonenſis Eccleſiæ iura audacius inuadentem coërcuit: intercluſo demùm ſeruis, aut Curiæ obnoxiis, ad ſacra munia aditu, prohibiti'que etiam ſacris Virginibus, ſacras Pallas attingere, aut incenſum in Eccleſia adolere; obiit quinto Pontificatus anno nondum completo. *Ab ordin. excluſi.* 223 *15. Octob.*

Pelagianum dogma ita ſuperiores Pontifices contuderunt, vt ſuperfuerit, in quod *Celeſtinus* Bonifacio, fruſtra nonnihil obluctatis Eulalianis, ſuffectus, vim zeli exereret; Nec viſum eſt reuiuiſcere in Britanniâ, quo Pelagius euaſerat, & in Galliâ ſtudio Caſſiani; niſi vt ſub tanto Pontifice latiùs veritas triumpharet. Venere in ſocietatem victoriæ Britannicæ Germanus Altiſſiodorenſis, & Lupus Trecenſis, & Palladius Rom. Diaconus. Gallicam vero Proſper ita promouit, vt pereximiam ipſe ad Gallicanos Præſules, aduerſus Maſſilienſes presbyteros Epiſtolam, ad cumulum perduxerit. Nec minori gloriâ per Palladium Chriſtianæ gratiæ victoriam ad Scotos, qui ſuperſtitioſis Idololatriæ ritibus dediti erant, propagauit. At quaſi monſtri iam affecti leuior eſſet pro tanto Pontifice victoria, Neſtorius inſurrexit. Hunc igitur tota zeli & poteſtatis mole adoriens penitus obtriuit, ſiue per literas ad Theodoſium II. Imper. Cyrillum Alexandr. & alios, ſiue per generalem Epheſi coactâm Synodum, cui ſuo nomine Cyrillum & alios præeſſe voluit. Nec ad magna illa intentus, interiorem Eccleſiæ cultum prætermiſit; laicis ab Epi- 223 *3. Nou.* *Celeſtin. XLV.* *Pelagiani in Britan.* *Maſſilienſes.* *Scoti Chriſtiani.* *Epheſina Synodus.*

*Habitus Clericorum.* ſcopatu prohibitis; Nouo, eoque parùm modeſto habitu Clericis interdicto, & vt Pſalterium ante Miſſam Antiphonatim caneretur edicto; cum ante Pauli Epiſtolæ &
432 *6. April.* Euangelium duntaxat legi ſolerent. Obiit nono Pontificatus anno, per aliquot menſes inchoato.

*XLVI. Sixt. II.* *Sixtus II.* Celeſtino ſuffectus cum Neſtorium per literas ad reſipiſcentiam reuocare
432 non poſſet, nouâ damnatione compreſſit.
*26. April.* Stupratæ Virginis columniam, quam Baſ-*Calumniam patitur.* ſus impegerat, in ſynodo procul à ſe amouit. Nec minùs ſibi gloriæ comparauit, dum Iuliani pœnitentiam ſimulantis nouo
*Iulianum comprimit.* conſortio, Eccleſiam Capuanam, à quâ ob hæreſim Pelagianam exciderat, inquinari paſſus non eſt. Reliquum vitæ, quod ad octauum Pontificatus annum non plenè
440 completum porrectum fuit, propagandæ
*28. Mart.* pietatis ſtudio impendit. Conſtructâ magnificè, ornatâque locupletiſſimè Eccleſia
*Eccleſ. D. Mar. ædificat.* S. Mariæ ad præſepe, quæ Maior dicitur: vt quo tempore auſu ſacrilego Deiparæ prærogatiuam Neſtoriani violabant; cultum eius & decus ipſe maximè promoueret.

*XLVII. Leo Mag.* Ex ſpeciali diuinæ prouidentiæ conſilio Eccleſię regimen, Sixto mortuo, credi-
440 tum *Leoni* eſt, qui ſolus tunc videbatur ei
*9. Mai.* & ab hæreticis vehementer conuulſæ, & ex imperij ruinâ nutanti, ſuſtinendæ par eſſe.
*Manichæos vexat.* Itaque non ſatis habuit Manichæos, ad Vvandalorum in Affricam irruptionem, Romam digreſſos, ibique ſub habitu Catholico latitantes ſuis è latebris eruere, ac tùm

tùm ab iſtis per Epiſtolas, & Imperatorum edicta, tùm in Hiſpaniâ per indictam generalem Synodum vexare; ſed Eutychetem etiam tùm aliis plurimis, tùm diuinâ illâ ad Flauianum Epiſtolâ; ac etiam in Romanâ Synodo iam prædamnatum, in Chalcedonenſi Oecumenico Concilio, cui per legatos præfuit, & per epiſtolam norma decidendi fuit, damnari curauit. Nec parcitum eſt Epheſino latrocinio; in quo Dioſcorus Alexandrinus vnà cum gregalibus pſeudoepiſcopis, vexatis impiè Catholicis, & dictà pro hæreſiarchâ ſententiâ, prçiuit ad horrendum ſaniuus, quo non diu poſt Alexãdriæ in Leonem Anathema dixit. In auertendis ab imperio cladibus ipſe vnus pro pluribus millenis fuit. Nam & Attilam Circumpadanam Italiam Victoriis iam permenſum, eloquentiæ ſacræ maieſtate perterruit, & ad regreſſum adegit, & quatenus Genſericum ab vrbis direptione prohibere non potuit, ab exſcindendâ prohibuit: Nec minùs interea ad Eccleſiaſticæ diſciplinæ curam intentus; plurimis eam decretalibus epiſtolis vel nutantem continuit, vel collapſam reſtaurauit. Denique qui dignitate, ingenio, doctrinâ, eloquentiâ, rebus geſtis, virtutum omnium cumulo, *Magnus* verè fuit, vt & diceretur, primus inter Pontifices promeruit. Vigeſimo primo Pontificatus anno prope completo exceſſit.

*Ac Eutychetem.* *Synodus Chalced.* *Epheſinũ Latrocinium.* *Attilam flectit.* *Et Genſericum.* 461 11. *April.*

*Hilarus* Leoni ſuffectus, doctrinam fidei, quam Diaconus adhuc, Legati nomine in Epheſino Latrocinio, & agendo, & patiendo LXVIII. *Hilarus* 461 12. *Nou.*

defenderat, Pontifex confirmauit. Nam ſta-
tim Neſtorio, Eutychete, Dioſcoro, & gregalibus damnatis, vt Oecumenicæ Synodi, Nicena, Epheſina, & Chalcedonenſis tamquam diuini Catholicæ veritatis Canones haberentur, edixit. Ne Philotheus Macedonianam hæreſim in vrbem inueheret, ab Anthemio Imperatore, quem intrepidà commonitione palam corripuit, expreſſit. Hermem in Narbonenſem Eccleſiam intruſum, ſcriptis ad Leontium Arclatenſem, & alios Epiſtolis compreſſit. Cyclum nouum ad Eccleſiæ vſum à Victorino corrigi curauit. Plurimis demùm ad ſacra miniſteria collatis vaſis, quæ à Vvandalis ſublata fuerant, reſarcire conatus eſt. Sexto demùm Pontificatus anno nondùm còmpleto exceſſit.

*Synodos venera-tur.*

*Cyclus Eccleſiaſticus.*

467
10. *Sept.*

*Simplicius* Hilari zelum æmulatus, rem fidei in Oriente periclitantem, ſiue ex Imperatorum in Eutychianiſmum ſtudio; ſiue ex Thimotei Æluri, Petri Mogi, & aliorum pſeudopræſulum hæreſi; ſiue ex Acacij Byzantinſ, cætera Catholici, ſed ſtudium pro fide ſuo ex commodo metientis, parùm firmà conſtantià, per repetitas ſubinde Epiſtolas ac legationes, atque etiam in Impij, qui monitis non aquieuerant, execrationes, pro virili ſuſtinuit. Cum intereà Occidentalis Eccleſiæ ſub Barbarorum, eorumque Arianorum tyrannide laborantis curam non intermitteret. Nam Gaudentio ob ordinationes ſimoniacas Aufinienſis Eccleſiæ Præfecturà abdicato, edixit, vt ſacrorum redituum pars vnà Præſuli, altera

*XLIX. Simplic.*
467
20. *Sept.*

*Fidem curat,*

Clero, tertia Fabricæ, quarta Pauperibus *Redituũ*
& peregrinis tribueretur. Tum plurimis ad *ſacrorum*
ſacra Miniſteria vaſis, & ornamentis ingen- *diuiſio.*
tis pretij collatis, obijt decimo ſexto Pon- 483.
tificatus anno per aliquot menſes inchoato. *2. Mart.*

*Felix III.* Gregorij Magni auus; reiecto *Felix III.*
Zenonis Henotico, præſulibuſque qui illud *B.*
approbauerant anathemate perculſis, Pe- 483
troque Gnapheo Antiocheno Theopaſcita- *8. Mart.*
rum corditore diris addicto, Zelum ſe verè *Theopaſ-*
Apoſtolicum vnà cum Infulis induiſſe poſt *citas*
Simplicium prodidit. Nec eis, qui Vvan- *damnat.*
dalicà in Affrica perſecutione è clero defe-
cerant, pepercit, vt quos ſpe prorſus amiſſi
gradus recuperandi excluſos in Romana
Synodo, ad multos annos inter Audientes
detineri noluerit. Obijt nono Pontificatus 492
anno. *25. Febr.*

*Gelaſius* Felicis in fidei ſtudio, vt & in *Gelaſ.*
dignitate ſucceſſor, admiſſurum ſe negauit *L I.*
Euphemij Byzantini legatos, donec ipſe 492
nomen Acacij, quem Felix ex albo fide- *2. Mart.*
lium expunxerat, è ſacris Diptycis expun-
xiſſet. Manichæos in vrbe deprehenſos eijci
curauit. Pelagianiſmum in Piceno reuiuiſ-
centem, graui ad præſules ſcriptà Epiſtolà
coërcuit. In Romanà demum Synodo qui *Libros*
libri Canonici & Orthodoxi, qui Apocry- *cenſet.*
phi habendi eſſent iudicauit. Et vt Eccleſiæ *Reditus*
bona iuxta partitionem à Simplicio ſanci- *ſacros di-*
tam diſtribuerentur conſtituit. Obiit quinto *ſtribuit.*
Pontificatus anno nondum completo. 496

*Anaſtaſius II.* Gelaſio ſuffectus in ſuſpi- *20. Nou.*
cionem dignitatis parùm ſtrenuè admini- *Anaſt. II.*
ſtratæ venit, quod Anaſtaſius Imperator

496 ſperauerit impetraturum ſe ab eo, inter-
16. Nou. uentu Feſti Senatoris, vt nomen Acacij reponeretur in Diptychis, & Zenonis Henoticon approbaretur. Sed occulto Dei iudicio intereà non plenè completo in dignitate biennio abreptus, documento fuit & in Petri ſucceſſoribus impleri, quod Petro
498 Chriſtus obtinuit, dum ait. *Ego autem ro-*
19. Nou. *gaui pro te, vt non deficiat fides tua.*

## CAPVT XXIII.

### *Nonum in Eccleſia ſchiſma Vigilij.*

EVtychiana lues Orientis diu depaſta Eccleſias Romanam tandem afflauit: & quatenus eam inficere datum non eſt; vt quam antidoto, à quacumque peſte, inſuperabili Chriſtus in Petro muniuerit; ſaltem
Antipapa diuulſit, promoto in Antipapam Vigilio. Iam ab electione Bonifacij II. intruſo ad Infulas Dioſcoro, diſſidij ſemen iactum
530 fuerat; ſed quod repentinâ morte abreptus Pſeudopontifex in herbâ extinxit. Ex pœnâ alterius, culpam Vigilius non cauit. Hic ſpecie abrogandi tyrannidem, quam in approbandis Pontificibus Italiæ Reges inuexerant, tyrannidem inuehens, à Bonifacio
531 deſignari ſe ſucceſſorem curat; & vim Gotticam in peius emendat. In irritum tamen ceſſit improba deſignatio; Bonifacio, ex conſcientiæ ſtimulis, factum reuocante. Ideò illi Ioannes II. & Agapetus ordinè ſuffecti, ſine diſſidio Eccleſiam rexerunt. At Syluerio demùm, non ſine ſuſpicione empti à Theodato Rege ſuffragii, in Pontificem

promoto, ſpem nondum emortuam Vigilius excitat, & qui meritorum non poterat, Theodoræ Auguſtæ ſuffragio, cui reſciſſurum ſe Chalcedonenſe Concilium, & ſuæ redditurum Sedi Anthimum Byzantinum quem Eutychianiſmi reum Agapetus Pont. expulerat, in præmium promiſit. Belliſarii inſuper viribus in ſolium inuaſit. Nec intereà Sylucrius, tanquam Gottis pronior deportatus in Palmariam inſulam, quæ ipſi verè Palmetum fuit; vt in quâ non diù poſt calamitatibus non tàm abſumptus ſit, quàm conſecratus, ſuam cauſam deſeruit, dæmonis in manus per anathema tradito aduerſario. At ex obitu æmuli reſipiſcens Antipapa, lupum exuit vt Paſtor fiat, & dignitatem impiè occupatam vltrò abdicauit, quam ope Belliſarii ſibi reddendam nouerat. Maluit enim Clerus ex ſchiſmatico Papam facere; quàm ſchiſmate nouo Eccleſiam lacerare. Ritu ſolito inauguratus, mirum quantum à ſeipſo diuerſus fuit, & quo zelo in fidei præſidium incubuit vel contra Theodoram! Ab ea ſollicitatus implere pollicita, haud iure perfici poſſe, quod iniuriâ promiſſum ſit reſpondit. Accitus Byzantium, ob controuerſiam de tribus capitulis, adeò ſe moueri paſſus non eſt vel precibus, vel contumeliis, (inter quas, & alapæ ignominiam in templo, ad cuius azylum confugerat, paſſus eſt) vt ipſam Auguſtam Eutychianiſmi ream è ſacris mouerit. Nec ſe putet Imperatrix ingratè ab eo habitam, quem ipſa promouerat. Ipſa enim Antipapam intruſit ad ſacra; Ipſam verus Papa è ſacris mouit.

*Ope Belliſarij.* 538

*Siluerius Papa exulat.* 540

*Vigilius reſipiſcit & fit verus Papa.*

546

*Theodoram Aug. damnat.*

## CAPVT XXIV.

### *Decimum in Eccleſia ſchiſma, de tribus Capitulis.*

NE in fœminas tantum fortis Vigilius putaretur, ei quoque Iuſtinianum Deus oppoſuit. Occaſio, famoſa illa de *tribus Capitulis* controuerſia, quæ diu Catholicos à Catholicis non ſegniùs quàm ab Hæreticis diuulſit. Primarius author tragædiæ Theodorus Cæſareæ Cappadociæ Præſul fuit. Hic afflatus fulmine quod Origeniſtas, ſub illa tempora, exuſſit; vt vlciſcatur iniuriam, crimen nouum molitus eſt: dum Hæreticos adductum iri facile ad
546 Concilii Chalcedonenſis reuerentiam, per Theodoram Auguſtam Imperatori inſinuat, ſi Theodorus Mopſueſtenus, Ibæ Edeſſeni in Mopſueſteni ac Neſtorii laudem ſcripta Epiſtola, & Theodoreti aduerſus Cyrillum libri prohiberentur. (Hæc ſunt illa tria Capitula, quæ Synodus Chalcedonenſis, abiectis, ſi qui erant inſerti, erroribus, approbauerat.) Decipitur ad hæc Imperator credulus, & quam fraudem in ſe non nouerat, in alio minimè ſuſpicatus; *tria Capitula* & ipſe proſcribit, & quandò id fieri poterat illæsâ fide, in ſuffragium Orientis Patriarchas, quà vi, quà precibus adduxit. Vigilius ipſe, vbi accitus Byzantium ad ſchiſma
747 rem ſpectare intelligit, ſi renuat, in idem conſenſit. At dum Orientalium paci conſulitur, in Occidente turbatur; authoribus Ruſtico & Sebaſtiano R. E. Diaconis, & Fe-

*Quæ tria Capitula.*

*Damnantur.*

lice Gillitano in Affrica Abbate. In eos ſtatim à Pontifice dictum anathema, ſed quo in tantùm turbæ inualuerint; vt non aliter quam Oecumenica ſynodo componi eas poſſe creditum ſit, indicto intereà de controuerſiâ ſilentio. Nec dubitabatur de ſucceſſu; ni Iuſtinianus pacti oblitus, damnationis renouatâ ſententiâ, diſcordiam auxiſſet. Ad hæc Vigilius fugâ in Eccleſiam vim ſatellitum elapſus, in Theodorum diſſidij fomitem præcipuum, Menam Byzantinum, alioſque Præſules, qui Imperatori aſſenſerant, diris agit: & Chalcedonem, vim majorem veritus, euadit. Nec, à Reis ſublatâ illâ pœnâ, qui pœnitentiâ culpam deleuerant; reductus honorifice Byzantium, voluit ſynodo intereſſe vel per Legatos, quòd Epiſcopis Occidentalibus, vt mentis aduerſæ poſthabitis, Orientales tantùm in eam eſſent acciti. Haud ſegniùs tamen damnatis in ea hæreticis, Capitula proſcribuntur, in appendicem Aug. vt jus addat ſynodo contra ritus habitæ, vt cui Pontificis nomine nullus interfuerit, quamque damnauit Antiſynodus Aquileienſis, iniuriam Vigilio facit, & in eum Diocletianum agit, quem vt Iuſtinianus exceperat; vt inter contumelias conqueſtum ipſum Pontificem eſſe dicunt. Denique, quando id ſaluâ fide fieri poterat, approbata ſynodo exilium redimit, & regreſſum in Italiam. At qui deceſſorem in exilio mori coëgerat, ſuâ ipſe in vrbe mori non debuit. Syracuſis obiit. Felix, ſi dignitatis per fraudem adeptæ culpam, conſtanter adminiſtratæ laude diluere apud

*Inde turbæ.*

550

551

553

*In ſynodo rurſum damnatur inuito Vigilio Pontif.*

*Qui tandem acquieſcit.*

555

*Sed à multis reſiſtitur.* Deum potuit. Ad obitum Vigilij adeò non eſt ſopita diſcordiæ flamma, vt vehementiùs exarſerit; & Aquileiam, Iſtriam, Mediolanum, & Circumpadanos latè tractus graſſata, trans Alpes & maria, ad Hiberniam vſque velut agitantibus ventis euolauerit. Ne ſpe obtinendi quæ conceperant, pertinaciam turbones alerent, Pelagius Vi-
556 gilio ſuffectus ſynodum confirmat. Nec acquieſcunt illi; & approbatione legitimum fieri vnquam poſſe negant, quod præter leges patratum fuerat. Sic dùm peccaſſe pertinaciùs nolunt, in peccato perſeuerant. Si tamen verè peccauerunt, qui ob id tantùm non acquieuere Concilio, quòd iniquum arbitrarentur, Doctores & Præſules de re Chriſtianâ benè meritos, & in communione Catholicâ piè defunctos, poſt mortem inauditos & indefenſos damnari; eoſque errorum ſaltem ſuſpicione pollui, à quibus æquitatis erat, eos fuiſſe alienos credere; cum de ipſis minime conuicti fuiſſent. Hinc irrita Narſetis opera; irrita Smaragdi exarchæ; nec feliciùs eo deſudauit in puluere Gregorius
*Qui tandem flectuntur.* nondum Magnus, per ſcriptam ad ipſos Pelagij II. juſſu Epiſtolam. Sed quem non audierant Pontificis nomine ſcribentem; eum audiuere Pontificem Hiberni, Tergeſtini, & Mediolanenſes; rem ſtrenuè Mediolani promouente Conſtantino Præſule. Iſti tamen Epiſcopi tres ſuffraganei obluctati, Theodelindam Longobardorum Reginam ad tempus traxerunt in partes. Nec in cicatricem vulnus perfectè coaluit, donec exeunte ſeptimo ſæculo, ſuum cuneum no-

dus iſle contumax inuenit Sergio I. Pontifice. Tunc vt ibi contumacia contunderetur, vbi maxime præſultauerat; Aquileienſi in ſynodo ſuus paci locus redditus eſt. Tùm demùm innotuit, quò inconſultus conceptæ opinionis amor animos cætera magnos abripiat. Nec enim pro re non neceſſaria tandiu diſceptatum eſt, niſi quia pudebat non proſequi, quod præſtitiſſet non incepiſſe.

## CAPVT XXV.

### *Byzantini Præſules pro titulo vniuerſalis contendunt.*

NVllo magis nocuit Eutychetis error; quàm quòd occaſionem dedit Bizantinis Præſulibus ambitionis proferendæ, quæ diu antè cœperat. Hinc enim tandem ſchiſma quo & periere funditus Græci, & Latini etiamnùm dolent. Porrò ex quo prophanum ad ſe tranſlatum Imperium agnouère Byzantini, aſpirauerunt ad ſacrum; Conſtantini pietatis interpretes præpoſteri, quippe Romà ipſe non ceſſerat, niſi vt ſacra magis fieret, ex quo fiebat minus prophana. Ad tantum autem faſtigium ire tutum non fuit, niſi per gradus. Inde Romano Hierarchæ ſuum primò relinquere ſupremum dominium, ſecundis contenti. Id ſuppoſititio decreti additamento in Oecumenicà Byzantinà primâ ſynodo voluerunt: id & in Chalcedonenſi Concilio expreſſum ab Anatolio Patriarchà. Duraturam quippè minùs putauère magnitudi-

*Bizant. Præſulum ambitio.*

*Irrepere conantur ad primatum ſupra alios.*

381

451

nem,quæ citiùs veniſſet ad ſummum. Anatolii audaciam ita Leo Pontif. retudit; vt eam tamen Acacius ſibi pro norma ſumpſerit. Siue dum Leonem Imp.impulit,vt Byzantinæ ſedis priuilegia reſtauraret; ſiue dum Calendionem Antiochenâ, & Ioannem Talaida Alexandrinâ ſede per Zenonem Leoni ſocero ab aliquot iam annis ſuffectum, pelli curauit, quòd vterque, ſe non conſulto, promotus eſſet. Ne iſte quoque aliorum depreſſione creſceret, inhibuit etiam per Anathema Simplicius Papa. Re toties excluſi contendêre pro titulo; & qui non poterant eſſe Oecumenici,ſaltem vt dicerentur, enixi ſunt. At nec id tumidis ſolatii permiſere Pontifices, ne qui à re venerant ad nomen, à nomine reniterentur ad rem, regreſſu faciliori. Itaque Ioannes Ieiunator qui quadam in Synodo cognomenti licentiam apertiùs vſurpauerat, repreſſus eſt à Pelagio Pontif. & à Gregorio Magno fidelium cœtu motus. Dignus qui re eſſet infra laicos, qui vel ſolo nomine aliis Præſulibus ſe prætulerat.Nec meritò dictus Ieiunator, qui ad tumorem vſque ſe vento pauerat. Cyriacum Ieiunatori ſuffectum eâ pœnâ exoluit mitis Pontifex, ne aſperiùs tractatum vlcus in mortem ingraueſceret. Adeo ſuperbos paſcit vel imaginaria magnitudo! Nec Imperatores id decoris ipſis inuidebant; quaſi verum ſibi & vrbi decus accreſceret, ex vſurpato Præſulis.Sed Phocas tandem, vt Cyriacum ſuis nutibus minùs obnoxium reprimeret; vt vnus Romanus Pontif. vniuerſalis diceretur, edixit.

*Affectant titulum vniuerſalis.*

587 *Sed reprimuntur à Pontif.*

595

606

Hoc vno ęquus, cætera tyrannus. Imò nec in eo æquus, niſi vt tyrannidem in Eccleſiam, quam non ferebat Cyriacus, vindicaret. Adeo & quod bene faciunt aliquando impii, ex malo eſt. Nec ideò poſuère ex animo ſuperbiam Patriarchæ; cum quadringentis poſt annis, id elogii dato pretio à Ioanne X X. emere illos voluiſſe conſtet. Non putabant ei Religioni fore titulum vendere; qui ſacram ipſam dignitatem emerat. Nec enim ægrè ſacra vendunt, qui emerint. At ad infame commercium infremente populo; & Guilhelmo S. Benigni in Galliis Abbate ſui officii Pontificem per literas admonente, fruſtra ceſſit impia nundinatio.

*A Phoca Imp.*

1024

## CAPVT XXVI.

### *De fide ad varios latè propagata.*

VT magna damna Eutychetis error intulerit; ea tamen lucro maiori penſata Deus voluit. Quantula enim illa ad trophæa quibus Francis & Burgundionibus in Galliâ ſibi intereà addictis Eccleſia inclaruit. Quid quòd etiam ex Arianorum ruinis in Affricâ, Italiâ & poſteà Hiſpaniâ, ſuam latè ditionem protulit? Sed illa fortè minoris facias, quòd ante deperdita, quaſi poſtliminiò recepit. At eò etiam ſe fides protulit: quò ſi antè, non ad domicilium vt incola, ſed tantùm ad hoſpitium, vt peregrina peruenerat. Tales Lazarorum populi ad portas Caſpias, quibus Zarus Rex pom-

*Lazari conuerſi.*

pà celebri Conſtantinopoli baptizatus, præiuit ad fidem: vt quos regebat tamquam ſubditos politico imperio; eoſdem Eccleſię ſubderet, vt Chriſtianos. Eam in tractu Boreali victoriam corrupit Dunaami ad Auſtrum defectio. Hic eos ex Homeritis, quibus præerat, ſuo furori obnoxios fecit, quos non potuit Apoſtaſiæ. Sed ab Eleſbuam Æthiopum Rege piiſſimo cum copiis cæſus, tunc Rex eſſe iure deſiit, cum per iniuriam fidei regnare voluit. Nec à Damiano iterùm Iudæo & Rege procella recruduit; niſi vt Auximitis in Æthiopià accipiendæ fidei ſterneretur via, Vigilio Pontif. Quippè Rex

*Auximitæ & Homeritæ conuerſi.* Adadus in acie dubià Chriſtianum ſe fore pollicitus, ſi impium ſuperaret; de ſe & Regno, cui Homeriticum acceſſerat, nobile

565 Chriſto trophæum poſuit. Pictis quoque ad

*Et Picti.* Boream affulſit lex Euangelica, Columbani Abbatis Hiberni operà. Ex patrià, quam ex Ethnicà Chriſtianam fecerat, traiecit in Gallias; vt ex Theodorico impio & obſcœno Rege Burgundiæ, Pium faceret, & Caſtum. Nec id operoſum, ſi cum Rege ſolùm res fuiſſet. Sed Brunehildis artes ſupra fuere. Adeò quiduis ſæpè flectas potiùs & vincas, quàm fœminam, cui impunitas flagitiorum licentiam fecit. Quamquàm ex

612 Burgundia nouæ Ieſabelis tyrannide exu-

*Et Sueui.* lare viſus non eſt vir Dei; niſi vt Magnam Sueuorum partem ab idololatria reuocaret, & vnius familiæ damnum tranſiret in lucrum populi. Succeſſu non diſpari Rupertus Vangionenſis Præſul Bercarii tyrannidem, Dei conſilium interpretatus, ad Bo-

ios quaſi iuſſus ſe contulit; & ex Theodonis 580.
Principis animo depulſis tenebris, eos Euangelicâ luce illuſtrauit. Nec minùs promota *Et Boij.* Chriſtianæ pacis doctrina, infremente bello, quo Iuſtiniani auſpiciis Perſas Belliſarius obtriuit. Tunc enim Eruli, Blemię, & Nabathęi, & Imperatori auxilium, & Eccleſiæ *Et alij in Oriente.* obſequium promiſere. Felix Belliſarius cu- 527
ius iam victorię pugnas exceſſere; vt qui vni Imperatori ſolùm pugnaret, Deo etiam vicerit. Id & probatum in Tzanis Armeniæ adiacentibus populis, quos idem Heros Imperio ſimul & Eccleſiæ ſubiecit. Abaſgi verò & Hunni ad Boſphorum, cum ſuo Rege Gorda vltrò per id tempus, barbarie poſitâ, mitioribus ſe fidei legibus imbuendos tradiderunt. Ad tot Eccleſiæ apud exteros & remotos progreſſus, dicas Deum hortulani more, Eutychianâ tabe marcentes ſuæ vineæ plantas, melioribus apud Barbaros quæſitis ſurculis, reparaſſe.

# FLORI CHRISTIANI LIBER QUINTUS.

## CAPVT PRIMVM.

### *De Longobardorum conſtituto Regno.*

*Longobardi.* LONGOBARDI ex Cimbricà Cherſoneſo quondam effuſi inuaſere Pannonias, pulſis Gepidis, & aliis; donec à Narſete in Gottos acciti, Italiam non tàm reddiderunt Imperio, quàm ſuæ tyrannidi præparauere. Iamque tum eam ſibi vendicaſſent in ſtipendium; nî eorum miſſionem non minoris tunc Narſes emiſſet, quàm nuper militiam. Reduces vix retinebat Pannonia, quos ſoli mitioris memoria vrgebat. Factum tamen vt non ſpontè peccare in fœdera viſi fuerint. Prima cauſa Imperatrix Sophia. *Ob Sophiæ conuitiũ.* Adeo vix eſt inter homines malum; quod non à fœminà. Ea vt Narſes, ob Romanorum cum ipſo diſſidia, tanquam Eunuchus

& Semiuir reuocaretur ad Gynecæum & Lanificium voluit, ſub quo ij viri ceciderant, qui Romam ſubegerant. Ad hæc Heros contumeliæ inſolens, orſurum ſe telam reſpondit, cui nec Sophia nec Imperator eſſent retexendæ. Et labefactatam ludibrio gloriam perdere in totum maluit, quàm non vlciſci. Hæc tamen, quæ de Narſete Paulus Diaconus habet, ex eo alii fabulis mixta cenſent; quòd, vt alii referunt, antè Conſtantinopolim triumphanti ſimilis rediiſſet; quàm in Italiam Longobardi irrupiſſent. Sed vt vt ea res ſe habuerit, in Italiã regreſſi Barbari, ſubactis Ticino Mediolanoque; & finitima quæque ferro flammàque depopulati, in ea parte, quæ nomen ab eis etiamnum habet; Regni ſedem poſuere, quod vltrà ducentos annos magna finitimorum formidine floreret. Creſcentem quidem tyrannidem coërcuere aliquandiu Romani Pontif. & Exarchi; ſed iſtis demùm extinctis; illis dudùm per multa ſacrilegia fatigatis, ſub Aiſtulpho præſertim & Deſiderio Regibus, vniuerſam iam Italiam pluſquam ſpe inuaſerant: nî eis politicæ potentiæ finem, ſacræ violatio acciuiſſet. Quis verò miretur auſos tam impia, qui ex Arianis primùm & Paganis mixti, non minùs ad Imperii, quam ad Eccleſię perniciem coaluerant? Reſedit tamen aliquando ferocia Theodelindæ Reginæ ſtudio. Hæc priori defuncto coniuge, Agilulphum Taurini Comitem thori ſimul & ſolij conſortem fecit, & tandem quem hominum Regem fecerat, Deo & Eccleſiæ ſubdidit. Abſoluit

[Margin notes: 567 — A Narſete in Italiam acciti. — Eorum Religio. — 593 Theodelinda.]

tunc à culpa ſexum pia Regina, quâ illum antè ſuperba Imperatrix polluerat: quippe ſalutem ibi à fœminæ pietate habuit Eccleſia; vbi à fœminæ contumelia cladem acceperat. Digna ſanè quam viris æquet Apoſtolicis Gregorius Magnus, & Pontificio præconio nondum mortuam, in cælitem quaſi conſecret. Nec dum tamen inter ipſos impietas extincta eſt: cum Arcoaldus & Rhotarius Reges Arianam flammam exſuſcitauerint; & alij quamuis Catholici
704 non multùm ab impiis receſſerint. Aripertus quidem pietatis laude conſpicuus, qui Alpes Cottias Eccleſiæ ceſſit. Nec infra Luitprandum haberem; nî quæ piè geſſit, per impia, dedecoraſſet. Quæ laus ei ſacra D. Auguſtini Lipſana, à Saracenis empta Ticinum tranſtuliſſe? quæ, armis etiam ſacrarum imaginum cultum contra Iconomachos, quos tùm maximè Leonis Iſauri Imper. impietas, aduerſus doctrinam & pietatem Catholicam excitauerat, vindicaſſe? qui direptâ ditione Pontificiâ, obſeſsâ Româ, violato D. Petri Fano, benefactorum gloriam ſacrilegiis corrupit. Nec Rachiſi, aliquanto poſt, erga Zachariam Pontif. maior reuerentia. Fortè vt cultu magis pio poſteà ſe probaret. Nam cum Pentapolitanâ iam vaſtatâ occupatâque Prouinciâ, Peruſio cum copiis incubaret, adortus eum inermis Pontifex ita ſubegit, vt cultum Regium Monaſtico, breui poſt Romæ, ipſius manu Pontificis mutauerit. Pietatem ſponſi æmulata Theſia Regina, non procul à Caſſino, quò ſe maritus recep-

*Luitprandus.*

*Rachiſis Rex fit Monachus.*

perat, conſtructo Monaſterio, Deo etiam ſe addixit vnà cum filia Ratinda. Felices qui palatia cellis mutantes, excluſere homines, vt haberent Angelos pro Aulicis. *Nec non eius ſpõſa*

## CAPVT II.

## *De Exarchorum & Præſulum Rauennatum ferocia.*

NOn Tyrannidem excuſſit Italia Oſtrogotorum iugo libera, ſed mutauit. Quę fuit enim libertas, à Gottis ad Longobardos, & vtriſque nihil humaniores Exarchos deuolui? Cęterùm Exarchus Imperatoris in Italia Vicarius, Rauennæ ſedens, quæ nondum Longobardi ſubdiderant, adminiſtrationis ſpecie deprædabatur. Planè quaſi Rauenna non tam eſſet Præfecti domicilium, quàm Italiæ ſpoliarium. Vix enim à Longino, à quo, poſt Narſetem, Exarchorum cepit authoritas; ad Eutychum, in quem, ducentos poſt annos circiter, deſiit; quemquam reperias, qui ſuam præfecturam multa per flagitia non dehoneſtauerit. Cui pepercere ſacrilegio; vt Martinum I. Gregorios II. & III. Sergium, & alios Pontif. ad Imperatorum ſenſa impia flecterent, & eorum aſſenſu Monotheliſinum & Iconomachiam, in Vrbe, tanquam abominationem in loco ſancto ſtatuerent? Sed nunquam magis eorum ſe furor explicuit, quàm dum Rauennę Præſulibus Pontificium excutiendi iugum fecerunt animos. Dignos nimirùm ſe putauerunt Rauennæ Præſules, qui Byzantinos æmularentur, & Romanis

567

669

Pontif. detrectandi obſequium, quoddam ius ſibi acquiſitum crederent, ex quo Exarchorum Rauennæ conſtituta ſedes eſt. Sicut eamdem ſibi factam eſſe licentiam videntur exiſtimaſſe Byzantini, ex quo Byzantium Imperatorum ſedes factum eſt. Adeo verum eſt Præſules in prophanos & ſæculares mutari; ex ſæcularis prophanæque potentiæ nimiâ confidentiâ. Hinc Mauri Rauennatis Epiſcopi eſt progreſſa veſania, dùm anathema in ſe ob contumaciam à Vitaliano Romano Pont. vibratum, in eum ſtolidè reciprocat. Hinc temeritas Reparati; dum ſanctione Imperatoria Chriſti legem tentauit infringere; & humanâ authoritate ſubductum iri ſe ab eius obſequio putauit, quem Deus ſuo nomine in omnes Chriſtianos præeſſe voluit. O digna non membra, ſed monſtra, quæ reſcinderentur à corpore, cuius caput impiè violauerant!

708 Quantò felicior Felix, qui in pœnam contumaciæ, quà promiſſam Romæ, quò ex more inaugurandus acceſſerat, Conſtantino Pontif. obedientiam negauerat, Iuſtiniani Rinothmiſi Imper. iuſſu, effoſſis oculis, in Pontum ablegatus culpam diluit, dùm pœnam ſenſit; & tunc ſe reum vidit, dum oculos amiſit: iis poſthac vſus tantum ad lachrimas, ſuæque ſedi redditus, innocentiam etiam per miracula probatam obtinuit. Adeò lacrimæ dum iram diuinam ex-
711 cantant, ſanctitatis ſunt pararium!

## CAPVT III.

### *De Auarum irruptionibus.*

NE quo tẽpore LongobardiOccidentalis Imperii rudera proculcabant, Oriens eſſet in tuto; ex Scythià Auares Zabergâ Duce irruerunt: nec exhauſtis ferociter Meſiâ, Thraciâ, & finitimis aliter ſummoti ſunt, quam pecuniâ & datâ, & in ſingulos annos, tributi nomine à Iuſtiniano promiſſâ. Quæ rerum vices? vt prędonibus ſtipendiarium fieret Imperium; cui totus fermè orbis fuerat Vectigalis. Id tamen ignominiæ pax audit. Et non minoris fuit Belliſario, iam ſeni obiectâ illâ offâ, placaſſe illos Cerberos; quàm iuueni obtriuiſſe Vvandalos & Gottos. Tributum cum negaret Iuſtinus II. Iuſtiniano ſuffectus bellum iterum exarſit, primò in Syrià, aduersùs Iuſtinum; tùm in Thraciâ aduersùs Mauritium tunc Imperatorem, Duce Cahiano, qui Slauos ad prædæ communionem acciuerat. Hi iam antè ex Scythia effuſi, ſuas in Imperii tragœdià partes non ſegniter egerant, Regni ſede in Illirico poſitâ: illos tamen ſimul contudit primùm Priſci virtus; tum penitus exarmauit Theodori eloquentia, quem ad Cahianum Mauritius Imp. miſerat; ne fabula ſemper crederetur, Suadę faſcino feras manſueſcere. At non diù poſt reuerſi ad indolem, & obuia deprędati, penetrarunt ad Italiam Romildæ illicris; quæ poſt Agilulphi ſponſi Foroiulii Ducis, eo bello cęſi mortem, Cahiani nu-

*Auares irruunt.*

*Tributo placàtur.* 566

574 *Slaui.*

593

*Reprimuntur.*

600

ptias proditione patriæ mercabatur. Ipſi
*Perfidia.* enim eà ſpe Forumiulii prodidit. At infixa
palo, Barbaris etiam vtilem placere perfidiam, perfidos non placere, in pœnâ cognouit. Matri quàm diſſimiles filiæ! quæ putri
ad mammas alligata carne, fœtido halitu,
quaſi efflato ex vlceroſo pectore, fœtidum
*Caſtitas.* magis à ſe barbarorum contactum amouerunt. Digna virtus quam diadema rependeret. Ideo mirabiliter redemptæ, altera Boiorum, Alemannorum altera Regi nupſit.
Vt Heroicus pudor virginum ſuo præmio
non caruit; ſic nec Cahiani impietas ſuâ
pœnâ, vt cui peſtis copiarum partem, &c.
*Barbari* ſeptem vnâ die filios vltrici furore conſum-
*edomiti.* pſerit, ob Alexandri Martyris Baſilicam
prope Byzantium direptam. Indè Barbarus edomitâ ferociâ non abnuere pacem:
dum pro ſingulis captiuis, quos (duodecim
millia erant) contumaciùs agentes, ſpecie
prælii, cædi aut ſeruituti Priſcus copiarum
Ductor, obiecerat; ſinguli nummi penderentur. At dum pecunia pluris eſt Mauritio
*Crudelitas* Imp. (ô ſi ſoli!) quàm milites, immaniter
trucidantur. Ad hæc fremere miles, rebel-
*Phocas fit* lionis agitare conſilia; & vbi Phocam Cen-
*Imp.* turionem, per quem ſuas de Priſco, apud
Imperatorem querelas detulerat, violatum
à Patricio quodam per alapam audit, palam deficere; & ipſum Phocam Centurionem promouere ad ſolium. Ex caſu Mauritius exurrexit; & Imperii temporarii damnum in lucrum æterni vertit. Nam Deum
ob deſertos in lanienâ milites in ſe miſe-
602 ricorditer ſæuientem agnoſcens; tùm ſuis,

tùm Prę́ſulum & Monachorum precibus à Deo petiit, vt ingeminatis hac in vitâ flagellis, futuræ pœnas redimeret. Id generis preces Deus non abnuit, cui ſæpe ſupra Innocentes Rei ſunt, qui poſt culpam vltro pœnas quærunt. Itaque à Phocà iam pluries in filiis, ipſius ob oculos cæſis, trucidatus, ſuà tandem morte defungi iuſſus eſt. Hoc vnum inter ea triſtia dicitur ingeminaſſe: *Iuſtus es Domine, & rectum judicium tuum.* Ad faſtigium patientia venit, quando Nutricis filium pro ſuo oblatum carnifici, reduci iuſſit; ſolus in ſe ſuiſque pœnam volens, qui ſolus peccauerat. Poſt hæc nonnihil ab Auaribus datum quieſcere: & Heraclius Phocæ ſuffectus profecturus in Perſas, commendatis Cahiano, filio & Imperio, eum vel Amicum verè credidit, vel facturum ſe putauit, dum tanquam Amico confidit. Sed quæ fides barbaro? ſollicitante Coſroha Perſarum Rege, & Magis prædæ libidine, & facilitate, Slauos & Gepidas ſibi adjungit, & Byzantium quaſi nudum præſidiis, & iniuriæ opportunum aggreditur. Sed quatenus à prę́ſidiariis tanta perfidia coërceri non poterat, inſtinctu Deiparæ, cuius imprimis tutelę Vrbem Imperator commiſerat, ipſi ſe Hoſtes contrucidauere. Sic vel nolentes perfidi ſtetere promiſſis. Non fuit cur Imperator quereretur. Vaſtà clade, ex pacto, proſtrauerunt illos, qui Vrbem obſederunt. Indè quia minùs in Thraciâ vota cedebant è ſententiâ, Hunnis & Boiis ſe adjunxere, vt illis mixti Chriſtianitatem poſtea imbiberent; & ex mixto

*Mauritium trucidat.*

621

*Auares Byzantium tentant & ipſi ſe conficiunt.*

625

etiam nomine Hungaricum illic, iſthic Bauaricum Imperium conſtituerent.

## CAPVT IV.

## *Secundum bellum in Perſas pro Religione.*

590 *Parricida Coſroes.* COſrohes Perſarum Rex dum immaturum dominandi impetum non premit; Patris Hormiſdæ cædem maturat. At juſtâ vice ab iis ipſe pulſus eſt à Regno, per quos patrem vitâ exuerat. Byzantium profectus eſt, vt Mauritij beneficentiæ Regnum deberet, quod parricidio malè

591 parauerat. Reſtitutus tàm liberalis fuit in receptæ potentiæ authorem; quàm fuerat impius in datorem vitæ. At fuit hæc virtus impij, maiore ſui parte paganà. Ita enim Imperatoris benefici iniuriam, &

*Imperium vaſtat.* mortem vltus eſt; vt ſimul Imperium, & Eccleſiam peſſumdederit. Quæ tunc prouinciarum clades? quæ fidelium comploratio? quando direptis Eccleſiis, etiam quas

*S. Crucem abducit.* in gratiam Mauritij liberaliter reparauerat; ſacro humanæ ſalutis inſtrumento, in Perſidem abducto; & pluſquam nonaginta

604 Chriſtianorum millibus, Iudæis ad lanienam, venundatis; hinc ad Chalcedonem,

*Pacem negat.* illinc ad Carthaginem Barbarus perſultaret? Imperium iam tum extinxerat; nî ſimul Eccleſiam obruere voluiſſet. Nam vbi, ſpreto annuo tributo, quod in pretium pacis daturum ſe promittebat Heraclius, qui Phocam exceperat, ad Caduceatores tunc ſe acturum de pace reſpondit,

cùm Heraclius, abnegatô Chriſto, Soli 613
cultum detuliſſet; inardeſcens Imperator, iam ſui nominis, & verè *Herculeus*, 617
vt pacem habeat, bellum parat: & dignum ſe facit, qui vincat; quia Dei magis dolet iniuriam, quàm ſuam. Milites non aderant; vocantur ad ſtipendium Saraceni & Turcæ iam tum orbi formidabiles. Ærarium exaruerat; conflantur vaſa Deo dicata; 620
nec iudicatur impium ſacris vti, ad bellum pro ſacris. Ambigebat tamen Ioan. Alexandrinus Patriarcha, cui eſt ab *Eleemoſinis* nomen; ſed fluctuationem miraculum explicauit. Quippe in aurum mutato melle, quod Nicetæ quæſtori dederat; non defuit quod quæſtor ad bellum ſumeret, & quod Præſul ad pauperes reſeruaret. Habuit tunc patriarcha benigniſſimus promendæ miſericordiæ ſtadium amplum, quando, quos ſuis è laribus victor exegerat, apud ipſum liberaliſſimè recepti, damnorum poſuere memoriam; & nunquã ſe feliciùs ſaluos, quàm cum perierunt, experti ſunt. Cæterùm ne in aliena irruens Imperator, ſua hoſtibus aperiret, Caihanum auarum Principem Legatione conciliat, & Vrbem Deiparæ imprimis præſidio committit: tùm pro vexillo imaginem Saluatoris, quem indictis vbique precibus, ad auxilium acciuerat, præferens ſe dat itineri. Nec mora, elapſus inſidias ei à Sai Satrapa, ſpecie ad Chalcedonem colloquij, paratas Sarbaram ſuffectum Sai, cui Rex in pœnam imperfecti ſceleris detrahi cutem iuſſerat, alterumque Sai, ipſumque tandem Regem, ex tota exactos Armenià, intra ipſius Perſidis fines, ingentibus dam-

*Heraclius Imp. bellum parat.*

621
*A Deo poſcit opem.*

*Hoſtes profligat.*

nis affecit. Nec impius, dirutis, ſi quæ in Perſide ſupererant Eccleſiis, & Catholicis
625. ad Neſtorianos adactis, & Cahiano ad inuadendum Byzantium ſollicitato, damna reſarciit; ſed auxit. Nam & Caihanus in Thracia, & Sai in Aſia mirabili Deiparæ ſubſidio cæſi ſunt, & ipſe Heraclius Perſidis rurſum interiora ingreſſus, Razate Duce trucidato, reliquas hoſtium copias internecione deleuit: vt Eccleſiarum ſimul & imperij damna, per direptas & incenſas Vrbes Regias, & proſtratos latè impios, vindicaret. A tot cladibus fuga Regem eripuit, vt atrociori fato reſeruaret; & qui ſolium parricidio inuaſerat, parricidio perderet: cum
*Parricidium.* Siroës filiorum maximus à profugo & moriturо patre, prælatum ſibi Marderam fratrem indignatus ambos juſſit occidi. Inde
627 pax à nouo Rege demiſsè petita, quam pater ſuperbè negauerat: & Crux ſancta honori-
*Pax.* ficè reſtituta. Belli exitus quàm diſpar initio; tanti eſt Deum habere in partibus! in aliquo tamen viſa claudicare felicitas: nec
*Gaza Demerſa.* enim ea perfecta in terris, quando Gaza Perſica, quâ non ſine fœnore ſumptas ab Eccleſiis opes penſatas Imperator voluerat; fluctibus demerſa eſt. Nimirùm ſacras opes affatim reddi Deus indicauit, quando per ipſas vindicantur ſacra, & impietas coërcetur.

CAPVT

## CAPVT V.

## *De S. Cruce à Perſide reportata in Hieruſalem.*

AD cumulum venerat Eccleſiæ calamitas bello Perſico, dum ſalutis humanæ pignus, Crux archetypa in Perſidem abducta eſt. Vix ſpei quidpiam ſupereſſe Chriſtianis poterat, quibus nulla niſi per Crucem fiducia eſt. Verùm fortunæ melioris affulſit augurium, vndè ruinæ omen obtigerat. Nec efficaciùs vnquam libertati Chriſtianæ Crux fauit, quàm dum captiua fuit. Sua de inſtrumento victrici victoria hoſtem obruit, & Arca vera Philiſtæos nouos, vltrici plagâ conſumpſit. Ob id facilius redditum, quod nunquam voluiſſent captum. Eoque munere pacem à Chriſtiano principe redemit Ethnicus, quo gratiam à Deo redemit Chriſtianus. Conſtantinopolim primùm, inde Hieruſalem, ad plauſus & hymnos totius propemodùm Orientis delata eſt; vt diuturnæ captiuitatis memoria, triumphali eâ pompâ, obſoleſceret. Ex vrbe in Caluariæ montem reduci oportuit: vt cœlo propiùs admoueretur ſcala cœli, & ſuo rurſum in ſolo plantaretur Arbor auſpicata, ex quà olim ad omnium vitam, vitæ fructus pependerat. Nec ab alio quàm à principe ferri debuit diuina ſarcina, quæ portata quondam à Chriſto, Chriſtum & ipſa portauerat. In cultu magnifico properabat Bajulus Auguſtalis, opima ſuſpenſurus Deo verè Feretrio: cum ecce cum ad portam

*Crux Captiua captores affligit.*

*Redditur.*

*Triumphat.*

*Reportatur ad Caluariam.*

628 immotum; nec datum fuit vltra procedere, donec ex Zachariæ Patriarchæ monitu, purpurâ poſitâ, veſtem pannoſam aſſumpſit: Indicante Deo inter luxus & delicias vix eſſe locum diuinæ Cruci. Ex eo tempore Crucis *exaltatæ* ritu annuo celebrata memoria eſt: vt iam ante celebrabatur triumphus *inuentæ*.

## CAPVT VI.

### *Pontifices ſexti ſæculi.*

*Symm. LIII.* 498 *23. Nou.* *Schiſma.* *Imperat. excommunicat.* SYmmachus exeunte quinto ſæculo Pontifex poſt Anaſtaſiũ dictus, ſexti primordia non vno zeli vere Apoſtolici ſpecimine ſacrauit. Nam Laurentio Antipapâ vnà cum fautoribus ſtrenuè coërcito, Anaſtaſium Imperatorem, quòd Orthodoxos Antiſtites cum Hæreticis communicare cogeret, è ſacris mouit in Synodo Romanâ. Manichæorum, quos vrbe curauit eijci, libros palam comburi juſſit; & vt ſacrarum direptores opum omnibus execrabiles haberentur cenſuit. Affricanos præſules in Sardiniam Traſimundi Regis juſſu deportatos, non Epiſtolarum tantum ſolatio, ſed opum etiam ſubſidio liberaliter iuuit. Non paucas Eccleſias vel à fundamentis condidit, vel
514 collabentes reſtituit, vel pretioſâ vaſorum
*19 Iul.* ac ornamentorum ſupellectili decorauit. Ad hæc ad ſexdecim circiter annos impendit.

*Hormiſd. LIV.* *Horſmidas* ad ſupremum Eccleſiæ culmen poſt Symmachum promotus, cum per frequentes ad Anaſtaſium Imper. literas & Legationes pacem Eccleſiæ non impe-

traſſet ; tergiuerſantem ab Eccleſiæ communione eiecit. Eius pœnà ad vnitatis ſtudium inclinatus Iuſtinus, è ſacris Dypticis Acacio, Dioſcoro, & alijs ſeu hæreticis ſeu ſchiſmaticis expunctis, Catholicos eorum loco ſubſtituit. Inde miſſi Romam,& pompà celebri accepti Legati, non qui ore tenus vnitatem promitterent, vt Anaſtaſij nomine non ſemel factum fuerat, ſed qui reuerà coalitam nunciarent. Vt qui eam ſuper omnes promouerat, eius tandem adeptæ fructu gauderet. Controuerſiam inter Acæmetenſes & Scythas Monachos exortam exitu alibi memorato compoſuit. Non minor erga ipſum fuit in Clodoueo Francorum, Ilderico Vvandalorum in Affrica, & Theodorico Vviſigothorum in Italia Regibus reuerentia, vt qui eum & Legationum officijs, & Regali munerum magnificentià coluerint. Denique ſuis per Gallias commiſſis vicibus Rhemigio Remenſi, & Auito Vienenſi ; In Hiſpanijs verò, Ioanni Tarraconenſi, & Salluſtio Iſpalenſi, nono Pontificatus anno completo exceſſit.

514 *23. Iul.* *Iuſtinus Imperat. Catholic.* *Lib. 4. cap. 20.* *Regum ad Hormiſd. Legati.* 523 *6. Aug.*

*Ioannes I.* Legationis quam ſtatim poſt adeptas Infulas juſſu Regis Theodorici obire coactus eſt ad Iuſtinum Imper. illuſtre ab vtroque præmium habuit; à Iuſtino quidem Religioſum obſequium ; à Theodorico autem tyrannicum ſupplicium. Quidni vero Iuſtinus veneraretur, quem in vrbis ingreſſu, viſum cæco reddidiſſe nouerat? Quidni reducem Theodoricus Rauennæ mori in carcere coëgiſſet, tertio nondum completo Pontificatus anno ; qui adeo

*Ioan. LV.* 123 *13. Aug.* *Martyrium.*

Arianis templa Conſtantinopoli, vt jubeba-
*27. Mai.* tur, non impetrauerat; vt Arianorum po-
tius templa ritu Catholico conſecraſſe di-
ceretur.

*Felix IV.* *Felicem IV.* non Cleri ex more ſuffra-
*LVI.* gia, ſed Theodorici voluntas, approbante
526 Clero, quod prohibere non poterat, in ſo-
*24. Iul.* lium promouit: quamquam alioqui eo cul-
mine non indignum. De eo nihil ferme
legitur apud Antiquos; niſi quòd in Galliis
*Fauſti* Pelagianum dogma Fauſti Regienſis dex-
*regienſis* teritate ſubdolâ ſuſtentatum; & eius in li-
*Vafritia.* bris cum ementito Arelatenſis Concilij ſuf-
fragio, & exſuſcitatum in Britannia, & in
*Arauſi-* Gallijs reuiuiſcens, in Arauſicanâ altera Sy-
*cana II.* nodo prorſus euulſit. In ea enim & Augu-
*Synodus.* ſtini de gratiâ placita pro Catholicis re-
cepta; & prædeſtinatiana Spectra, inania
530 inſinuata, & Arelatenſe pro Fauſti libris
*12. Octob.* Concilium inter fabulas obliquè amanda-
tum. Exceſſit ineunte quinto Pontificatus
anno.

*Bonif. II.* *Bonifacius II.* repreſſo Dioſcoro, Feli-
*LVII.* licem excepit, ac emendato quod pro ſibi
530 ſubſtituendo Vigilio contra Canones ſta-
*15. Octob.* tuerat, (quæ alibi dicta ſunt) locum *Ioan-*
*Ioan. II.* *ni II.* fecit ineunte altero Pontificatus an-
*LVIII.* no. Ab hoc innocentes dicti Monachi Scy-
531 thæ, quos Hormiſdas, vt inquietos abje-
535 cerat. Exceſſit quarto Pontificatus anno in-
choato.

*Agapetus.* *Agapetus* ad duos circiter annos ei ſuf-
*LIX.* fectus, exciſo regno Vvandalico in Affricà,
535 atque adeo Arianiſmo, illius Eccleſiæ diſci-
plinam, ad preces Synodi Carthaginenſis

ordinauit. Tùm ad Iuſtinianum Imperat.
bellū Italicum deprecaturus à Rege Theo-
dato miſſus, Regiâ vbiuis Pompâ exceptus
eſt. Nec mirum cum Muto linguæ, & Clau- *Miracula*
do pedum vſus mirabiliter redditus, cum
pluſquam hominem demonſtraret. Pace,
quam Regis nomine petitum venerat, ne-
gatâ, vt Anthimus Eutychianiſmi Reus,
quem Theodora Aug. à Trapezuntinâ ad
Byzantinam Eccleſiam protruſerat, abdi- 536
caretur, ſurrogato in eius locum Mena eui-
cit, breui poſt, altero nimirum ab electione
anno, ibidem moriturus.

*Syluerius* Hormiſdæ, ex legitimo ante *Syluerius.*
Clericaturam thoro filius, inſtigante Vigi- *LX.*
lio, quaſi odio Bellizarij, de Gothis in vr- 536
bem admittendis deliberaſſet, Pataram Li-
ciæ amandatus eſt. Sed cum eum Iuſtinia-
nus Imper. ob vim ipſi à loci præſule fa-
ctam reuocari juſſiſſet, vt ſi probaretur In-
nocens, ſuam Romæ dignitatem, ſi Reus,
alibi exercere ſineretur; Fraude Vigilij *Schiſma.*
non poſſe ſe, quæ Theodoræ promiſerat, ad- *l. 4. c. 23.*
implere, reſtituto Syluerio, obteſtantis, in *Martyrium.*
Palmariam deportatus eſt. Ibique moleſtijs 540
conſumptus, an conſecratus, ineunte quinto *20. Iun.*
Pontificatus anno. Vide alibi.

*Vigilius* Syluerij Martyrio audito, In- *Vigilius.*
fulas, quas inuaſerat exuit, vt eas rurſus *LXI.*
euentu alibi memorato indueret. Ac ſtatim 540
mutatus in alium, nec Antimum Byzantinæ *26. Iun.*
Eccleſiæ in ſolio repoſuit, nec Synodum *l. 4. c. 21.*
Chalcedonenſem reſcidit, nec alia, quæ
præter fas promiſerat, impleuit, fruſtrà
indignante Theodora. Poſthæc ob contro-

*Tria Capitula.* uerſiam de tribus Capitulis,euentu alibi re-
*L.4 c.21.* lato Byzantium accitus, cum Romam re-
555 peteret, in Siciliâ obiit; decimo ſexto Pon-
tificatus anno. Vide alibi.

*Pelag. LXII.* Pelagius I. Eccleſiæ diu apud Iuſtinia-
num vindex, dum Vigilii nomine Apocri-
555 ſiarium agit; deinde Romę ſalutare pręſi-
dium, dum ab eius exſcindendæ, ciuiumque
*Torilam mollit.* trucidandorum conſilio Totilam auertit;
vtriuſque demùm illuſtre columen,dum diſ-
cuſſa calumnia de moleſtiis illatis ipſius ar-
tibus Vigilio, in Pontificem aſſumptus. Ea
559 dignitate ad quinquennium laudatiſſimè
*2. Mart.* adminiſtrata, locum *Ioanni III.* fecit, ad
559 annos tredecim fermè completos, id enim
*27. Iul.* totum eſt, quòd de ipſo ſcitur. Nec plura
*Ioan. III. LXIII.* ſciuntur de *Benedicto I.* qui ei poſt interre-
573 gnum decem menſium ſuffectus eſt, ad qua-
*16. Mai.* tuor annos completos.

*Benedict. LXIV.* Quantum *Pelagio II.* qui Benedictum
excepit, Eccleſia debeat, vel ex eo liquet,
573 quodGregorium poſteà Magnum è ſuo edu-
*31. Iul.* ctum cœnobio publici vſus fecerit. Dicas
*Pelag. II. LXV.* non magis eum Conſtantinopolim miſſum,
577 vt Tiberio nouum gratulatus Imperium,
*10. Nou.* excuſaret, quòd ob ingruentium Longobar-
dorum ferociam, eius non expectato aſſen-
ſu, conſecrari ſe paſſus eſſet, quàm ut ex in-
feriore munere feliciter adminiſtrato, ad
ſupremum aptaretur. Pacatâ quantùm po-
tuit, eiuſdem imprimis Gregorii, atque
*Sua bona* etiam Exarchi miniſterio Eccleſiâ, quam
*diſtribuit.* perplexa diu de tribus Capitulis controuer-
ſia plurimùm turbabat: Domo paternâ cum
hæreditariis prædiis ad vſum pauperum at-

tributà : S. Laurentii æde conſtructà, peſte abreptus eſt decimo tertio ineunte Pontificatus anno. *Peſte obit 590 8.Febr.*

*Gregorius I.* gradu ſupremo vel eo digniſſimus, quòd concordi omnium ſuffragio collatum ipſe ſolus diu fugit. Cum auertendæ peſti, quæ à Pelagii morte ferociùs graſſabatur, ars humana non ſufficeret, indictis Litaniis diuinam opem acciuit. Eam fuiſſe indultam Angelus ad molem Hadriani, poſthac *Angelicam*, gladium in vaginam reponens, in populi procedentis conſpectu, demonſtrauit. Ne populus peſtem elapſus fame periret, benignè prouidit, frumento, quod ex Sicilià comportari curauerat, gratis diſtributo. Et ne quod flagellum incumberet, cui non eſſet pro remedio, non Vrbem tantùm aduersùs Longobardos præſidio communiit; ſed ei etiam nouus Moyſes victoriam non ſemel obtinuit. Pace initâ eorum Reginam Theodelindam ad ſuæ virtutis ac dignitatis reuerentiam adduxit. Vt Mauritius Imper. legem, qua vetabat eos Monachos fieri, qui ſtipendiis nondum impletis, bello adhuc eſſent vtiles, reuocaret euicit; eique ne Oecumenici titulum Byzantino Patriarchæ negaretur enitenti reſpondit, poteſtatem ligandi atque ſoluendi non Byzantinis præſulibus, ſed Petro eiuſque ſucceſſoribus traditam eſſe. Auguſtino vnà cum aliquot ſociis Cœnobitis in Angliam miſſo, tranſmarinas illas gentes Eccleſiæ legibus addixit. Per Epiſtolas non Preſules tantùm ſæpè officii commonitos à ſimonià, impudicitià & aliis vitiis abduxit; *Gregor. LXVI. 550* *Litanias indicit, contra peſtem.* *Frumentũ diſtribuit.* *Legem iniquam reuocari curat.* *Agit pro Anglis conuertendis.*

Sed variæ etiam ſortis laïcos ad opera pietatis accendit. Ad hæc & per conciones incubuit, ac ne diuinus ille cibus Chriſtianæ plebi vmquam deficeret, editis eximiæ doctrinę libris copioſiſſimè prouidit. Qua reuerentia excipienda eſſent à fidelibus Eccleſiæ placita docuit; dum quatuor prima œcumenica Concilia, pro quatuor quaſi Euangeliis habuit. In Chriſtiano ſacrificio, & Eccleſiaſtico officio non pauca inſtituit, quæ & miniſtris ſacris, & populo ad reuerentiam ſint incitamento. Qui per tot eximia pietatis, doctrinæ, fortitudinis, prudentiæ monumenta ſe ſupra hominem quaſi extulerat, infra ſe ipſe demiſit, ac Pontificum primus non ſpecie tenus *Seruum Seruorum* ſe dixit, eo vel ſolo ſine controuerſia pluſquam *Magnus*. Tot vnus cum præſtiterit, quibus vix plures alii pares forent, affectę tamen valetudinis ſemper fuit, vt vel eo ipſum, magis ex Dei confidentiâ, quàm ex propriæ virtutis fiduciâ tanta præſtitiſſe, non neſcias. Obiit decimoquarto ineunte Pontificatus anno.

*Multa ſcribit.* *Synodos veneratur* *Primus Seruus Seruorum Dei.* 604 *12. Mart.*

## CAPVT VII.
## *Decima-ſexta in Fidem Hæreſis Monothelitarum.*

NIhil ad ſummum decus Heraclio deerat; ſi quàm ſtrenuè ab Ethnicis, tàm cautè vindicaſſet ab Hæreticis Rem Chriſtianam. Sed qui armatum Coſrohem ſua etiam in Perſide vicit; Byzantii ipſe ab inermi Pſeudoepiſcopo deuictus eſt, & tantas inuexit in Eccleſiam turbas, vt iis ſopiendis

vix ſæculum ſatis fuerit. Porrò Pſeudopræſul ille fuit Athanaſius Iacobitarum Hierapoli Patriarcha: eum dum collatis Antiochiæ infulis, Chriſtianum facere Imperator vult, ſe fecit Hæreticum. 629 Nam impoſtor noui dogmatis appendice errantes adductum iri ad verum perſuadens; benè ſentientes abducit à vero: *Et dum ſimul cum diſtinctis naturis, eâdem in Chriſti perſonâ, vnicam voluntatem & operationem Theandricam, ſeu humano-diuinam credi vult*, *Monothelismus.* ſic pulcherrimę vocis elogio, rei teterrimæ, ſeu hęreſeos virus tegens, *Neſtorianiſmum* & *Eutychianiſmum* ita impetiit, vt *Monothelismum* condendi, & in *Monothelisme Monophyſiſmum* reſtituendi, Author Imperatori fuerit. Nec enim ſuſpicari poterat in commento dolum credulus Imperator; quod etiam Cyro Alexandrino, & Sergio Byzantino Patriarchis probari vidit. Nec fidei 633 proditæ inuidia caruit Honorius Papa; ſiue *Promouetur.* dum Hæreſim damnatam, nouo prodeuntem habitu, non reprimit; ſiue dum Sergio vocibus ambiguis virus occultanti aſſentitur incautiùs, & dum deluſus perfidum innocentem putat, perfidię approbatę ſuſpicionem facit; quidquid ad ipſum & in Hęreticos ſcriberet *Sophronius* Hieroſolymæ Præſul. Hinc audacior *Heraclius* ad Hęreſim edicto cui nomen *Ecthesis*, ſeu *Expoſitio*, *Ecthesis Heraclii.* ſanciendam. Excitantur ad hęc *Seuerinus Ioannes IV.* & *Theodorus* Romani Pontif. & 639 *Ecthesim* vnâ cum hæreſi, ſeu per ſe, ſeu per *Damnatur.* Synodos proſcribunt. Inde fidelium vexatio, & à Conſtante qui Heraclium excepe-

rat, promulgatio edicti noui cui nomen *Typus*, quo, indicto vtriſque ſilentio, fulciebatur hęreſis dum non damnabatur, & ne damnaretur, ſpecie pacis vetabatur. Nec ſegniùs in Paulum, & Pyrrhum Byzantinos Patriarchas, Theodorum Pharanaitam, atque adeo ipſum Typum dixerunt anathema
649 *Theodorus* & *Martinus* Pontifices. In Pyrrhum poſt pœnitentiam, & palinodiam, ad quam eum Maximus Abbas fidei tunc aduerſus *Monothelitas* indefeſſus aſſertor, coegerat in diſputatione publica, relapſum, inaudito ritu egit Theodorus Papa, vt cuius anathema intincto, Chriſti ſanguine, calamo ſcripſerit. Nempe vt innocentis ſanguinem in ſe clamantem audiret, & ex pœna Caini, quis ipſe eſſet recordaretur. Nec Exarcho Olympio profuit obſtitiſſe pœnæ anathematis, quo eum Martinus Pontif. à

*Perſecutio à Conſtante.*

649 promulgando Romæ *Typo* Conſtantis Imperatoris nomine deterruerat; niſi vt eam, excœcato mirabiliter armigero, per quem mortem Martino ſacra facienti parauerat,
650 augeret. Eo nihil deterritus Calliopa Olympio ſuffectus, culpam redintegrat, abducto in exilium Pontifice. Hunc Tyrannus ab anno, exilii & podagræ moleſtias in Naxo Inſulâ paſſum, Conſtantinopolim adduci iuſſit; ibique poſt diuturnum carcerem ſe-
652 minudum & lacerum, inter otioſæ plebis ludibria, per compita circumductum, Cherſonam tandem amandauit, vt ſuæ crudeli-
654 tatis, & ipſius patientiæ (ibi enim ex languore & miſeria obiit) latiùs notas imprimeret. Ei, ne ſolus vinceret, datus ad certamina

comes *Maximus Abbas.* Hic in Græciâ, Cypro, Affricâ, Italiâ inſectatus hæreticos, exilii primò, tum abſciſſæ linguæ pœnam tulit (quæ pœnæ duobus Anaſtaſiis Maximi diſcipulis, & aliis non paucis, irrogatæ.) Demùm quia nec elinguis veritatis patrocinium deſerebat, tunc verè diuinum, quia prodigioſum; pœnarum mole abſumptus eſt, qui tot pœnas abſumpſerat. Haud diu poſt Conſtantem in Siciliâ aſſecuta Nemeſis, eum per fœminam plexuit in balneo, impactâ in caput ſitulâ: Nec enim Regale caput ſuum diadema tegit, vel à manu debili, ſi eam Deus regat; cuius in manu nullum inſtrumentum infirmum eſt.

657 667

## CAPVT VIII.

### *Monothelitæ damnati in Synodo: & de Synodo quiniſexta.*

PAtri ſuffectus Conſtantinus adhuc imberbis oppreſſo ſtatim Metio inuaſore purpuræ in Siciliâ, Conſtantinopolim victor rediit atque Barbatus, inde *Pogonatus.* Ne quæ patrem perculerant aduerſa ferret, eius eſt auerſatus perfidiam, & de eâ prorſus exſcindendâ cum Agathone Pontif. egit. Ad hoc tùm Occidente toto variæ habitæ Synodi; tùm Oecumenica Byzantii, cui ex Palatii Secretario, in quo eſt habita, *Trullanæ* nomen fuit. In ea damnata hæreſi, *duplex in Chriſto voluntas & operatio* aſſerta eſt, & dogma Catholicum ſtabilitum. Ex perduellibus Macarius Antiochenus, vnà cum diſcipulo eius Stephano prouocauit ad

*Conſtantinus Pogonatus.* 668

*Synodus Trullana damnat hæreſim.* 681

Pontificem; vt ab eo etiam damnatus, ſe Reum verè intelligeret. Vt iſto, à venerabili Patrum conſeſſu, ob contumaciam abiecto; quas ſordes, quos laqueos euaſiſſet Byzantium, cognoſceretur; telarum araneärum magna vis in populi medio depluit. Quid enim Hæreſes? niſi aranearum telæ, quibus irretiantur ſtolidi, offendantur pii, Eccleſiæ inquinentur; ſed quas tandem Præſules, & Synodi decretorum & anathematum ſcopis verrant; & in cloacas abiiciant? Adfuit & veritati præſidium, ab effronti Polychronii ſacerdotis audaciâ; vt qui Monotheliſmo fulciendo, ſuſcitaturum ſe ipſo in conſeſſu mortuum, appoſitâ cadaueri ſuæ fidei formulâ, ſpoponderit. Nec fuit integrum Synodo rem non experiri; cum ſubitaneo Prophetæ populus agminatim adhæreſceret. At probata demùm inſania, & proſcriptus impoſtor eſt: & per id populus in fide firmatus, per quod erebi miniſter abductum iri ſe à vero illum ſperauerat. Iſtam Synodum, vt & quintam à centum iam & quadraginta fermè annis celebratam conuellere conati Callinicus Patriarcha Byzantinus, & Iuſtinianus Rhinotmiſus Imp. indixere aliam, quam vt monſtroſam proderent: Binominem, nempè *quiniſextam* vocauere. At præter ritus, nullo Romani Pontif. aſſenſu, habere Concilium generale, & condere Canones, quid aliud fuit, quàm Conciliorum omnium & Canonum vim infringere? Meritò à Sergio, Ioann. VII. & Conſtantino Pontificibus expuncta, nullum in Conciliis locum

*Prodigium.*

*Enthuſiaſta Fanaticus.*

692 *Synodus πενθέκτη.*

habuit, quæ duorum nomen habere, & vices ſupplere voluit. Conatus quidem eſt Imperator, per vim à Sergio Pontif. aſſenſum exprimere, miſſo ad hoc Romam Zacharià Protoſpathario, qui Conſtantinopolim Papam abduceret. Sed accurrente vndequaque ad eius præſidium milite, fuit cur ſibi vim Zacharias timeret, quam alii parauerat. Profugiſſe etiam dicunt intra Pontificis cubiculum, eiuſque ſub lecto ſe abdidiſſe, vt ſuæ ipſum ſalutis Authorem haberet, cuius in perniciem laborabat. Illius itaque victrix periculi ſexta Synodus in nouum incurrit, dum eam Philippicus, per parricidium inuaſor Imperii, pulſo Cyro Patriarchâ Byzantino Orthodoxo, & in eius locum promoto Ioanne Pſeudomonacho *Monothelita*, in Pſeudoſynodo Byzantina reſcindere & *Monotelismum* reuocare conatus eſt. Bis impius; quia Ioanni Monacho Mago, in purpuræ ab eo ſibi præſagitæ premium, id impietatis promiſit; & quia executus pollicita, ne homini datam fidem frangeret, quam Deo dederat, violauit. Nouus hydrę afflatus zeli ſui flamma diſcuſſit Conſtantinus Pontif. & in futurum pręuertit Artemius Anaſtaſius, excœcato Philippico; Vt corporeis oculis ille careret, qui poſthabita lucę tenebris, animi oculis ad perniciem abuſus fuerat. 711 *Monothelismus reſtitutus.*

## CAPVT IX.

## *De Mahometis primordiis & erroribus.*

VT noxij multùm Eccleſiæ fuerint hoſtes, de quibus hactenus ſcriptum eſt, à nullo tamen atrociora pertulit,quàm à Mahomete; vt qui ſectam, impietatum omnium ſentinam fabricatus, eam ipſe primò ſummà vafritià plauſibilem fecerit; tùm armis muniuerit, & eos ſectatores nactus ſit, qui eam inauditis ſucceſſibus promoue runt. Ij fuere quondam Saraceni, qui Aſiam, Affricam, Europam, victoriis magis, quàm paſſibus peruagati ſunt; Tales eſſe Turcas etiamnum ſentit & ingemiſcit orbis Chriſtianus. Porrò Mahometes ex ſeruo ad herę Tadigæ thorum admiſſus in Arabià, Palæſtinam petiit, & inſultus dæmonis lapſuſque Epilepticos, ex afflatibus diuinis, & ex alloquiis Gabrielis eſſe mentitus, ex eo diuini Prophetæ nomen ſibi peperit; ex quo Erebi mancipium agnoſci debuerat. Ne fruſtra paſſus diuina crederetur, ope Sergij Pſeudomonachi, ſectam condidit, quæ merum dæmonem ſpirat. Eam vt omnibus maiorem faceret, ex ſingularum particulis conflauit, nouus Prometheus. Cum Chriſtianis Chriſtum coli voluit; ſed hominis phantaſma, cum Manete, & minorem patre, cum Ario. Cum Iudæis vnum Deum aſſeruit, & ſuillâ vetitâ, Circumciſionem admiſit,atque Polygamiam; quam, vnâ cum voluptatibus corporeis, beatitudinis ſummam fecit, Epi-

*Mahometes.*

*Sectum conflat.*

annus nouus. Soli & Lucifero cultum deferri iuſſit: vt Ethnicis & Saracenis, quibus ea ſuperſtitio cordi erat, ſe probaret. Illos præ cæteris ſpe felicitatis pauit, qui hoſtilis ſanguinis eſſent prodigi, nec ſui parci. Nec enim Eccleſiam tam piam voluit, quam militarem. De fato cum Stoïcis ſenſit. Verbo (quis enim tot ineptiis & impietatibus colligendis ſufficiat?) ſi quid prophanum in Ethnicis; ſi quid ſuperſtitioſum in Iudæis; ſi quid nefandum in Magis; ſi quid in Ario, Manete, & aliis impium fuit, id omne ſuam in Mephitim ſacrilegus collegit, vt halitu peſtilenti exitialius noceret. Ne verò doctrinæ deprehendi poſſet abſurda impietas, dogmatum ſuorum primùm illud & capitale voluit, de ipſis non diſceptare: quis verò ſciat, num ideo vinum prohibuerit, quod in eo veritatem ineſſe audiuiſſet? At qua arte tegi poterat falſitas tam aperta, nî vis eam promouiſſet? Ad hoc commodùm Saraceni militiæ in Perſas Heraclio commodatæ, negatis contumelioſè ſtipendiis, irritati, Ducem quærebant, quo ſe vindicarent. Prodiit tunc è latebris Impoſtor; nam ob blaſphemiarum conſcientiam aliquandiu latuerat, (inde Hegira, quæ vox Arabibus *Fuga* ſeu *perſecutio* eſt.) Vt Pſeudoprophetæ fuga, ſeu perſecutio nouæ legis haberetur initium, & à perſecutione ſuâ tempora computarent Mahometani, qui totius orbis flagellum & perſecutio futuri erant. Statim prædonibus ſe Ducem offert, & vindicem promittit; ac euentu Prophetam ſe probat: vt qui paucos intra annos,

*Et promouet.*

622

*Hegira.*

631

tum per ſe, qui Damaſcum & finitima obtinuit; tum per poſteros, orbem vniuerſum vel ſubegerit, vel conſternauerit. Ipſe tot in Prouinciis tumulum non habuit, quo conderetur, abſumptus à canibus. Nimirùm ſepulturam pecudis habere debuit, qui pecudis vitam ſuo in *Alcorano*, (ita lex eius audiit) inſtituerat. Eius nomini *Mechæ* in Arabia nobiliſſimum poſitum Mauſoleum. At vitæ mortiſque ignominiam nulla ſepulchri ſuperbia tegit.

*Mauſoleum.*

## CAPVT X.

### *De Mahometanorum in Aſia & Affrica victoriis, & ferocia in Chriſtianos.*

*Mahometani late vincunt.*

MAhometi ſuffecti ordine Eububezer & Haumar in Syriam, Palæſtinam, Ægyptum, & ipſum Romanis quoque formidatum Perſarum Imperium, victorias protulere. Ad hos progreſſus decennium ſatis fuit, quo vix olim vna Troia capi potuit. Nec initiis adeo prodigioſis malè ſequentia conſenſere. Nam vix expleto ſuæ Hegyræ ſæculo, Armeniam, Affricam, Hiſpanias misêre ſub jugum; & è terris ad mare digreſſi, victo, ad oram Phœniciam, Conſtante Imp. Cyprum, Rhodum, Siciliam, Sardiniam, Inſulas quaſque maris
672 Mediterranei, vel inuaſere, vel euaſtauere; denique ipſam Conſtantinopolim iterum obſeſſam ad eas anguſtias adegerunt, vt miraculo dumtaxat euaſerit. Adfuit ſemper

*Conſtantinop. obſident.*

inuocata

inuocata Deipara, & quæ orbi olim Saluatorem, vrbi ſalutem tunc peperit: atque hoſtes non triennali primùm; nec ſeptennali poſtea obſidione fractos, non ſummouit ſolùm, ſed fluctibus disjiciendos, & hauriendos tradidit. Sic quos humana virtus non infregerat; non Ars, quæ induſtria Callinici Mathematici, per latentem intra vndas ignem; cuius in pabulum ipſæ vndę cederent, naues eorum incenderat; eos præſes miſerorum benefica obtriuit. Adeo nunquam meliùs vincuntur Orci ſatellites, quàm cœleſti præſidio, & faciliùs ſæpe eſt, naturam vinci, quam homines. His cladibus, aliiſque, ſeu quas in Syriâ amiſſis ſuorum ducentis millibus, à Tiberio Imper. acceperunt; ſeu quas in Hiſpaniæ littore à Vvamba Rege; ſeu quas poſtea in Galliis, à Martello ſubiuerunt, exaſperati, in Chriſtianos intendêre ſæuitiam. Heu qui tum collabentium templorum fragor! qui fumus conflagrantium! qui eiulatus profugorum! quando *Haumarus* edixit, vt qui fidem non negarent, occiderentur; quando *Euelid*, Chriſtiani nominis captiuos omnes, tanquam mercale pecus mactari juſſit: quando *Habdalus* attrociori clementiâ, vitam miſeris indulſit, vt pœnam intenderet. Nec enim vita illa, ſed pœna; quæ extortis, ſub tributi nomine, opibus, inuita indigo eſt. Nec minùs luctuoſum Chriſtiano, ſacris arceri cœtibus, ab Academiis prohiberi; manus ſtigmate ſeruili ſignari; Cruces edicto disjectas cernere. Ferociam remiſiſſe *Modin* putauit, quando ſatis habuit eos

*Artis miracula.*

698

675

625

*Christianos perſequuntur.*

780 morti addicere, qui ex errantibus fierent Chriſtiani; quaſi ex eo vita indigni eſſent, quod ad veræ vitæ fontem acceſſiſſent. Nec eius filium *Aaronem* Caroli Magni reuerentiâ; cui per Legationum commercia familiariter cognitus erat, ad manſuetudinis conſilia inflexit. Nec *Caliphərum* (ij erant Saracenorum Reges) extincto Imperio; eoque, inter Sultanos, (ij erant prouinciarum, ſub Caliphis, præfecti) poſt diuturna certamina, diuiſo; defecit immanitas, ſed inualuit, dùm quiſque Mahomete ſobolem ſe dignam probat, odio fidei, & Mahometani partem Imperij meritò ſibi attributam docet, per Eccleſiarum, ſi quæ reſtabant, incendia, & per effuſum ſanguinem Chriſtianorum.

## CAPVT XI.

## *De Mahometanorum irruptione in Hiſpaniam.*

AD fretum Gaditanum victrici veſtigio progreſſi Barbari, Hiſpaniæ cupiditate exarſerunt: vt quatenus interfluente freto diuulſa erat ab Affricà, armis ei jungeretur. Fruſtrà tamen fuere primi conatus: cum Vvambæ Regis pietas Regno eſſet pro clipeo. Expectandum fuit donec impius regnaret: hoſtibus quippe fidei non tàm ſuâ virtute, quàm noſtris vitiis victoriæ parantur. Vvitiza itaque breui poſt eis Regnum aperuit; dum nulli ipſum ſacrilegio, nulli flagitio clauſum voluit. Nec obſtitere, nefas! Præſules edictis impiis, quibus & Romano

*Hiſpania vitiis edomita.*

Pontifici negabatur obſequium,& Sacerdotibus indicebatur connubium; & ea attentabantur, quæ nec timerentur à Barbaris. Iſtius ſcelera adeò non emendauit Rodericus ei ſuffectus, vt ad cumulum perduxerit. Quid mirùm, ſi inciderunt in iugum Saracenicum, qui diuinum excuſſerant? Erupit enim tandem ira Dei, quæ velut emendationis ſpe ſuſpenſa diu hæſerat. Vſa eſt administro Iuliano Tingitanæ in Affricâ Prouinciæ, quæ Hiſpanis parebat, Comite; qui iniuriam Filiæ, cui nomen *Caua*, quam cum in ſponſam obſcœnus Rex petiiſſet, pellicis tamen loco habebat, & labem domeſticam, excidio Regis, & Regni vltus eſt. Eius itaque hortatu Vlit fortiſſimus Saracenorum in Affricà Rex, per Tarifam copiarum Ducem inuaſit Hiſpanias ſuorum iam vitiis ſubactas. Primo impetu captæ vrbes præcipuæ, quas disjectis diu ante mœnibus Vvitiza, dùm ne ſibi claudi poſſent cauit, hoſti aperuerat. Nec difficilior de populis victoria; quos à Regum amore, auaritia, libido, & crudelitas ipſorum alienauerat; à Dei præſidio, cùm ea quoque flagitia, tùm maximè impietas. Nec alio repugnatum eſt aliquandiu euentu, niſi vt Rodericus collabente deſuper toto Regno, in acie obrueretur. Tunc omnes paſſim venere ſub iugum: niſi ſi qui ab Aſturum & Cantabrorum iugis petiuere præſidium. Quis tum fidelium pauor, cùm vndique & vndique Mahometani irruerent, & inſultarent, & Præſules vel ignauè muſſitarent, vel perfidè deficerent? Iſtorum Dux *Opa* fuit,

*Stuprum.*

713 *Mahometani Hiſpanias ſubigunt.*

716

quem Vvitiza pater, eiectis qui ritè præerant, in Toletanam & Hiſpalenſem Eccleſias intruſerat. Adeo nihil mirùm, ſi Regnum tunc conciderit; quando Eccleſiæ, quæ Regnorum ſunt fulcra, non committerentur Epiſcopis vt regerentur; ſed prædonibus, vt diriperentur.

*Opa Præſul Transfuga.*

## CAPVT XII.

## *De Saracenorum in Chriſtianos Hiſpanos ferocia.*

AD Saracenorum in Hiſpaniis victoriam, non ſtatim extincta fides; ſed culta precariò, & copia colendi publicè Deum, tributo redempta. At poſt ſeculum; ab *Habdaragmano*, & eius filio *Mahomade* atrociſſimè ſæuitum; vt perſecutionis tarditas grauitate penſaretur. Tunc non ordini parcitum, non ætati; non ſexui. Quid Auſtulſi, Ioannis, Mariæ, Floræ, & aliorum palmas enumerem? eas cum Religio publicè conſecrauerit, priuatâ commemoratione non deteram. Non te tacebo tamen Eulogi, qui viuere permiſſus es in carcere, vel vt diutiùs morereris per pœnas, vel vt fidem mori non ſineres, per ſcripta. Nam *Habdaragmanus* imparem ſe noſcens Chriſtianorum conſtantiæ; quam ab annis triginta laceſſendo roborauerat: quod eis decus feritate pepererat, auferre voluit arte. Ad hoc per Epiſcopos coactos in Synodum (ſi tamen illi Epiſcopi, qui rem Eccleſiæ fœdè prodiderunt;) decerni curat, vt qui non quæſiti ſe pœnis pro fide objicerent, in

850 *Mahometani in Hiſp. ſæuiunt in Chriſtianos.*

*Eulogij zelus in vinculis.*

Diuis non haberentur. Impio decreto quæſita apud populum fides eſt, ex ſparsâ famâ, eos qui tunc paterentur, pro Martyribus non eſſe apud Deum, cum nec ab ipſis, vt ab Antiquis Martyribus,ederentur miracula, nec eorum corpora incorrupta ſeruarentur. Præſulibus conſilium placuit, vnde ſuæ vel ignauiæ, vel Apoſtaſię patrocinium habebant. At non *Eulogio*, qui è carcere, per ſcripta ſe ſupra tyrannum armatum ferro, & Præſules ſubnixos canonibus, exhibuit catenatus Athleta. Nec ſegniùs Tyrannus tanquam ex Synodi decreto ſacra Martyrum lipſana igni adjudicat; ſed vt illorum gloriam augeret per ſuam pœnam. Nam eius, edictum impium pronunciantis, hęrente mirabiliter linguâ, perpetuo incendio ante traditus eſt, quàm venerandas reliquias temporarius rogus abſumeret. Nec pœna minùs prodigioſa anno antè perculerat Nazar Regiæ aduersùs Chriſtianos ferociæ Miniſtrum, quando ſtatim poſt cæſum Perfectum ex Monacho religioſiſſimo Presbyterum ſanctiſſimum, ignita febri intrinſecus inardeſcens, vnà cum viſceribus animam turpiter effudit. Sic & Martyrium ſanctitati fides aſſerta eſt par miracula, & impio Synodi decreto abrogata. Sæuierat antè ſub fœderis nomine propudioſior perſecutio: etenim quæ clades æquent tributum Virginum ab Aurelio Rege, Abderamo promiſſum? Num ſatiùs fuiſſet rebellantium iugo premi; quàm ab impuro Rege eo pretio pacem mercari? Iuit vltra Mauregatus, qui vt Alfonſum Nepotem; cui continentiæ

852

*Tyranni pœna.*

770

783

in coniugio ſeruata Caſti cognomen peperit, è ſolio dejiceret, maiori virginum tributo à Barbaris auxilium emit. O ſordes hominum, nedum Chriſtianorum! Talia Chriſtianos audere, talia pati? depudere nempe didicerant ex aſſuetudine mali. Quàmquam ignominioſum fœdus Ramirus non tulit, & nouus *Theſeus* monſtro illo pluſquam biformi obtrito: dum in acie octoginta Maurorum millia proſtrauit, turpe jugum è patriæ ceruicibus depulit.

*Tributum virginum.*

938

## CAPVT XIII.

## *De Saracenorum irruptionibus in Gallias.*

QVos ab Hiſpaniis mare non ſecluſerat, à Galliis non arcuêre montes. Nec mirùm: adfuit alter Iulianus, qui præiret ad inuia, & objectos à natura Pyrenæorum aggeres complanaret. Hic fuit Eudo Aquitaniæ Dux; qui vt à Carolo Francorum prorege clades illatas vindicaret, nouas acciuit. Aduocatus igitur ad nouam prædam Abderama Maurorum *Mirammolinus*, (ita Monarcham vocant) quæ vox Regem credentium ſonare dicitur, victis hinc Arelate, inde Burdegala & finitimis, & Eudonis copiis vtrobique profligatis; (quippe Eudo ſuæ vaſtitate prouinciæ, grauem ſemper eſſe cum impio ſocietatem edoctus, Carolo ſe adjunxerat;) Turones vſque progreſſus ferro ſibi flammaque viam paſſim fecit. Ibi eum Carolus adortus, cui Eudo aderat, tanta clade perculit, vt cæſis, cum ipſo Rege,

*Eudo Aquitaniæ Dux Saracenos in Gallias vocat.*

725

tercentis ſeptuaginta quinque millibus impiorum, quas flammas accenderant, eorum ſanguine reſtinxerit. Dicas non fuiſſe pugnam, ſed cladem; nec irruiſſe Barbaros vt puguarent; ſed vt cæderentur. Inde Carolo *Martelli* nomen. Verum elogium; ſiue illud à Marte trahas, ſiue à Malleo. Ea quippe die & Mars verè Chriſtianus fuit: & Malleus, ſed qui ſeipſe circumferens, tot capita perfregerit, quot in hoſtes incurrit. Mirùm ſuperfuiſſe illa ex gente qui vltionem tentauerint. Rurſus enim, quaſi ex Cadmæo ſemine vna nocte congeniti, ingenti numero irruperunt. Sed à Martello Luitprandi Longobardorum, Lanfrandi Alemannorum, & Odilonis Bauarorum Regum ſubnixo auxiliis, Auenione primùm, deìndè Narbone fuſi, auxere clades quas vlturi venerant. Ex eorum principibus alter Amorrheus pugnans ad Narbonem occubuit, quaſi ſupereſſe puderet; Alter Athinus fugà euaſit, quaſi non deſperaret vltionem, quam breui poſt nouà ſui clade tentauit. Nemauſus, Narbo & aliæ Vrbes juſſu Caroli incenſæ ſunt; quaſi vellet purgandas igni, quæ ſe fœdo prophanorum commercio polluerant.

731 — *Qui fœde caduntur.*

*Rurſum irruunt.*

732.

*Et cæduntur.*

733.

## CAPVT XIV.

### *Chriſtianitas ex Maurorum ruinis in Hiſpania exſuſcitata.*

A Francis doceri poterant Hiſpani vinci poſſe Barbaros, niſi id ipſi ante per proprias victorias didiciſſent. Authores *Pelagius* apud Aſtures, *Garcias Ximenes* apud

*Chriſtiani exurgunt in Hiſp.* Cantabros. Ille *Ouieticum* poſtea *Legionis*: iſte *Sobrarbicum* à Sobrarbe monte, ſeu
718 *Cantabricum*. iam *Nauarræ* Regna condidere. Iſtius fines ad internum mare breui
*Nauarra.* porrecti ſunt adjuuantibus ſubinde Franciſ. Hinc *Aſnar* Eudonis Aquitani filius, in opis datæ præmium, factus Comes Arago-
*Aragonia.* niæ: & iam tum illum à ſuo corpore diuulſum membrum eſt: quod in Regnum breui excreſceret. Nec ſegniùs ſuos apud Aſtures Pelagius rem Chriſtianam & ſuam promouebat. Hic, vt quà occaſione Hiſpania conciderat, eàdem reſurgeret; dum ſtupratæ à
*Legionis regnum.* Mugnuza Regionis præſide, cui charus erat in paucis, ſororis labem eluit, patriæ & Religionis iniurias vlciſcitur, octoginta Barbarorũ millibus; quibus intererat, & præerat execratus Opa, profligatis. Non humanæ virtutis fuit id operis, quid enim poſſẽt pau-
*Mahometani vincuntur.* ci exules, contra hoſtes in quos nihil totum regnum potuerat? ſed diuini præſidij: tanti fuit in diſcrimine inuocaſſe Deiparam, & eius ſub auſpiciis ſubiiſſe pugnam, cuius in manu eſt, dare victoriam. Pelagio poſt Fafilam filium ſuffectus gener Alfonſus, ſic
738 in terris Mauros obtriuit; vt impetrato Catholici elogio, triumphum in cœlis meruerit; ô quam honorificum! quando aderant ad pompam Angeli, & feſtis his vocibus triumphantem proſequebantur. *Ecce*
757 *quomodo tollitur juſtus & nemo conſiderat; ablatus eſt à facie iniquitatis, & erit in pace memoria eius.* A patre non degener Froila quinquaginta hoſtium millia vno pręlio cecidit. At quam degeneres Aurelius, &

Maure-

Mauregatus; qui per cæcam regnandi libidinem patris fratriſque gloriam turpi ſimul & impio repræſentandarum virginum fœdere, conſpurcarunt. In lubrico tunc erat res Chriſtiana, ſi quam Regum libido labefactauerat; manu hoſtis impuliſſet. At noluit Deus iſtorum vitio intercipi pręmium victoriarum, quas alij reportauerant. Ideo factum vt à nobis auerſi Barbari, manus in ſe verterint. Inde *Carolus Magnus* dum ad *Ibnabale* Cæſarauguſtani Maurorum Regis accurrit auxilium, Cataloniam ſibi addixit & Eccleſiæ reſtituit: & *Alfonſum* Caſtum, ſororis Bertæ ſponſum tam feliciter adjuuit, vt vltrà quinquaginta hoſtium millia in acie ceciderint. Sic in ſpeciem adjutus Barbarus, re Barbari obtriti: & ita conſultum Regi impio, quęm ſui pepulerant, vt magis datum ſit pietati. Auorum proſecuti victorias *Ramirus*, *Ordonius*, *Alfonſus Magnus*, & alij deinceps Reges, ex hoſtium damnis Imperij ſimul & Eccleſiæ jura latè propagarunt. Tot fracti cladibus non defuere tamen qui ſubinde negotium faceſſerent. Philiſthæos dicas, quos Deus vinci ſæpe voluit, non extingui; ne deficientibus Mauris qui vincerentur bello, pace Chriſtiani marceſcerent; &, ex plenà de hoſte victorià, otio triumphandi traderentur.

*Exig une tributum virginum*

778

793

*Carolus Magnus in eos.*

## CAPVT XV.

### *Pro Pontificatu certamina.*

QVaſi parùm eſſet Eccleſiæ, Saracenicæ captiuitatis non ſolùm metu angi; ſed ipſa etiam vincula pluribus in membris pati: dolendi cauſas intra ſe ipſa habuit, ex ambitione Miniſtrorum. Hinc poſt Ioannis V. obitum, *Theodonis* Presbyteri, & *Petri* Archipresbyteri pro Infulis contentio. Hinc poſt Cononem *Theodori* Archipresbyteri, & *Paſchalis* Archidiaconi certamina, quibus in arenam mutata ciuitas, ſua inter ſe armata membra inhorruit. At ex paucorum vitijs Eccleſiæ totius integritas pulchrior enituit; quando ambitioſis in pœnam criminis, ex optimatum, & omnium deinde conſenſu eſt negata dignitas, quam in prædam ſibi deſtinauerant. *Ioanni* igitur ſuffectus eſt *Conon*, & *Cononi Sergius*. Iſtum cum electores intra Lateranenſe palatium, quod *Theodorus* inſederat, effractis foribus, & diſiectà cuſtodià intuliſſent; Theodorus ipſe (quem aliqui verè Pontificem faciunt, ipſique defuncto Sergium ſufficiunt) tanquam legitimum Pontificem reueritus eſt. *Paſchalis* autem, quamuis idem publicè præſtitiſſet, repulſæ tamen ignominià incenſus, Ioannis Platinæ exarchi ſuffragium clam mercatur, vt ei pretium eſſet pro gradu ad ſolium, quò meritis non euaſerat. At Platina Romam profectus, omnium ad votum Sergium eſſe comperiens, ne alienum tribuat, ſuam ipſi dignitatem reliquit; & ne

ſuffragij promiſſi pretium perdat, alienum rapit; ac è ſacro theſauro centum auri libras (tantumdem enim Paſchalis promiſerat) ipſe ſibi numerat, Sergio quod prohibere non poterat patiente. Satius enim eſſe iudicatum eſt, aurum perdere, quam pacem. Sic inter aduerſa, ſua Majeſtas Eccleſiæ conſtitit. Et vt in remotis Barbarorum iugum paſſa ſit, intrà Dominam ſe ac regnatricem prodidit.

## CAPVT XVI.

### *Conſtantini in Pontificatum intruſio, & cædes.*

GRauior aliquantò poſt procella incubuit, quando ambitionem armauit audacia; hanc violentia promouit. In locum Pauli I. piiſſimè defuncti; Toto Nepeſij Regulus Conſtantinum fratrem Clero 767
nondum adſcriptum intruſit, adegitque Georgium Præneſtinum, vt eum, non per gradus ex more, ſed ſimul vno die Pontificem conſecraret. Vt nondum prophanitatem exutus ſacris præeſſet, & factus paſtor in cute, totus in animo lupus aut latro perſtaret. Exaruit ex ſacrilegio Georgij manus: nec ex vi à Totone facta veniam meruit, quia nulla vis hominum vltra mortem ſæuit: quam ſemper præſtat oppetere, quàm iniquum patrare. Pro Papa ſedit Infulatus latro annum vnum. Conciſum ambitioni ſpatium: ſed quod Dei zelantibus ex animo gloriam, vltrà ſæculum fuit. Igitur ſacrilegæ Tyrannidis impatientes Chriſtopho-

rus Primicerius, & ipſius filius Sergius Sacellarius, Totonem ſtrenuè obtruncant, Pſeudopapam detondent in Monachum: & Philippo, quem Turbones quidam intruſerant, exturbato, poſt aliquos Stephani III. dies, Stephanum IV. in Pontificem inungi curant. Infra culpam viſa Prædonis pœna; ideo extractus è Cœnobio orbatur oculis corporis, quòd animo cæcus, oculatos regere affectaſſet. Nec fortuna mitior gregalium plurimos excepit; vt quibus & lingua euulſa fuerit. Hæc per vim à cæca turba: nec enim legum formulis inſiſtendum cenſuit, in eorum pœnis, quibus nulla vnquam legum reuerentia fuerat, aut cura. Non ita præcipites Epiſcopi, coguntur in Synodum; & reſciſsâ combuſtâque Pſeudoſynodo, quæ Inuaſorem confirmauerat, quidquid Inuaſor ipſe impiè confirmatus geſſerat, reſcindunt, præter baptiſmum, & confirmationem. Nihil prætereà ab eo rite præſti-
769 tum rati, quem abſciſſum fuiſſe putabant ab Eccleſiæ corpore, quando per nefas caput eius eſſe voluerat.

## CAPVT XVII.

### *Anacephalæoſis de fide in Angliam Germaniam promota.*

NIhil agit Erebus dum in Eccleſiam inſurgit, erigit quam tentat obruere; & ſicubi eius ex damnis creſcit, ſuis alibi ex cladibus eius augmentis ſeruit. Vt per Saracenos multùm in Aſià, Affricà, & Hiſpanià profecerit; plura tamen ſunt quæ per-

Gregorium Magnum, Bonifacium Moguntinum, & alios in Angliam, Germaniam & Boreales plagas Eccleſia promouit. Hæc etiam operæ-pretium erit inſpicere: vt importuna illa tot triſtium commemoratio, interpoſitâ ſuauium narratione condiatur.

## CAPVT XVIII.

## *Anglia pars Fidei aſſerta, & relapſa.*

VLtrà ſæculum iam in Britanniâ iacuerat Religio Chriſtiana ab Anglis oppreſſa; nēpe vt excitaretur illuſtrior; & quaſi collectis intereà viribus, victores tandem ſubderet: & ex ſuperſtitionis laqueis eorum animos liberaret, qui ſeruitutis jugum Inſulæ impoſuerant. Præcipuus nouæ libertatis & victoriæ Author *Gregorius* fuit, vel ob hoc vnum *Magnus & Angliæ Apoſtolus.* *Angli à Gregor. Mag. conuertuntur.* Hic gentis illius Adoleſcentes formæ venuſtiſſimæ conſpicatus, qui Angelis eſſent formâ & nomine proximi, eos Dæmonum eſſe prædam ingemuit. 596 Ob id decreta in Inſulam expeditio, vt vbi Dæmon de Chriſtianis maximè triumphaſſe videbatur, trophæum ibi Chriſtianorum fieret. Quia vero Gregorius ipſe per ſe Ducis partes agere non potuit, alterum ſe ſibi ſubſtituit. Is fuit *Auguſtinus*, iam eidem in Cœnobio Romæ feliciter ſuffectus. *Auguſt. Adminiſtro.* Inſulam appuliſſe pro victoriâ fuit. Statim Rex Cantij *Edilbertus* vnà cum populo ſe Chriſtianum profeſſus 597 eſt, *Bertâ* ſponsâ ex Chriſtiano Francorum *Et Reginis.* Regum ſanguine, in ſocietatem victoriæ

veniente. Hinc ad Nortumbros ſeu Anglos Boreales progreſſa fides; ſuam lucem latè diffudit, fœminæ imprimis ſtudio. Nam *Edelburga* Ecdilberti Cantiorum Regis
661 filia, adjuuante *Paulino* Eboraci Præſule, quem ſecretorum arbitrum ad gentem Ethnicam pia Regina adduxerat, *Eduuinum* Regem, periculo à percuſſoribus intentato mirabiliter elapſum ad fidei ſocietatem adduxit, quem thori conſortem habuerat. A Borea promouit ad Ortum victrix Religio, dum *Carpualdum* Eſtangliæ ſeu Anglorum Orientalium Regem *Eduinus*; &. *Sibertum* Eſtſexiæ ſeu Saxonum Orientalium principem *Ecdilbertus* fidei participes fecere. Lux nimirùm eſt fides Chriſtiana, diffundi amat, nec vnquam maior perſeuerat in aliquo, quam cum in plures eam communicat. In Eſtangliâ cœptum opus abſolui curauit *Sigbertus* fratri *Carpualdo* ſuffectus, adducto ex Galliâ, quò iuſſu Patris exulauerat, *Felice* Burgundo Præſule. At in Eſtſexia minus proſperè labor ceſſit, quando *Siberti* tres filij Sexredus,
*Angli relabuntur.* Seuardus & Sigebertus, terreno patris Regno contenti, ſpem Cæleſtis abdicauere; fide eiuratâ. Calamitatem auxit apud Cantios *Ebdaldus*, qui ab Ecdilberto patre degener, prophanos ritus reſtituit; & vt ſe patris in throno ſedere oſtenderet, in thoro cubuit, Nouercâ ductâ nouus Caracalla. Venit ad cumulum clades, quando *Pendus* Merciorum ſeu Anglorum Mediterraneorum Rex Ethnicus, & *Caduallus* Vvallorum, Chriſtiani quidem, ſed atrocis animi

principes, junctis viribus *Eduinum* Nortumbrorum Regem, ſpem maximam fidelium, obruerunt: & ei ſuffecti Oſricus, & Enfredus; majori clade, deſciuerunt à fide. Tum exſcindi templa, violari ſacra, vexari Chriſtiani,& agi ad latebras. Quid enim de privatis non credas; quando Mellitus Londinenſis, Iuſtus Rosfenſis, & alij Pręſules quaſi procellæ impares, non ſolùm deſerto clauo,ſed arbitrio fluctuum, naui permiſſa, in Galliæ portum effugerint?

## CAPVT XIX.

## *Anglia tota vel reſtituta Fidei, vel adducta.*

LVcem eſſe fidem dixi, & verè eſt, vel ob hoc vnum, quòd perſecutionum diſcuſſis nubibus pulchrior eniteſcit. Probatum id in Angliâ authore Laurentio, quem ſibi Auguſtinus moriturus Cantuariæ ſuffecerat. Hunc deſperatis rebus aliò migraturum D. Petrus officij commonuit, & ne monita exciderent, flagris inſculpſit. Hinc animoſior ſanctus Præſul ex ſanguineis flagrorum veſtigiis, Ebdaldum ita perculit, vt inceſtis diſſolutis nuptiis, in gratiam cum Eccleſiâ redierit. Nec in Apoſtaſiâ perſtitere Nortumbri, quos Regum magis violentia, quàm ſua voluntas ſeduxerat. Hinc Oſricus & Enfredus expuncti è Regum albo; ne qui ſe dęmonibus vltrò ſubdiderant, præfuiſſe populis dici poſſent. Mirùm ab Oſualdo exule & debili victum & cæſum Caduallum Vvallo-

*614 Præſul ab Angelo caſtigatus.*

*Angli reſipiſcere incipiunt.*

rum Regem, cui vires & victoriæ attol-
*Victoria* lebant animos, & Auunculi Ecduuini re-
*mirabilis.* gnum recuperatum: tanti fuit ad erectam,
643 in pugnæ areâ, crucem preces fudiſſe: iis
nempè armis ſuum hoſtem vicit pius prin-
ceps; quibus ſuum Chriſtus, & noſtrum
obtriuerat. Nec ſatis habens ſua ſibi &
Eccleſiæ reddidiſſe; ex Scotiâ vbi exula-
verat, S. Aidano Præſule accito in auxi-
lium Berniciorum gentem, antiquis ad-
huc in ritibus inſiſtentem ad meliores le-
ges emolliit. Toties victori, quid ſupere-
rat, niſi ut triumpharet? Id & ipſi decoris
quęſitum in cœlis à Pendo, dum eum in
terris cæſum membratim diſſecuit. Hinc
ei templa & cultus à populis, quem mira-
cula, & membra poſt annum ab Oſuuino
integra reperta, cœlitem probauerant.
Dignus qui à morte Diuus haberetur; qui
vitam Dei cultui promouendo, impende-
rat. Ejus æmulatus zelum Oſuuinus ſuc-
ceſſor Pendum primò filium, datâ illi in
ſponſam Achfledâ filiâ ſibi & Chriſtianis
addixit: tum patrem, non vi militum,
quos paucos in plures habuit, ſed armis,
quæ cœlum vocent ad Sacramentum,
precibus: & per votum innocens, nouus
Iephte filia in pretium victoriæ Aris de-
*Victoria* vota; profligauit. Nutauit & fides in V-
*mirabilis.* veſtſexiâ, ſeu Occidentali Saxonia, quam
Byrinus ſanctitatis Apoſtolicæ præſul, il-
luc ab Honorio Papa miſſus, fidei præce-
ptis imbuerat, Keneualchio Rege Apoſta-
ta. Iſtum ne à Cæleſti regno æternùm ex-
cideret, terreno exui ad tempus, Deus vo-

luit, Pendi armis, cuius ſororem repudiaverat. Felix pœna, quæ culpam abſterſit. Ex Regni damno fidem inuenit; & recuperata fides, regnum reſtituit. Adeo malum ſæpè non eſt malis affligi; & quod nos dicimus infortunium, Dei beneficium ſępè eſt. Vnum reſtabat in totâ Britanniâ Sudſexiæ ſeu Saxonum Auſtralium Regnum excluſum à Dei beneficentiâ, nempe ut eò copioſior infunderetur; nam indigenas Deus primò negatis diu pluuiis emolliit; tum S. Vvulfridus ab Eboracenſi Eccleſiâ tyrannico Regis Egfridi juſſu pulſus; occaſione in conſilium verſa; eos Româ, quò ad Agathonem Pontif. prouocauerat, reuerſus adiit, vt converteret: Et non magis arentes agros impetratis de cœlo pluuiis imbuit, quâm corda meliori Euangelicæ doctrinæ imbre perfudit. Sic in plures tetrarchias divulſa Anglia, in vnius tandem veri Dei cultum conſenſit. Nec minus fuit Dei beneficium, quòd non ſtatim, aut ſine mixtura triſtium illud indulſerit. Acribus dulcia miſceri oportuit, ne continuitate vileſcerent; & ſtatim ſua Deus bona non contulit, vt diutiùs ea conferret.

678 *Siccitas à Deo.*

## CAPVT XX.

### *Anglorum Regum eximia Pietas.*

NOuus fidei apud Anglos calor excitauit incendia, quibus toti Deo velut in Hecatombem adolerentur. Ne de aliis dubites, Reges dabo, in quibus pro miraculo debet eſſe vera in Deum reuerentia.

quia enim quidam vt Dij habentur ab ho-minibus, vix eſt vt Deum pro Deo habeant. Fuere tamen in Angliâ, qui hoc vno ſe *Reges Monachi.* Reges eſſe gauiſi ſunt, vt de ſe & ſuis opi-miorem Deo hoſtiam facerent. Teſtis Si-
644. gibertus, qui Orientalis Angliæ purpurâ in habitum Monaſticum mutatâ; tunc Rex eſſe verè cepit, cum à Penda Ethnico cæ-ſus regnare deſiit. Nec ibi minor, aliquot annis poſt, Sebbi & Offę Chriſtianæ per-fectionis amor; qui ſponſarum aſſenſu co-ronam Regiam Monachali mutarunt. Eſt
672. etiam vnde Occidentalis Saxonia ſuorum ſe Principum pietate jactet. Nam Cedual-lus vt fidem ibi hauriret, vbi purior eſt; Romam petiit, & à Sergio Pontifice bapti-zatus hominem poſuit, dùm induit Chri-
689 ſtianum. Nam veſte candida, quâ indue-bantur ex more recèns baptizati, nondum poſitâ, immortalem induit purpuram. Inas deceſſoris pietatis æmulus, ſe tunc Regem
704 verè habuit, cùm Romæ in Cœnobio ob-ſequi didicit. Apud Mercios Edilredus ex longâ Regni adminiſtratione, tanquam ex nauigatione procelloſâ laſſus, ad portum ſe vitæ Monaſticæ recepit. Eum vt in Regno ſic in Regni faſtidio ſecutus Coënredus, quàm periculoſæ plenum opus aleæ ſit, re-gnare, docuit; dum palatium cellæ poſt-habuit. De palmâ certat, quæ in Regum Nortumbrorum animis pietas incaluit. Certè Ceduelfus dignum ſe præſtitit; cui
*Beda.* Beda, virtutum ſplendore toti orbi *Vene-rabilis*, venerationem deferret, dedicatâ hiſtoriâ; dùm Cœnobiarchæ ſe imperio

addixit. Indignum ſe qui tantum Regem excepiſſet in Regno, putaſſet Cadbertus, 758.
ni ſecutus eſſet abdicantem. Vbi verò tot Inſulæ diſtractæ membra in vnum rediere corpus, ſub Egberto Vveſtſexiæ principe; nihil de priſco robore pietas amiſit. Id teſtatus Edelfus Egberti filius, qui Cœnobiticam amplexus vitam, tantò illuſtrius pietatis documentum dedit, quantò amplius Regnum dimiſit: Ac vt religioſiùs Deo litaret, ſua etiam obtulit, tota Inſula Romanæ Eccleſiæ facta vectigali; quod iam & Inas & Offa in partibus fecerant. Huc oculos, huc mentes; magni Principes, & Diuorum poſteri. Veſtris ex Annalibus eam in terris veram & duraturam potentiam ediſcite, quæ ſupra ſe diuinam, & quod perinde eſt Pontificiam agnoſcit.

*Anglia D. Petro vectigalis.*

## CAPVT XX.

### *Fides ad Friſios & finitimos propagata.*

VT malo; ſua etiam bono contagio eſt. Ipſum ſe ſui diffuſione prodit; & tunc maximè cum in plures. Nec enim minùs ſufficit omnibus, quàm ſingulis. Indè factum, ut quos Angli diuinę largitatis Theſauros acceperant, in Germanos refunderent nihil exhauſti. Nec operis illius incepti laudem ipſis Franci negauerint, dùm eiuſdem conſummati decus ſibi aſſerunt. Dicas Germaniam ſuo velut è ſinu nobiles illas gentes effudiſſe, ut alieno ſub cælo manſuefactæ,

mitioris vitę cultum ad ſe reducerent; & æternæ vitæ pignus ab ipſis acciperet, quibus uſum temporariæ dederat. Porrò ne divini operis gloriam ſuo quiſquam conſilio adſcriberet; ei caſus dedit initium, an Deus? cuius ex conſilio eſt quod homini videtur fortuitum. Nam dum S. Vvilfridus Eboraco ab Ecfrido Rege pulſus, Romam nauigat, vt Innocentiam probet, vi procellæ abripitur ad Friſios; vt illis eam populis importet. Felix naufragium à quo pereuntis populi ſalus emerſit! nam quę videbantur eueniſſe caſu, diuino, vt res erat, conſilio adſcribens pius Præſul, fidei ſemina ibi feliciter iecit, quò eum æterna Dei bonitas, per Regis, & fluctuum inclementiam, deſtinauerat. Eum non iam caſu ſecutus Kilianus cum aliquot Hybernis Monachis, à Goſberto principe auſpicatus victorias, Franconios Eccleſiæ addixit, Epiſcopali ſede Vviſburgi ſeu Herbipole poſitâ. Promouebatur vltra victoria, cùm Ceila noua Herodias inceſtis exſolutam ſe Goſberti leuiri vinculis indignata, nouum Baptiſtam, vnà cum ſociis Colomanno & Totuano perimi curauit. Rursùm tamen eo deſudatum in opere à Vvilbrodo & alijs ex ſuffragio *Sergii* Papæ; nec vt ſperabatur, irrito ſucceſſu. Quando Pipinus Maior Franciæ Rabdodo Friſiorum principi armis domito, ne diuinis præconibus obſtreperet, imperauerat. At quæ fides impio? eà violata, cędit ipſe Vvigbertum, & furens turba duos Heuualdos præcones etiam Euangelicos. Nempe vt quos impij viuos oderant,

*Friſij ex caſu conuerſi.*

*686*

*Martyres.*

mortuos admirarentur; & non dubitarent, quin eorum animæ euolaſſent ad cœlos, 639
quando corpora, effusâ ex ſe mirabili luce, per aduerſum Rheni profluuium ad ſocios enatare ſuſpiciebant. Animoſiores inde alij, creatis Vuildrodo, ſub Clementis nomine, Traiecti; & Huniberto Vuerdæ præſulibus, triumphos vltra propagarunt. Cum tranſmarinis venerat in partem victoriæ Lambertus, quem poſteà Alpais Pipini 698
pellex in vltionem reprehenſæ turpitudinis curauit occidi. Nec pepercit operæ datus ei Leodij ſucceſſor Hubertus, qui apud Brabantinos, Arduennates, & finitimos Eccleſiæ pomeria dilatauit. Admouit & manum operi Vulfrannus Senonenſis Epiſcopus, qui Rabdodum prodigiorum inſolentià ita perculit, vt prædicandi palam Euangelij copiam ipſi fecerit. Habebat iam miſer in manu facultatis indultæ præmium; cum 700
retracto, è ſalutari Balneo, pede *dixit; Malle ſe cum maioribus ſuis æternùm eſſe in pœnis; quàm cum ignobili Chriſtianorum turbâ in gaudiis*. Reſponſum ſtolidè impium! quaſi vel nobilitas ignem extingueret, vel felicitas ſupra ſortem Regiam non attolleret. Eius impiam ferocitatem damnavit filius, dùm effugit: & tot Regum nepotem adeo non puduit Eccleſię nomen dare; vt eo vno ſe Regem verè putaverit, quod in eà Dei ſe ſubditum profeſſus ſit.

*Rabdodi ſtoliditas.*

## CAPVT XXI.

### *Pontifices ſeptimi ſaculi.*

*Sabinian.* LXVII. 604 1. *Sept.* SAbinianus nihil de Gregorio, cuius Apocriſiarius Byzantij fuerat, habuit, niſi dignitatem. Laboranti fame populo frumentum quidem diſtribuit, ſed venale; à Gregorio, cuius ei obijciebatur liberalitas, *Auarus.* ita exhauſtum ærarium dicens, vt poſthac opibus magis congerendis, quàm dandis eſſet incumbendum. Ob id ter in viſu à Gregorio monitus, nec reſipiſcens, quarto demùm grauiter in capite percuſſus interiit primo Pontificatus anno. *Punitur.* 205 19. *Febr.*

606 13. *Febr.* *Bonif.* III LXVIII. Sabiniano ad octo menſes ſubſtitutus *Bonifacius III.* à Phoca Imper. apud quem Apocriſiarium nomine Gregorij egerat, obtinuit, ne vllum præſulem excepto Romano nomen Oecumenici vſurpare ſineret. *Roman. præſul Oecumen. ſolus.* Vetuit etiam in Romanâ Synodo, ne ſuperſtite adhuc Pontifice, aut quouis præſule de ſucceſſore ageretur; aut antè tertium ab obitu diem. 606 12. *Nou.*

*Bonif.* IV LXIX. 607 18. *Sept.* *Bonifac. IV.* domo propriâ opibuſque hæreditarijs ad Monachorum vſum addictis, Pantheon ab Agrippa olim magnificè conditum, in Deiparæ Virginis omniumque SS. Memoriam, Deo conſecrauit. *Pantheon conſecrat.* Conſecrandus ipſe inter cœlites ſeptimo ab electione anno. 614 8. *Mai.*

*Deusdedit* LXX. 614 13. *Nou.* *Deusdedit* diſcuſsâ à leproſo lue per oſculum, & illibatæ pietatis exemplo illuſtratâ Eccleſiâ per tres annos, ei ſe verè à Deo datùm eſſe oſtendit. Ei ſuffectus Boni-

Fac. V. ad octo fermè annos, ne Rei à ſacro Eccleſiarum aſylo abducerentur; neue ſacræ Reliquiæ à Miniſtris Diacono inferioribus tangerentur conſtituit.; ac per Epiſtolas ad Regem Eduinum Anglos in fidei ac pietatis per ſeuerantià confirmauit. *Bonif. V.* LXXI. 617 *24. Dec.* 625 *25. Octob.*

*Honorius* poſt hæc fidei magis ſanæ, quam famæ, Eccleſiam rexit. Cum enim duas in Chriſto naturas, vnum Operatorem agnouerit; quin & duplicem in ipſo voluntatem ac vnam perſonam crediderit, non videtur dubium. Cum igitur in Epiſtolà ad Sergium Byzantinum aſſenſus eſt, vt vox de vnicâ vel duplici in Chriſto voluntate ad concordiam vtrobique ſupprimeretur, fidem interno ſenſu non læſit, at eam ore ſatis firmiter confeſſus non eſt. Ac ideo meritò à multis Pontificibus, & à VI. Synodo condemnatus. In cæteris tamen pijſſimus fuit; vt qui & Baſylicas liberaliter exornauerit, & per Epiſtolas ad Regem Eduinum Angliam in fide confirmauerit, & in componendà de tribus Capitulis apud Iſtrios controuerſià ſollicitè laborauerit. Obiit 13. inchoato Pontificatus anno. *Honorius* LXXII. 626 *14. Mai.* *An hæreticus.* *Damnatur.* *Pia eius facta.* 638 *12. Octob.*

*Seuerinus* ex dolore direpti à Mauritio Chartulario, & Iſacio Exarchà ſacri theſauri ſenſim contabeſcens, vix annum Eccleſiæ poſt Honorium præfuit. Cum ſe & liberalitate in pauperes, & conſtantià in fide; reiectà damnatàque Heraclij *Ecthesi*, regimine diuturniori dignum præſtitiſſet. *Seuerin.* LXXIII. 539 *2. Auguſt.* *Sacrilegium.*

*Ioan. IV.* Heraclium ad monita non reſipiſcentem, vnà cum *Ecthesi*, quà indicto vtrobique ſilentio, & æquà de duplici, ac de *Ioan. IV.* LXXIV. 539

*31. Dec.* vnicâ voluntate in Chriſto, ſuppreſſâ ſub-
*Ecthesim damnat.* dolè voce, fouebatur hæreſis, diris deuouit
in Synodo Romanâ. Tùm ad captiuos, quos
*Captiuos redimit.* Slaui in Dalmatiâ abduxerant redimendos,
541 exhauſto Eccleſiæ theſauro, exceſſit altero
12. *Octob.* ab electione anno.

*Theodor. LXXV.* Nec ſegnius *Theodoro* aduerſus Mono-
thelitas laborandum fuit; cum eis Conſtans
641 Imper. & Pyrrhus, qui ob hæreſim Byſan-
*25. Nou.* tinâ ſede pulſus, ſimulatâ Romæ pœniten-
tiâ, ad illam redierat, animos facerent; &
edicto nouo, cui nomen *Typus*, hæreſim con-
ſtabilirent. In illos igitur Pontifex ſimul &
*Typum damnat.* in *Typum*; atque etiam in Paulum, qui Pyr-
rho errorem iterum eiuranti, & ob id ab-
649 dicato ſucceſſerat, dixit anathema. Obiit 8.
*14 Mai.* Pontificatus anno inchoato. *Martinus* in-
*Martin. LXXVI.* choatâ à deceſſoribus certamina ſtrenuè
h49 proſecutus, in Synodo 150. præſulum reſ-
*1. Iul.* ciſis *Ecthesi* ac *Typo*, Monothelitas præſu-
les ſacris motos dixit. Exarcham Olym-
pium, miraculo excæcati Armigeri, per
quem illum, dum Naſcentis Domini no-
cturna myſteria celebrabat, intercipere no-
luerat, ad pœnitentiam, & ad eijciendos ex
Siciliâ Saracenos adduxit. Tum à Calliopâ
654 abductus, & in exilio Martyr occumbens
*12. Nou.* ineunte ſexto Pontificatus anno, locum fe-
*Martyr.* cit *Eugenio* quem iam tyrannicè intruſum
*Eugenius LXXVII* nouo aſſenſu Clerus, vt verum Pontificem
655 veneratus eſt. Ad annum non plenè com-
*2. Ian.* pletum.

*Vitalian. LXXVIII.* Quaſi Martini ſacrilegè habiti inuidiam
diluere Conſtans vellet, *Vitalianum* Eugenio
655 ſuffectum reuereri ſe videri voluit, miſſis
*25. Iul.* ad

ad eum literis gratulatoriis, & Euangeliorum libro aureis characteribus exarato. Quin & Romam profectus non pauca in ipſum reuerentiæ ſigna exhibuit. Quamquàm abductis non paucis & Eccleſiarum & vrbis ornamentis Conſtantinopolim Pontifice fruſtrà renitente, ſua valde officioſa obſequia corrupit. Sed irreuerentior multò fuit Maurus Rauennæ præſul; qui ob contumaciam ſacris motus anathema in ipſum reciprocare inſanà vecordià auſus eſt. Inter hæc ſolatij loco eſſe potuit, quòd ſtudio Theodori, quem Dorouernenſem Epiſcopum ordinatum in Angliam miſerat, totam fermè Inſulam fidei legibus addictam nouit. Conſtituto demùm Ferrariæ primo Epiſcopo exceſſit 14. inchoato Pontificatus anno. *Veſania præſulis excommunicati.* *Primus Ferrariæ præſul.* *669* *27. Ian.*

De *Adeodato*, qui Vitalianum excepit, nihil certi ſcitur, niſi quòd & Maurum in contumacià perſiſtentem, & ipſi ſuffectum, Reparatum non diſſimilis veſaniæ Reum ſacris mouit; & magnificè conſtructo cœnobio S. Eraſmi in monte Celio, vbi Monachus fuerat, eique amplis opibus attributis, ineunte octauo Pontificatus anno exceſſit. Eum excepit *Donus* ad ſeſquiannum, quo Theodorum Rauennæ præſulem ſibi tandem obſequentem habuit. *Adeodat. LXXIX.* *669* *9. April.* *Cœnobiū conſtruit* *676* *16 Iun.* *Donus LXXX.*

*Agatho* acceptis Epiſtolis, quas Conſtantinus Imperat. ad Donum deceſſorem, pro cogendà aduersùs Monothelitas Synodo ſcripſerat, Synodum Romæ habuit, ac Byzantium ad Oecumenicum Concilium tum ſuo, tum Synodi nomine legatos miſit. At intereà defunctus quinto Pontificatus *Agath. LXXXI.* *678* *Synodus Byzantina.*

anno hæreſis triumphatæ nuncio frui non
682 potuit. At voluntario de Imperatorum aua-
28. *Iuni.* ritia triumpho, vt eorum poſthac aſſenſus
10. *Ianu.* ad Pontificum electiones eſſet gratuitus,
*Electio Pontificum gratuita.* euicit.

*Leo II. LXXXII.* Leo II. literis quas ad Agatonem & Synodus & Imperator mittebant, acceptis, Synodum ſuo ſuffragio confirmatam latinitate donauit. Rauennatum præſulum auda-
683 ciam vt frangeret, ne alibi quàm Romæ conſecrari poſſent edixit; & ne quid vſquam pro pallio acciperetur prohibuit. In pauperes liberaliſſimus fuit; in ornandis Baſylicis magnificus; & in publicis inſtituendis
684 precibus religioſiſſimus; dignus ob id cultu
28. *Ian.* Eccleſiæ publico, etſi eam nec annum totum rexerit.

Qui repreſsâ hæreſi, & percipiendæ pro confirmatione Pontificis non modicæ pecuniæ iure, an iniuriâ, abdicato, optimè de Eccleſia meritus fuerat piiſſimus Impera-
684 tor, eam ſibi adhuc arctius deuinxit, dum
20. *Aug.* indulſit *Benedicto II.* qui Leonem ad nouem
*Bened. II. LXXXIII. Electio Pontif. libera.* menſes excepit; vt nec expectato quidem poſthac Imperatoris aſſenſu conſecraretur Pontifex. Sic excuſſo tandem iugo, quod ab Erulis & Gottis inuectum fuerat, Sponſam libertati ſuæ redditam, re magis, quàm nomine Benedictus vidit. Dignus qui in virtutum præmium, inter diuos mortuus haberetur. Obijt m. 8. d. 17.

*Ioan. VI. LXXXIV* *Ioannes V.* Agathonis nuper in Oecumenicà Synodo Legatus Benedicto ſuffe-
*Conon 85. LXXXV.* ctus, locum anno poſt fecit *Cononi*, qui reiectis Petro Archidiacono, quem populus;

& Theodoro quem exercitus promouebant, anno non toto ſedit, ſuâque morte nouis diſſidiis viam aperuit, hinc Theodoro, inde Paſchali, etiam per arma euadere in ſolium conatis. At cum componendo diſſidio primores incumberent, inſtinctu ſubito *Sergius* ab omnibus conclamatus eſt. Nec dùm tamen ſopita diſcordia. Licet enim eum ſtatim Theodorus veneratus ſit, Paſchalis tamen abuſus theſauro, quem ei Conon moriturus ad pia opera crediderat, Exarchum; exitu alibi memorato acciuit. Eo defunctus periculo Sergius in aliud incurrit. Nam ex reſciſà Synodo *quini ſexta* excandeſcens Iuſtinianus I I. Imperat. vt eum Conſtantinopolim abduceret, Zachariæ Protoſpathario iniunxit. At concurrente ad auxilium Italicà militià; ac ad latebras & fugam acto Zacharià, ſecuritati Pontificis conſultum eſt, atque adeo vltioni. Quando non diu poſt Iuſtinianus, reſciſis à Leontio naribus (inde *Rhinotmiſus*) imperio deiectus eſt. Denique controuerſià de tribus Capitulis in Aquileienſi aliquà Synodo ſopità; Ceduala Saxonum Occidentalium in Britannià Rege Romæ baptizato; fide apud Friſios, vbi Vvilbrodum Epiſcopum ordinauit, propagatà, aliiſque plurimis pietatis Apoſtolicæ monumentis perilluſtris, X I V. nondum completo Pontificatus anno exceſſit, ac vt Diuus ab Eccleſia haberetur promeruit.

*Schiſma.*

*Sergius* LXXXVI. 687

*L.5.c.14.*

*Monu pro Pontifice.*

*Fides apud Friſios.*

701

*9. Sept.*

## CAPVT XXII.

### *Fides per Germaniam latè diffuſa à Bonifacio, & vindicata.*

NE fruſtra hactenus pugnatum eſſet in Ethnicos in Germaniâ, Bonifacius, qui antea Vvinfridus, effecit; iterum bellando, & debellando. Hic annuente Gregorio II. Pontifice vniuerſam propè Germaniam victoriarum ſtadium fecit, dirutis fanis, idolis disjectis, Eccleſiis paſſim erectis, Cœnobiis conſtitutis ad Apoſtolorum ſeminarium; & Synodis celebratis, in quibus deliberaretur de promouendo vlterius Chriſti Regno, &, quod ſequitur, exſcindendo diabolico. Expeditionibus Præſulum pacificis, allaborauit per arma Carolus Martellus quandiu fuit in viuis; vt qui Eccleſiam vindicauerat à Saracenis, eamdem promoueret aduerſus Ethnicos, Friſios, Saxones & conterminos. Fuit & Bonifacio, qui ad Infulas Moguntinas promotus fuerat, pugnandum cum hoſte domeſtico, non modo cum externo. Diuinæ propaginis teneris adhuc germinibus magnum imminebat à Sampſone periculum, qui baptiſmum eſſe neceſſarium negabat: Magnum ab Aldeberto & Clemente Pſeudo-epiſcopis, nec non ab Ermuulfo; qui miraculorum præſtigiis, & ementitæ pietatis laruâ ita vulgus dementauerant, vt ipſorum vnguium & crinium ſordes, pro *Lipſanis* coluerit, & eorum al-

*Boniſ. in hæreticos.*

teri adhuc viuo templa dicauerit. Peſsùm ibat Dei cultus, ex quo miniſtro dæmonis deferri cæperat; ni qui ſubegerat idololatras, repreſſiſſet Hęreticos; Burchardo Herbipolenſi Præſule, Virgilio, Vvilibardo, & aliis ad vtramque victoriam adminiſtris. Cum non videretur vltra poſſe vincere; rebellatum eſt in Friſiis, vt tandem triumpharet. Eò ſtatim, ſuffecto ſibi Moguntiæ Lullo, aduolat; & eo euentu pugnat in perduelles; vt eos magnam partem reuocauerit ad officium. Qui verò perſtiterunt in pertinaciâ, ne & ipſi tandem non perire cogerentur; Seruatorem, & plures eius ſocios illatâ morte perdiderunt; aut potiùs ad triumphi gloriam, poſt certamina, miſerunt. Eà enim causâ qui interit non extinguitur, ſed triumphat. Vt verò triumpho maximè digna fuerint quæ fecit, vel paſſus eſt; non minùs tamen quæ aliquando dixit. Quàm ſcitum enim illud? *Sacerdotes olim fuiſſe aureos, qui ligneis Calicibus; hodie ligneos eſſe, qui aureis ad ſacra vaſis vtantur.* Aurum nimirùm eſt Sacerdotum pietas, quà cætera quæque, non modo vaſa, pretioſa reddantur; cum nullo Vaſorum pretio Sacerdotum impietas emendetur. Súbductis igitur Bonifacij & Sociorum fulcris caſum minabatur Eccleſia; ni Gregorius, Ludgerus & alij, quos ſui quaſi zeli hæredes Chriſtianus Heros fecerat, humeros ſuppoſuiſſent. Nec iſti diu ſub onere ſtetiſſent, ni magnam eius in ſe partem Carolus Magnus tranſtuliſſet. Adfuit & ſuæ cauſæ Deus per prodigia. Certè ad Barinburgum *Occidit.*

*Flamma ſacrilegos urit.* oppidum flamma è templo, quod ante Bonifacius condiderat, & ſeruandum prædixerat; in Saxones, qui eam excitauerant, auerſa, ſacris pepercit, vt ſacrilegos concremaret. Carolus verò gentem impiam, & jugum non minùs Francicum, quàm Chriſtianum pati diu indocilem, ſic tandem macerauit, ac fregit; vt expugnatâ poſt multas victorias *Vuindocindi* eorum Ducis pertinaciâ, eos & ſibi, & Chriſto ſeruire docuerit. *Saxones Chriſtiani.* Felix Victoria! quæ in libertatem vindicauit quos ſubdidit. Si Rebellionis ſæpiùs inſtauratæ ea pœna futura erat, culpæ non pœnitet, quæ fuit auctoramentum diuinæ gratiæ.

## CAPVT XXIII.

### *Bellum Sacrofrancum à Pipino in Longobardos.*

IN ſuâ etiam Italiâ parti Eccleſiæ triumphi, Longobardorum per Francos exciſâ tyrannide. Viſum Deo, vt exſcinderentur, quando abutebantur potentiâ, vt diuinam exſcinderent. Id cùm in aliis iam ſæpè Regibus probatum; tùm in Aiſtulſo recens innotuit. Rachiſis enim ſpreto magis Regno inclitus, quàm poſſeſſo, ei locum feciſſe viſus non eſt, niſi vt oſtenderetur quantùm malus Rex à bono diſtaret. Quippe non *Aiſtulphus.* priùs Regni clauum cepit, quàm arma in Exarchum, & Pontificem. Et Exarchatu penitus ſubacto, cladis acceſſio fiebat Pontificia ditio. *Exarchatum inuadit.* Iamque Romam premebat obſidio; cum Stephanus III. Pontif. ſollicitato

fruſtra ad pacem Tyranno, & ad auxilia Copronymo Imper. ad Pipinum Franciæ Regem reſpicere, cuius à patre Martello Greg. III. contra Luitprandum itidem Longobardum; per Legationum officia præſidium acciuerat. Ad hæc Pipinus iam ſine ambiguo Franciæ Rex, ſibi ſuiſque certam fore nouam potentiam non credidit, ni eam Pontificis præſidio impenderet. Ideo miſſi Romam Rodgangus Præſul, & Autcarius Dux, qui ereptum periculo Pontificem in Gallias deducerent. Indè per Legatos actum cum Aiſtulfo; at cum poſtulatis non acquieſceret, nec cederet Exarchatu, quod imprimis Pontifex vrgebat, ventum eſt ad arma. Victus ad Alpes Longobardus, & Ticini circumſeſſus, precibus agere; qui preces reſpuerat; & victori obſequium promittere, qui & ipſum in Dei Vicarium Imperium affectauerat. At propulſato periculo tergiuerſari perfidus; interpretari promiſſa, tandem palam negare; atque inſuper Romanam ditionem diripere. Hinc rurſùm in Italiam Pipinus, nec ante reuerſus, quàm Fœdifragus acie profligatus, & obſeſſus Ticini, Exarchatu Pontifici, vbi Rauenna & ſupra viginti Vrbes non incelebres; atque Pentapoli, nempe Arimino, Piſauro, Ancona, Auxirro, & Vrbino, ceſſiſſet. Liberalitate illà pluſquam Regià, *Primus amplificandæ Eccleſiæ viam aperiens*; vt antiquum adhuc Rauennæ monumentum teſtatur. Obnixus ad hæc per Legatos Copronymus, vt illa ſibi potius redderentur, cui fuerant ablata; non probatum iri Deo do-

*Contra eum pro Pont. Pipinus.*

*Vincitur.*

*Renouat bellum.*

755

*Exarchatum cedere Pontifici cogitur.*

nunt, quod eſſet de alieno. Stolidam petitionem Pipinus riſit, & ratum eſſe volens quod iam ſtatuerat; non Hæretico ſe ſuam operam: ſed Deo, eiuſque Vicario, impendiſſe prodidit. Sic laceſſitam conſtitit Romanam Sedem, vt firmaretur: & ſuis aliquandiu fraudatam per iniuriam, vt ex alienis iure creſceret. Nec tantùm perdidit Aiſtulfus bona, periit ipſe cum bonis. Cum enim cladis ignominiam venatione leniret, occulto ictu ſaucius interiit.

## CAPVT XXIV.

### *Bellum Sacrofrancum à Carolo in Deſiderium.*

*Occaſio belli.* AIſtulfo ſuffectus Deſiderius Thuſciæ Comes fauore Pontificis, qui Rachiſim ex Cœnobio reſpectantem ad ſolium continuit, in Carolum Pipini filium molitur bellum: vt qui gener eſſe noluerat, repudiatâ ipſius filiâ, haberetur pro hoſte, & qui quos Carolomannus frater, ipſiuſque
773 Deſiderij gener filios moriendo reliquerat, Auſtraſiæ regno ſpoliauerat, de ſuo laboraret. Ob id rogatus Hadrianus Pontif. vt pueros impiè excluſos Regno, Reges diceret: & cum poſtulatis non annuit, bello vexatur. Inde ſors mutata, vt qui bellum volebat in Franciam importare; ad ſe ex Franciâ accerſeret. Nam cum eum per Legatos ad pacem non inflexiſſet Carolus auxilium à Pontifice accitus; ad Caniſij juga
*Deſiderius vincitur.* fundit, & in ſuo regno profugum intra Ticini mœnia agit. Miſer dum in Vrbem aſy-

lum

lum quærit, carcerem inuenit, à Francis circumcluſus: dum intereà Carolus Romam Pontificem veneraturus adit. Nec Adelgiſium Deſiderij filium, qui ſe, vnà cum Carolomanni filiis, Veronæ mœnibus ſepſerat, mitior fortuna excepit. Vtrobique victor Carolus, hinc captis Nepotibus, & Adelgiſo Conſtantinopolim in exilium perpetuum profugo; inde patrem habet in vinculis. *Et capitur.* Tunc demùm regnare dedidicit ambitioſus princeps, cum Leodij in ſatellitis ſe manu eſſe, & alieno in arbitrio ſenſit. 774 Sic ducenteſimo ſeptimo, ex quo cœperat, anno, potentia deſiit, quando etiam per ſacrilegia creſcere appetiit. Carolus autem in prædæ ſocietatem Eccleſiam admittens, & quæ *Longobardicum regnum extinguitur.* pater jam indulſerat nouis Diplomatis rata dixit, & Sabinenſem, Spoletinum & Beneuentanum tractus eis adjunctos voluit. Tunc ſe non iniuriâ poſſeſſurum arbitratus, quæ victor Tyranno abſtulerat; ſi eorum pluſquam decimas Chriſtiano Melchiſedech Abraham Chriſtianus offerret.

## CAPVT XXV.

### *Decima-ſeptima in Fidem Hæreſis, & Iconomachorum primus furor.*

SVum in Occidente decus feliciter Eccleſia vindicauerat; idololatriâ apud Anglos & Germanos exciſâ; Saracenis eliſis, & Longobardorum imperio extincto; cùm ecce noui ab Oriente, Iconomachiæ turbines. Authores Iudæi, quando *Santarapicus* *Ortus.* Laodicenus, homo præſtigiator & maleſi-

cus Gizido Saracenorum Principi longam
723 in regno vitam promiſit; ſi ſacras omnes imagines è Chriſtianorum Eccleſijs auferret. At facilius ab impio principe, quæ poſtulabatur, poſita conditio eſt; Imaginibus ſuo in regno paſſim per Iudæos & Arabas disjectis; quàm ab impoſtore promiſſum impletum; cum Gizido intra ſeſqui annum exceſſerit. Ideo Vlid eius filius & ſucceſſor, Impoſtore nec dato, indictum ſacris Imaginibus bellum abrupit. Feliciùs actum ab Impoſtoribus Hebræis, cum Leone ex patria *Iſauro*, & ex hæreſi *Iconoclauſta*, & *Agiomacho*, quem ad impium de abolendis Imaginibus conſilium promiſſo Imperio pertraxerunt. Hinc enim *Iconomachia* paulò ante apud Saracenos incepta, & abrupta, in Romano Orientem verſus imperio fero-
726 ciùs exarſit. Sed primò actum fraude, vt minori diſcrimine peccaretur: enimuerò inhorreſcebat ad nouitatem populus; & aperto fremitu haud impunè paſſurum ſe violari ſacra minabatur. Iuit obuiam tumultui Leo, per vulpinam fraudem; & non imminutum ſe velle cultum imaginum, ſed reformatum profeſſus eſt; nec eas à ſe tolli è templis, ſed altius appendi: vt ſic paterent oculis ad cultum; non oſculis ad ludibrium. Non tamen ita mollitus populus; quin in ſacrilegos impij miniſterij ſatellites inuectus; eorum aliquos obtruncauerit. At non alio demùm euentu, niſi vt & in homines etiam bellum inardeſceret. Quid enim parceretur hominibus, quando violare diuina pictas erat? Cum Germano tamen

*Arte promouetur Iconomachia.*

Patriarcha Byzantino blanditiis primò Leo egit, vt ſibi adjungeret; hoc eſt vt Diuum in Diuos armaret. Sed poſteà cum à Sene nonagenario; qui eum & priuatim ipſe per ſe, & per adminiſtros ab impietate reuocare conatus eſt, vinci puderet, eum in exilium miſit. Cum Bibliothecarijs (qui viri erant eruditione celebres, ſcholis publicis à Magno Conſtantino inſtitutis præfecti, & Imperatorùm ſæpè in rebus implicatiſſimis Conſiliarij) actum atrociùs; vt quos vnà cum Bibliothecà trinis voluminum millibus conſtante concremari juſſerit. Illuſtre funus? cui omnium ſæculorum faces, & lumina fuere pro rogo. In Ioannem Damaſcenum, qui pro veritate ſcriptis egerat, actum perfidià, in quem nihil vis poterat. Miſſæ itaque ab Imperatore ad Saracenorum Principem Epiſtolæ; quas à Ioanne pro Damaſco cui præerat, & vnde cognomen habuit, prodendà ſibi ſcriptas eſſe Iconoclauſta mentiebatur. Hinc Innocenti creduli Sultani juſſu reciſa manus. Sed ea Deiparæ, quam inuocauerat patrocinio reſtituta; Athletæ Chriſtiano tantum ineſſe fidei & innocentiæ, quantùm Agiomacho perfidiæ monumentum prodigioſum fuit. His tamen adeò non inflexus eſt impius, vt etiam ad flammas è Pelagi ſinu erumpentes, quaſi vlturas ſacrilegum; immotus perſtiterit. Tametſi vnà cum flammis tanta vis pumicum eruperit, vt conterminos vndequaque tractus, totamque Ægei faciem oppleuerit, & tanta etiam terræ congeries inde quaſi ebullierit inter The-

*Comprimitur.*

*Incendium Bibliothecæ.*

*Damaſcenus.*

728

ram & Theruſiam Cyclades Inſulas, vt Inſula noua coaluerit. Quid quod ad motus, quibus præter modum tellus intremuit (quod & eius filio Copronymo regnante poſteà contigit,) quaſi monſtra tam effera ſuſtinere detrectaret, pertinacius obduruit? Hinc Gregorij II. Romani Pontif. quem de noua hæreſi Germanus Patriarcha commonuerat, ſpreta non ſolum monita; ſed etiam Legati carcere, exilio, morte impiè violati. Ipſique, nefas, Pontifici vis per ſubornatos Sicarios ſacrilegè intentata. Benè igitur inito cum Francis, quos tunc Carolus Martellus regebat, fœdere, ad audacia, eorum auxilio, ſi opus eſſet, fulcienda conſilia; membrum diu putre, & ad leniora remedia ægreſcens, anathematis gladio, tum ipſe, tum ei ſuffectus Gregorius III. ab Eccleſiæ corpore abſciderunt: & vt illius ab obſequio Italiæ populi ſe ſubducerent auctores fuerunt. Nec enim minus videbatur indignus hominibus præeſſe, quàm intereſſe Eccleſiæ, qui per nouam hæreſim bellum contumax in Diuos indixerat, & per illatas legatis iniurias ius gentium inhumaniter violauerat. Factum Pontificis ratum Deus habuit armatis fluctibus ad claſſis naufragium, quam ad vindicanda Imperij iura Tyrannus in Italiam mittebat.

## CAPVT XXVI.

### *Iconomachorum ſecundus furor.*

VLtra patris ſacrilegia iuit Conſtantinus filius. Nempe vt impleretur Germani Patriarchæ vaticinium: qui cum, quo *Copronymus.* tempore intingebatur, fontem luſtricum inquinaſſe intuitus, Eccleſiæ futurum ipſum 719 inquinamentum præſagiit. Nec in grandiore indolis plane ſtercoreæ minora indicia innotuere. Sordibus enim ita delectatum conſtat, vt Caballino ſtercore, non ſecus quàm odorariis ſuffimentis, ſæpius ſe illineret. Inde *Copronymus*, & Caballinus, vt vel ſolo nomine malè oleret. Vt quas 338 impura hæc bellua ſordes amabat, in Eccleſiam inueheret: non ſatis habuit in Byzantina præſulum Pſeudoſynodo damnaſſe 754 Catholicos, & Iconomachiam ſanxiſſe, *Theomachus* inſuper haberi voluit, diuinitate Chriſti negatâ. At illum anathemate *Damnatur à Pontif.* perculit Stephanus III. Rom. Pontifex, qui Diuis bellum tam atrox indixit. Ob id in plurimos omnium Ordinum atrociter graſſatus, in Monachos caſtrorum Eccleſiæ tum primipilos, rabiem omnem explicuit. Hinc excifis paſſim Aſceteriis, Cœnobitæ pluri- *Seuit.* mi caſtitate Angelis pares, per Hippodromum vnà cum fœminis, tanquam ad choreas circumducti: Alij barbis pice illitis, & accenſis ſpectaculum truculentius facti. Cæterùm quid tandem profuit cælitum vindices diuexaſſe, niſi vt noui cælites fierent? Quàm id luculenter probatum in Stephano

inter Monachos verè Triario. Nam variis
Tyranni depulſis aſſultibus; *An*, inquit, *tu*
*plectis, qui hanc effigiem* (oſtendebat num-
*Magnanimitas.*
mum Copronymi ſignatum imagine) *pedi-*
*bus calcet?* Imò verò, ait impius. Ad quæ
Chriſtianus Heros. *O cæcitatem! pœnis eum*
*addicere qui morituri principis imaginem*
765 *proculcat, & eum habere inter pios, qui*
*Chriſti, & Deiparæ imagines violat!* & cum
dicto nummum pedibus proculcat. Inde
quaſi Maieſtatis Reus ductus eſt in carce-
rem; quem viri Cœlitibus proximi ſuo in-
colatu terreſtre quaſi cœlum fecerant, & ex
carcere per noua ſupplicia miſſus ad Deum.
775 Denique ne de atroci ferociâ quiſquam du-
*Copronymi remorſus inutiles.*
bitaret, ipſe exhorruit, qui admiſit; dum
ęternis ob id deuotum ſe ignibus ad mortis
horam confeſſus, inani pœnitentiâ impie-
tatem tunc horruit, cùm pœnam nunquam
finiendam ſentire cepit. Nec propterea cau-
tior filius eius Leo Porphyrogenitus; nam
ad repertas in ſponſæ Irenes puluinari ima-
gines ita infremuit: vt ipsâ in perpetuum
repudiatâ, plurimos innocentes in exilium
780 ejecerit. Fuerunt illa tragædiæ præludia;
cuius ipſe cataſtrophe fuit. Nam ad impoſi-
tam capiti coronam, quam templo eripue-
rat, erumpentibus ex ipſo capite carbuncu-
*Succeſſoris eius pœna.*
lis miſerè periit; vt præda è ſacro inſtru-
mentum pœnæ ſacrilego potius eſſet, quàm
ornamentum. Mors ſacrilegi ſacrorum ex-
citatio & vita fuit; Irene, Conſtantini filij
nomine, regente Imperium, quam nomine
præferebat pacem, Eccleſiæ, & priſcum Di-
uis, eorumque Imaginibus cultum, in Nice-

nâ II. Oecumenicâ Synodo, reſtituente; ad 787
monita Hadriani I. Pontif., & Taraſij Patriarchæ. Sic cum vnius præſertim Auguſtæ manu conuulſa ſit trium Cæſarum inſana molitio, licet exclamare: Tanti ne dux fœmina facti?

*In Synodo Iconomachia damnatur.*

## CAPVT XXVI.

### *Iconomachorum tertius furor.*

FAciliùs falſi conuincas Hæreticum; quàm Eccleſiæ reddas. Primum eſt rationis opus; quæ penes homines eſt: ſecundum gratiæ, quâ Deus bonos diſcernit à malis. Ideò quòd aliquandiu viſi ſunt acquieſcere Concilij decretis Iconoclauſtæ; non perſuaſio veritatis fuit, ſed metus ſeueritatis: quia magis odere pœnam in peccato, quam ipſum. Ob id factum, vt pœnæ aliquandò ſecuri, peccatum rurſus amauerint. Hinc Leonis Armeni Michaëli Curopalatæ in Imperio ſuffecti Conſilium, de reſtaurandâ ſacrarum Imaginum controuerſiâ. Tùm, quia rem fidei ſemel in generali Synodo ſancitam in dubium per diſceptationem reuocandam eſſe intrepidè Catholici negabant; vt ea de re vtrimque ſileretur edixit, aſſentiente inter alios etiam Nicephoro Patriarchâ. At ex aduerſo & Imperatoris fallaciam, & Catholicorum ignauiam ſtrenuè increpâs *Theodorus Studita* tùm verbis, tùm ſcriptis, ipſum inter alios Nicephorum ad officij ſtudium reuocauit. Hinc Proconeſum relegato Patriarchâ, in eius locum intruſus eſt Theodotus quidam Meliſſenus,

*Iconoma-chi advo-ſitum.* vir æque impius, atque impurus. Ab hoc ſta- tim auſum ad incudem nouæ Synodi Byzan- tio indictæ reuocare dogmata deffinita, *vt* Pſeudoſynodo Copronymicà reſtitutà, Ni- cena poſterior aboleretur. Nec impietati re- clamatum à Catholicis, niſi vt ipſi ferociæ fierent appendix, & vnà cum Patriarchà Nicephoro Monachi mitterentur in exi- lium. Magna tum Theodori Studitæ in pœ- nis alacritas: ſed Nicetæ tortoris pia fraus quantò nobilior? Ne parcens innocenti, reus *Sæuiunt.* ipſe apud Tyrannum fieret; aures, & oculos exploratorum fefellit; illas, dum in ouinam *Miſeri-cordia tortoris.* pellem intra carcerem verbera expedit: iſtos, dum ſanguine ſibi per miſericordem ſæuitiam elicito virgas cruentauit. At Athletæ nobili non tam id erat pœnam eua- dere; quàm ad pœnas ſeruari, cum negatis poſteà in carcere cibis, ſacra ſe tandem Eu- char ſtià paſcere coactus fuerit, donec eius aliunde victui mirabiliter prouiſum eſſet. Triennio verò poſt, propter ſcriptas è car- cere pro fide Epiſtolas, eà diu pœnà damna- tus eſt, vt centenis per vices flagellorum ictibus exſuccum eius corpuſculum lacera- retur. Leonis Armeni orbitam ſic inſtitere Michaël Balbus, & Theophilus Imperato- res, vt vltra iuerint. Certè Balbus, etſi mox vt potitus Imperio eſt, exules reuocauerit; & cum eos ad diſceptandum cum Hæreticis de controuerſià non poſſet adducere, liberos dimiſerit, & vt vbique extra Byzantium ſa- cræ Imagines reſtituerentur indulſerit; Non diu tamen poſt, abiectà laruà, nouum ſe Copronymum palam prodidit. Quippe ad

ſæuitiam, quà inter alios Orthodoxos celebrem Theodorum Studitam eiecit in exilium, vbi anno poſt interijt, nouas blaſphemias adjunxit: irriſit Prophetas, quorum damnabatur teſtimonio: Dæmones negauit quorum deſtinabatur ſupplicio: Iudaiſmum reuocauit; à cuius etiam deuiabat inſtituto: Iudam tandem in cœlis poſuit cuius patrocinabatur flagitio. Sub Theophilo autem laniena diligentior deſæuiit; anteà in omnes, tunc ſimul in ſingulos crudelitas eſt explicata; quando edictum Quæſtoribus eſt, vt in exigendo Capitationis tributo, carceribus ad pœnas addicerentur, qui ſe cultores imaginum non negarent. At etiam tùm infra piorum conſtantiam furor fuit. Nam (vt alios taceam) quantùm ſupra illum, Lazarus ille Monachus arte pingendi percelebris? exuſtis ſæpè candenti ferro manibus, & toties miraculo ſanatis, imagines pinxit, ob id ſaltem venerandas, quòd eſſent opus prodigij. Nec minùs in pœnis incliti Theodorus & Theophanes fratres Monachi, quorum in frontibus, in pœnam fidei confeſſæ, duodecim iambi fuerunt inſculpti. Nempè vt ſuum ipſi ſemper panegyricum circumferrent. Quid verò profuit Methodium Presbyterum infodiſſe viuum, niſi vt eſſet ſymbolum oppreſſæ veritatis, non extinctæ! Exhumabitur tandem viuum funus, & Byzantinis ornatus infulis hæreſim ad multas annorum centurias infodiet, in Byzantino Præſulum cœtu. In gloriæ partem venit Theodora, poſt Theophili ſponſi mortem, pro Michaële filio Impe-

830

*Inſtauratur ſæuitia.*

832

*Miraculum.*

835

842

rium adminiſtrans. Nimirùm vt operis perfecti decus, fœminæ imprimis deberetur, cuius incepti laudem iam ante fœmina vendicauerat. Graſſabatur & in Occidente peſtis, quando incipiebat in Oriente conſeneſcere: Ac vt faciliùs deriuaretur in membra, in ipſa iam capita inuadebat. Quòd erat periculum, ne vixdum benè extincti incendij cineres recaleſcerent; quando in Francofor-
*Iconomachia in Occidente*
794 dienſi tercentorum Præſulum Synodo, & in Pariſino multorum Doctorum colloquio, traducebatur Nicena Synodus, quaſi eam, Latriæ erga imagines aſſerti cultus ream Hadrianus Pontifex abieciſſet: ni Præſules ab Hadriano, & Doctores ab Eugenio II. commoniti errores eiuraſſent, antequam prorſus errarent. In Agobardo tamen Lugdunenſi Præſule labes hæſit; dum vni Cruci aſſerto cultu; reliquas imagines, non retinendas eſſe, niſi ad memoriam & doctrinam dixit. In eodem fuiſſe luto dicuntur Pariſini Doctores, & Ionas Epiſcopus Aurelianenſis. Quamquam iſte Claudium Taurinenſem, non Iconomachiæ tantum; ſed Arij prætetea, Neſtorij, Vigilantij, & aliorum infectum erroribus, per ſcripta proſcidit. Sic dum pro Eccleſia pugnat, vel ab eius ſe non exiiſſe caſtris, vel in eam vnà cum Doctoribus citò rediiſſe prodidit.

# FLORI CHRISTIANI LIBER SEXTUS.

## CAPVT PRIMVM.

### *Prologus, ſeu anacephalæoſis d'cendorum.*

EX quo Principum Orientalium irroborauit impietas; potentia conſenuit: vt inualeſcente intereà Francorum in ſacra ſtudio, potentia quoque augeretur; & celebri documento innoteſceret; omnia proſpera euenire colentibus Deum, aduerſa ſpernentibus. At nec iſtorum eâ magnitudine, quâ ceperat in Carolo, perennauit Imperium; quia nec zelus in ſacra. Et inde turbines, quibus & ipſa Eccleſia contremuit; donec à Francis ad Germanos tranſlato Imperio; datum & Eccleſiæ nonnihil conquieſcere. Nempè vt Henriciani, & Fridericiani ſchiſmatis fluctibus atrociùs poſteà conuellere-

rium adminiſtrans. Nimirùm vt operis perfecti decus, fœminæ imprimis deberetur, cuius incepti laudem iam ante fœmina vendicauerat. Graſſabatur & in Occidente peſtis, quando incipiebat in Oriente conſeneſcere: Ac vt faciliùs deriuaretur in membra, in ipſa iam capita inuadebat. Quod erat periculum, ne vixdum benè extincti incendij cineres recaleſcerent; quando in Francofordienſi tercentorum Præſulum Synodo, & in Pariſino multorum Doctorum colloquio, traducebatur Nicena Synodus, quaſi eam, Latriæ erga imagines aſſerti cultus ream Hadrianus Pontifex abieciſſet: ni Præſules ab Hadriano, & Doctores ab Eugenio II. commoniti errores eiuraſſent, antequam prorſus errarent. In Agobardo tamen Lugdunenſi Præſule labes hæſit; dum vni Cruci aſſerto cultu; reliquas imagines, non retinendas eſſe, niſi ad memoriam & doctrinam dixit. In eodem fuiſſe luto dicuntur Pariſini Doctores, & Ionas Epiſcopus Aurelianenſis. Quamquam iſte Claudium Taurinenſem, non Iconomachiæ tantum; ſed Arij prætetea, Neſtorij, Vigilantij, & aliorum infectum erroribus, per ſcripta proſcidit. Sic dum pro Eccleſia pugnat, vel ab eius ſe non exiiſſe caſtris, vel in eam vnà cum Doctoribus citò rediiſſe prodidit.

*Iconomachia in Occidente*

794

# FLORI CHRISTIANI LIBER SEXTUS.

## CAPVT PRIMVM.

### *Prologus, ſeu anacephalæoſis dicendorum.*

EX quo Principum Orientalium irroborauit impietas; potentia conſenuit: vt inualeſcente intereà Francorum in ſacra ſtudio, potentia quoque augeretur; & celebri documento innoteſceret; omnia proſpera euenire colentibus Deum, aduerſa ſpernentibus. At nec iſtorum eâ magnitudine, quâ ceperat in Carolo, perennauit Imperium; quia nec zelus in ſacra. Et inde turbines, quibus & ipſa Eccleſia contremuit; donec à Francis ad Germanos tranſlato Imperio; datum & Eccleſiæ nonnihil conquieſcere. Nempè vt Henriciani, & Fridericiani ſchiſmatis fluctibus atrociùs poſteà conuellere-

tur. Nec intereà defuere Barbari, qui ſimul cum Regnis, Eccleſiam; aut Hæretici, qui ſimul cum Eccleſiâ, regna conuellerent. At nec in iſtis ſuum ita robur fideles deſtituit; vt non tandem vtroſque vel fregerint; vel manſueſecerint. Et quod eſt ſpecioſius, pios ritus ad gentes impias, Boream versùs latè promouerint. Iſta etiam breuiter enarranda ſunt, vt novo documento liqueat, nihil eſſe quod timeat Eccleſiæ navis; vel inter allatrantes vndequaque fluctus; vt quæ vel Deum vehat: vel, quod perinde eſt, à Deo vehatur.

## CAPVT II.

### *Res Franciæ ad Carolum Magnum.*

EX ſuſcitatum per hæc tempora Occidentis Imperium in antiquum decus refloruit. Authores Franci, quos non magis prouexit Leonis III. authoritas, quàm ſua virtus. Nec fuit Carolo beneficium, Imperatorem dici, ſed meritum; vt qui collectis in ſe majorum virtutibus, pietati, & juſtitiæ ſuis in ditionibus ſolium priùs erexerit; quàm ſibi. Nam poſt Clodouæi mortem vt virtutis nonnullus fulgor ſubinde intermicuerit, quid aliud tamen Francia diu fuit, quàm arena fraterno cognatorum principum, atque adeo Præſulum ſanguine cruentata? Iures à degeneri Regum ſobole veteres in Galliis renouatas tragedias. Quippe nec ipſis defuerunt ſuæ Athaliæ, ac Ieſabeles, Brunehildes, & Fredegundes,

quæ impellerent ad impia; atque etiam præirent. Fredegundis quidem, trium 574
principum nece ſatis innotuerat: ni vexatione inſuper Præſulum voluiſſet inclareſcere. Inter eos, vexatus diu Gregorius Reginarū
Turonenſis: & Prætextatus Rothomagen- atrocitas.
ſis tandem cæſus ad ipſum altare. Si quidem impiis omnis locus prophanus eſt: nec eis pro templis reuerentia; quibus Sacerdotes in odio ſunt. Iuit vltra Brunehildis decem Principum parricidiis; duorum Præſulum, Deſiderii Viennenſis, & Delphini Lugdunenſis interitu, & vt innumera prætere- 600
eam, Columbani Abbatis exilio ſupra quamque Medeam famoſa. Inter hos tamen turbines Guntranus vt benignum ſydus emicuit; dum enim fratrum & cognatorum Principum ferociam imitari noluit,
quem omnis poſteritas imitaretur, & co- 580
leret dignum ſe fecit. Viam ei præmonſtra- Principū
uerat Clodoualdus, qui patruorum ela- pietas.
pſus inſidias delituit in Cœnobio, vt terræ faſtidio cœlum acquireret: & dum Rex eſſe non curat; conſecraretur in Cælitem. Datos diuinitus Principes illos dicas, qui malis, quæ alij perpetrauerant, eſſent pro antidoto. Nec ſuo etiam pharmaco caruit Reginarum immanitas in Radegunde. Hæc Regina
ſponſo Clotario ſuperſtes virtutibus, & piiſſima.
comportatis per Legatos ex Oriente Di- 560
vorum Reliquiis, ſupra Reges ſe extulit, in Pictauienſi Monaſterio. Felix omni ex parte Regina, ſi vt ſe conſummatæ virtutis protypum fecit; affines virgines Chrideeldim, & Baſinam feciſſet ectypas. Nouæ

Mænades non turbis Cœnobium; non Vrbem armis miſcuiſſent. Tam nefaria auſis virginibus, quid Reges non audeant? Mireris Charibertum è fidelium cœtu moueri per Germanum Pariſiorum Præſulem maluiſſe; quàm ab inceſto cum ſorore coniugis conſortio? mireris ab eo Leontium Burdegalenſem, & alios vexatos Præſules; quòd Euerium, quem ipſe Santonenſi Eccleſiæ ſine Cleri ſuffragio præfecerat, exauthoraſſent. Nec maior Dagoberto reuerentia; qui inaudito ſacrilegio libidinem expleuit, ductâ Moniali; & ſacrilegio per maius ſacrilegium à cenſura Pręſulum vindicato. Hinc S. Amandi Traiectenſis exilium; nimirùm vt innocens Præſul, qui ante Gandauenſibus, & finitimis illuſtratis, Flandrorum Apoſtolus dici meruerat, diceretur etiam Apoſtolus Vaſconum, quos Chriſto aſſeruit. Poſt hæc ad Pipinum, non Reges habuit Gallia, ſed Regum ſimulchra; quorum nomina ſceleribus ſæpè prætenderent Maiores domus. Inter hos Ebroinus immani ſæuitiâ diù graſſatus in omnes promiſcuè: in Præſules demùm furorem exſaturat. Supra cæteros patientiæ laude Leodegarius Auguſtodunenſis eminuit; vt quem tyrannus impius non ante totum occidit; quàm per membra ſingula diu excarnificaſſet. Nec à turbis ceſſatum Ebroino cæſo: donec in Pipinum Breuem adminiſtratio rerum ceſſit. Licet enim eum domi libido corruperit, Pleucfridi ſuperinductà Alpaide; nec ſancti Lamberti Leodienſis Epiſcopi occiſi; quod obſcœnum

*Reges ſacrilegi.* 570

632

670

*Ebroini ferocitas.*

*Pipinus.* 698

cum pellice commercium reprehenderet, inuidia caruerit. Foris tamen & juſtè rexit Imperium; & Eccleſiæ fines apud Friſios, & Saxones propagavit. Nec à patre degenerem ſe præſtitit Carolus Martellus *Martellus.* cæſis Sarracenis; Friſiis, & Saxonibus profligatis, & Apoſtolicâ ſede à Longobardorum aſſultibus defensâ. 725 His gradibus parabatur ad ſolium via. Effecit tamen Pipinus Martelli filius; vt id decoris ſibi quaſi totum debuerit. Nec tam in ipſo Patris, Avique merita, quàm virtutem propriam Francico diademate per Bonifacium Moguntinum, Francorum aſſenſu & ſuffragio 752 coronari voluit Zacharias Pontifex: abdicatâ ob inertiam Merouingiorum familiâ. *Pipinus Rex.* Magna mutatio, & vſus ancipitis! quæ tamen feliciter ceſſit ex Francorum votis.

## CAPVT III.

## *Occidentis Imperium exſuſcitatum à Francis.*

TOt ſibi officiis cùm per Patrem, & Auum; tùm per ſe Eccleſiam deuinxerat Carolus Magnus; ut remunerando non eſſet quidquid daretur minus Imperio. Cunctatione tamen neſcio quid inſuper ab ipſo Deus videbatur exigere. Cum ecce merita eius ad cumulum perduxit occaſio. 799 Leonem III. auſu ſacrilego prophani Sacerdotes violauerant; *Leo III. excæcatur.* effoſſis oculis, & euulsâ ei linguâ, quem Orbis ductorem & Doctorem Deus voluerat. *Et elinguatur.* Tam atrox

injuria non Pontificem magis quâm Carolum exulcerat; & vt ſe vindicem Eccleſię probet, illatum eius Capiti dedecus abſtergit. Immolatum iracundiæ ſacrilegos ibat, ſi Pontifex humaniſſimus contentus exilio, vitam illis non impetraſſet, à quibus ipſe non impetrauerat, niſi in pœnam. Ex eo Innocentem noſcas; vel ſi ipſe iureiurando coram Præſulibus; & Deus oculis & linguà mirabiliter reſtitutis non confirmaſſent. Suam dignitatem Carolus ad Eccleſiaſticæ præſidium non ſemel impenderat. Æquum idcirco erat, vt eum Leo velut afflatus numine, eius Capiti Corona impoſitâ, Imperatorem, in Diui Petri diceret. Nec immeritò populus, feſtis acclamationibus Pontificis vocem excipiens, eum humanæ potentiæ faſtigio dignum teſtatus eſt; quà non vtebatur, niſi vt diuinam attolleret. Quibus tunc plauſibus? quibus gratulationum vocibus templum inſonuit? Adſtitere, opinor, Angeli; vt qui zelum Caroli in tuendo Leone ſuſpexerant, Leonis gratitudinem in prouehendo Carolo admirarentur. Sic diuina ſibi humanaquè dignitas mutuo fuere ſubſidio. Hæc illam armis tutam præſtitit; hanc illa authoritate prouexit.

*Carolus M. eum vindicat.*

*Sed magis Deus.*

800 *Carolus M. dictus Imper.*

CAPVT

## CAPVT IV.

### De Bulgaris.

QVid tranſlatum ad alios Occidentis Imperium curaſſent Byzantini Principes; qui nec Orienti regendo ac tutando pares erant? Teſtes Bulgari quià Bolga Septentrionali fluuio; (vnde & nomen habent) velut peſtilens vapor effuſi; iam olim Thracias & Pannonias euaſtauerant. 499
Sed hinc pecuniis ab Anaſtaſio Imperatore; illinc armis à Theodorico Rege dejecti; quieuere paululùm; vt ſuas interea vices, in lacerando Imperio, Anglis, Longobardis, Auaribus, & aliis relinquerent. *Bulgari repreſſi.*
Erupere iterum ſub Pogonato; nec ante repreſſere ferrum, & flammas, quàm data ad incolendum Meſia; poſthàc Bulgaria, & annui tributi pactio illos placaſſet. Sic intra fines Imperij admiſſus hoſtis, Byzantinos Principes frequenter exterruit: & ſub Crunno, ac Zoco Regibus in omnes Chriſtianos; qui magno numero erant in vinculis, dum perſuaſionibus impiis non acquieſcunt; immaniter deſæuiit. Sed vt ſcintillat ardentiùs moritura fax, ſic vehementior illa ex impiis procella tranquillitatis proximę præſagium fuit. Iam quidem Telericus Rex Conſtantinopolim, quam diu armis vexauerat, profectus, Eccleſiæ legibus parere maluerat, quàm Barbaris leges dicere. Sed ex flexibili ad fidem Regis animo obduruere magis ſubditi: donec tandem *Bogaris* gentis princeps opus abſoluit. 678 *Terras & tributum exigunt.* 811 *Martyres faciunt.* 777

Hic tùm à *Theodoro Cupharà* virtutis eximiæ apud ipſum captiuo, tùm à ſorore propriâ, quæ dùm Conſtantinopoli captiua eſſet, in libertatem Chriſtianam ſe vindicauerat, fidei Chriſtianæ placitis auditis, idoneum magis ſe prodiderat veritati cognoſcendæ, quàm amplectendæ. Nimirùm vt conſtaret ad hæc opera, *neque qui plantat eſſe aliquid, neque qui rigat: ſed qui incrementa dat Deus.* Vnde non ante profeſſus eſt ex animo ſe Chriſtianum, quàm depaſcente regionem fame, ad auxilium inuocatus Chriſtianorum Deus non tantùm unde paſcerentur corpora prouidit; ſed etiam unde animi, Rege ex tantæ beneficentiæ miraculo, ad ſuſcipiendum baptiſmum efficaciter inclinato, cum magnâ ſubditorum multitudine. Vt autem ſe Bogaris alium poſt baptiſmum oſtenderet, no-
845 uum ſibi Michaëlis nomen, ab Imperatore Michaële Porphyrogenito, induit. Ad hæc rebellare impii, & armis impietatem defendere: nimirùm vt de ſe Regi, fracti armis, & Eccleſiæ, imbuti fide, nobilius trophæum ſtatuerent. In ſocietatem victoriæ venit Ni-
866 colaus Papa, Paulo Populonio, & Formoſo Portuenſi Præſulibus in auxilium miſſis: vt quod Rex iam multum promouerat, doctrinâ, & miraculis implerent. Ab iis disjecta phana, erectæ Eccleſiæ, & molliti adeo populi, vt quam mutationem tantopere exhorruerant, alacritate maxima complecterentur. Denique tantum ſe Regi ſuo debere confeſſi ſunt, quantum Rex ipſe Theodori Cupharę apud ſe captiui, nec non ſororis

*Fiunt Chriſtiani.*

Cõnſtantinopolim nuper abductæ, admonitionibus debuerat.

## CAPVT V.

### *Pontifices octaui ſaeculi.*

*Ioan. VI. LXXXVII. 701. 29. Oct.*

IOannes VI. Sergio ſuffectus populum tumultuantem in Exarchi obſequio continuit; Giſulphum Beneuenti Comitem à direptione Campaniæ monitis cohibuit;& captiuos toto redemptos Samnio libertati reſtituit, aliquot demùm Eccleſiis Romæ vel reſtitutis vel exornatisexceſſitan.3.m.2.d.12. *705. 10. Ian.*

*Ioan VII. LXXXVIII. 705. 1. Mart.*

Ioannis VII. tempore Iuſtinianus Rhinotmiſus poſt exilium Imperio reſtitutus, ut egregio documento emendaret quod peccauerat, Callinicum Patriarcham Synodi quiniſextæ præcipuum promotorem abdicauit; effoſſiſque oculis Romam ablegauit, in eius locum Cyro Abbate ſuffecto. At nec tam illuſtri reuerentiæ teſtimonio, adduci Pontifex potuit, ut Synodum, etiam pro arbitrio ut rogabatur, emendatam approbaret. Nec enim decebat Pontificis id ratum eſſe ſuffragio, quod contra leges & Pontificum authoritatem ſtatutum fuerat. Eccleſias plurimas picturis tantà delineatis arte dicitur exernaſſe, ut in ſingulis ipſe repræſentari videretur. Anno 2.m.7.d.17.excedens locum fecit ad viginti dies Siſinnio. *707. 18. Oct.*

*LXXXIX. Siſinn. 708. 16. Ian.*

*Conſtantinus* redacto in ordinem, ut alibi dictum eſt, Felice Rauennate ad Imperatorem Nicomediam profectus eſt, concurrentibus ad rei nouitatem undequaque populis; & dum per Siciliam tranſiret, *Coſtant. LXXXX. L.5.c.2. 708,7.*

Theodoro patricio ſanitati reſtituto. Intereà Philippicus Bardanes, Iuſtiniano eiuſque filio cæſis, rerum potitus eſt; ac Cyro Patriarchâ eiecto, eique ſubſtituto Ioanne Monacho, in pſeudoſynodo Monotheliſmum reſtituere conatus eſt: & reſciſâ ſextâ ſynodo; & imaginibus, quibus ſex œcumenicæ ſynodi repræſentabantur, abraſis, Pontificem ad impietatis conſortium

*Certat pro fide.* ſollicitare ſuſtinuit. At Pontifex conſtabilità rectâ fide in Romanâ Synodo, ne nomen eius in ſacris proferretur conſtituit, & eaſdem ſynodos intrà D. Petri Eccleſiam depingi curauit: cum etiam Senatus popopuluſque Romanus conſtitueret, ne Im-

*Imperatoris imago reiecta.* peratoris imago, ex more, aut nummi in quibus ea eſſet inſculpta reciperentur. Eiecto etiam ex vrbe Petro patricio, qui ei ducis nomine præerat, non ante ceſſatum eſt à turbis, quàm Imperatore cæſo Anaſtaſius II. dictus eſt Imperator: qui ſtatim per literas Pontifici datas, ſextæ ſe ſynodi

714 vindicem exhibuit. Nec diu poſt exceſſit

*9. Apr.* Pontifex Pontificatus anno 6. m. 1. d. 1.

*Gregor. II.* Conſtantino ſuffectus, in

*Gregor. II* Leone Iſauro Iconoclauſta truculentiſſimo,

*LXXXXI.* nec non in Longobardis dignitatis eccleſia-

714 *20. Mai.* ſticæ violatoribus parem animo nactus are-

*Pro cultu imaginū certat.* nam, ea præſtitit, quæ ipſum vix infra primum ponant. Leonem enim ad legationes & monita obſtinatum ſacris mouit, & ut Imperiali in Italiâ iure, rebellantibus paſſim populis, & Paulum exarchum unâ cum filio trucidantibus exueretur occaſio fuit. Cum ante Longobardos Cumano, quod

inuaſerant, vi excluſos, & vltimum excidium exarchatui, Rauennâ captâ, intentantes ad pacis fœdera compuliſſet. Qui tam ſtrenuè fidei præſidio aduerſus internos hoſtes incubuerat, eam latè per Germaniam idolorum cultui adhuc addictam, in eius Epiſcopos atque adeo Apoſtolos Bonifacio & alijs conſecratis propagavit. Nec minùs pro Chriſtiana pietate reſtituendâ ac enutriendâ ſe ſollicitum prodidit; reſtituto per Petronacem Brixienſem Caſſinenſi Cænobio, paternâ domo, unâ cum hæreditariis opibus, poſt matris obitum, cænobitarum uſui attributis, plurimis Eccleſiis vel conditis, vel reſtauratis, vel pretioſa ſupellectile locupletatis. Apoſtolico tandem munere pleniſſimè perfunctus obijt; ac Divorum faſtis adſcriptus eſt. Cum ſediſſet an. 16. m. 8. d. 20.

*Germaniæ conuerſionẽ curat.*

*Cænobium reſtaurat.*

731
*11. Febr.*

*Gregor III.* Deceſſoris veſtigia premens fidei ac dignitatis Eccleſiaſticæ præſidio ſe totum impendit; & quatenus nihil ſperandum ipſi erat ab Imperatore; qui, ut in homines etiam eſſet impius, legatos violauerat; Carolum Martellum, tunc Franciæ regio quaſi iure dominantem, ad auxilium, quod & Deceſſor iam fecerat, acciuit, eiuſque interuentu Luitprandum Longobardorum Regem à direptionum conſilio abduxit. Erectis demùm, reſtauratis, ornatis, ac locupletatis ad ſacrum augendum miniſterium plurimis Eccleſijs exceſſit Pontificatu adminiſtrato. an. 10. m. 9. d. 12.

*Greg. III*
LXXXXII.
731
*16. Febr.*

*Carol. Martel. in auxiliũ vocatꝰ*

741
*25. Nov.*

*Zacharias* Gregorio ſuffectus flexibili mentis habitu, & obſequioſis erga princi-

*Zachar.*
LXXXXIII.
741

6. Dec. pes officiis, ea non ſemel euicit; quæ nec minis alii, nec anathematum ſtrepitu. Cum à Luitprando oppida Pontificiæ ditioni ſubducta per legatos non impetrat, ad illum ipſe Narniam profectus, alia inſuper Eccleſiæ maximè accommoda obtinuit, eumque poſtea, à vexandis Rauennatibus, alterá ad ipſum profectione amouit, Regum inermis ac pacificus victor. Non diu poſt Rachiſim Luitprando ſuffectum à Peruſii obſidione præſens abduxit, & illuſtriori multò victoriâ, vt Regalem habitum monaſtico mutaret in Caſſinenſi Cænobio, ei perſuaſit; conſtructo non procul pro ſponſâ monaſterio. Rachiſi ad nobilem illam victoriam paulò ante præiuerat Carolomannus Caroli Martelli filius, manu Pontificis monachi habitu accepto, & Pipino fratri ſpe regni relictâ, quod abdicato ob ignauiam Childerico, aſſenſu procerum, authoritate Pontificis, ad quem Burchardus Viſiburgenſis præſul eâ de causâ legatus fuerat, ei attributum eſt. Cum tantæ fuerit in Occidente poteſtatis, ut ex priuatis Reges, ex Regibus monachos fecerit, impiam tamen

*Vis eius in Reges.*

*Reges monachi.*

*Pipinus Rex Franciæ.*

752 Copronymi in Oriente ferociam edomare

15. Mart. non potuit. Obijt demùm decimo Pontificatus anno, m. 3. d. 10. ac inter Diuos habitus eſt.

*Steph. II.* Ad dies quatuor Zachariæ ſuffectus locum fecit *Sthephano III.* qui Pipini auxilio Aiſtulphi Longobardorum Regis tyrannide repreſſâ, & ditione Pontificiâ valdè amplificata, & Byſantina 338. præſulum Iconoclauſtorum ſub Copronymo

*Steph. II. LXXXXI.*

*Steph. III. LXXXXV.*

352

pſeudoſynodo reſciſâ, ineunte ſexto Pontificatus anno, locum fecit *Paulo* fratri, qui fruſtrà per literas conatus Copronymum ab impietate reuocare, cum Deſiderio Longobardorum Rege pacem coluit, & totos decem ſacræ adminiſtrationis annos Eccleſiis & Xenochomiis condendis ac reparandis, ſubleuandis pauperibus, captiuis liberandis, & inuiſendis etiam intempeſtâ nocte ęgrotantibus impendit.

757 *Paulus* LXXXXVI *Pia facta.* 767 29. *Iuin.*

*Stephanus IV.* Emendaturus quod Conſtantinus, per annum inuaſor peccauerat, in ſynodo vetuit, ne quis laicus niſi per ordinum inferiorum gradus ad Epiſcopatum promoueretur: & Byzantina pſeudoſynodo iterum reſciſà exceſſit, cum ſediſſet annos 3. m. 5. d. 28.

*Steph. IV* LXXXXVII 768 *Gradatio in ordinibus.*

*Hadrianus* inter eximios Pontifices meritò accenſendus, exciſo per Francos Longobardorum regno, non firmiùs tantùm Pontificum Dominio exarchatum aſſeruit, ſed illud etiam ex pietate liberaliſſima Caroli, acceſſione Corſicæ, Sardiniæ, Siciliæ, Sabini, Spoleti valde auxit. Meritò igitur Carolum à quo regna acceperat, honorifico ſaltem titulo inſigniuit, dum eum Romæ Patricium, eiuſque filios Pipinum Italiæ, & Ludouicum Aquitaniæ Reges dixit. Hinc ad ſacra intentior, in Nicenâ alterâ œcumenicâ ſynodo, quam ad Irenes Imperatricis preces indixit, & per legatos rexit, reſciſo Copronymi Conciliabulo, ſacrarum imaginum cultum reſtituit, & reſtiturum aduerſus Francofordienſis Concilii deluſos præſules, ſcriptis ad Carolum libellis, tu-

772 1. *Febr.* *Hadr.* lxxxxviii 772 9. *Febr.*

*Nicen. II Synodus pro cultu imaginū*

tatus eſt. Nec minori ſtudio Neſtorianam hæreſim à Felice Vrgelitano, & Elipando Toletano præſulibus exſuſcitatam, ſcriptis ad Hiſpanos Galloſque præſules Epiſtolis repreſſit. Romæ non paucas Eccleſias priſtino decori reſtitutas opibus auxit. Vt quotidie centum pauperes in atrio Lateranenſi alerentur inſtituit. Aquæductus reſtaurauit: ædificia plurima etiam priuata, ex inundatione Tiberis collapſa propriis ſumptibus reſtitui voluit; vt quos durante diu diluuio, ſubmiſſis per vicos nauigiis, aluerat, eorum domicilia reſtauraret. Nimirùm vt inde ſibi hoſpitium pararet inter cælites, Pontificatu ſapientiſſimè adminiſtrato annos 23. m. 10. d. 17.

*Neſtorianiſmum reprimit.*

*Eximia facta.*

*795 24. Dec.*

## CAPVT VI.

### *De Manichæis repullulantibus.*

MAnichæos repreſſerant Auguſtini quondam victoriæ, & Imperatorum edicta; ſic tamen vt clam virus effunderent,
523 quod palam non poterant. At vigiles Hormiſdæ Pontificis oculos dira peſtis non latuit. Ideo cùm ab ipſo, tùm à Iuſtino Imperatore paſſim plecti juſſi. Nec profuit impiis Cœlum vertiſſe: ſuos etiam vindices Eccleſia apud hoſtes habuit. Et etiam vbi non agnitus Chriſtus, reperti ſunt Chriſti ſatellites; qui blaſphemos vlciſcerentur. Ipſi tamen præcipua ſuæ pœnæ cauſa: dùm enim Phatuarſam in ſolium Perſicum promouent; Cabadem ipſius patrem in ſuam omnium cædem exaſperant. Sic blaſphemiarum

*Manichæi plectuntur in Perſide.*

rum vltorem inuenient; aut faciunt, dùm præſidem quærunt. In Armeniâ tamen ſuperfuere, qui diu poſt Orientem rurſus inficerent. Sed nec iſtis feliciùs ceſſit impietas; eorum Duce *Conſtantino*, qui ſe Syluanum 653
Pauli diſcipulum venditabat, per Simeonem Palatinum, eò à Conſtante Imperatore miſſum obtrito. At nefas Sectariorum Principem occidiſſe viſus eſt Simeon, vt aſſumpto ſibi Titi nomine, eius ipſe locum inuaderet. Nutabat illas apud gentes Religio, *Et in Armenia.* præſide in prædonem verſo, ni orta inter ipſum, & Iuſtum, per quem Pſeudoſyluanum intereme rat, diſſentio vtrumque Iuſtiniani II. manibus faciliùs objeciſſet. Hic, ne repullulare poſſent Hydræ capita; ignem adhibuit. Nec eâ pœnâ ipſi ſe poſtea indignos prodiderunt; cùm ſub Leone Iſaurico, 722
voluntario domorum ſuarum incendio corrumpi maluerint, quàm baptiſmo purgari. At numquam ita ſtirpitùs noxium germen reuelli potuit, quin noui ſemper ſurculi germinauerint. Quin & Sergius qui ſe *Tychicum* Pauli Apoſt. quondam diſcipulum atque etiam *Paracletum*, mentiebatur; ex 810
ſurculo truncum fecit, in varios de nouo ramos deſinentem. Hinc *Pauliciani*, atque etiam *Aſtathi*, ſeu Inſtabiles progeniti. Hinc *Baanas*, qui *Epaphroditi* ſibi nomen induit, *Baanitas* procudit. Nec mirum in tot ramos luxuriaſſe peſtilentem arborem, cuius ſe cultorem prodiderat *Nicephorus* Imperator. Vlteriùs graſſatura videbatur *Imperator Manichæus.* peſtis, ni Michaëles duo Curopalates, & Porphyrogenitus armis etiam egiſſent in

812 eos, qui vim edictorum dudum eluſerant. Et quamuis ad centum millia ex ipſis conciderint, ſuperfuere tamen qui cum Sarracenis iuncti labefactare conarentur Eccle-
812 ſiam, cui ſoli nocere non potuerant. Nec defuere, qui fractas partes rurſus colligerent, ad occaſiones intenti; ſed eos ſub
845 Chryſochire Theophrices eorum ciuitatis principe ſic contudit Baſilius Macedonicus, vt poſthac in Oriente cornua tollere numquam potuerint. Sed quàm ægrè noxiæ plantæ deficiunt! reciſas in Oriente dicas, vt vberiùs in Occidente ſylueſcerent. Iamque Aureliis, Toleti, Hoſſariæ & alibi; hoc
*Plectuntur & in Occidente* eſt, in Galliâ, Hiſpaniâ, Germaniâ infauſti rami ſuccreuerant, corruptis paſſim popu-
1017 lis, cum Robertus Rex, Henricus II. Imperator, & pij Præſules igne, ferro, ſuſpendio ſublatis impiis, ſanæ fidei voluere conſultum. Non aliter potuit Eccleſię ſecuritati conſuli, quàm impactâ in ramos peſtiferos ſecuri.

## CAPVT VII.

### *Schiſma Photianum duodecimum in Eccleſiam.*

813 *Leonis Armeni crudelitas* LEo Armenus, vt quam militari ſuffragio adeptus erat in Oriente potentiam, proprio ſcelere ſibi aſſereret, in Michaëlis *Curopalatæ*, cognomento *Rhangabeni*, fi-
847 lios Theophilactum & Ignatium impius fuit; vt quos caſtrari juſſerit; ne de recuperando Imperio, quod Patri ad Hadrianopolim à Bulgaris victo, ac ex rerum deſpe-

ratione ſeceſſum & monaſterium cogitante, 847
ſpecie recuſantis extorſerat, vmquam poſt-
hac cogitarent. Ignatius tamen diu poſt;
dum Byzantinam ſanctiſſimè Eccleſiam re-
git, dignum ſe Imperio probat. At vnde re-
uerentiam meruerat, Michaëlis Porphyro-
geniti Imper. & Bardæ ipſius auunculi;
quem poſtea Cæſaris auctum nomine & po-
tentiâ mactari juſſit, in odium incurrit.
Facilè enim ac pronum eſt, vt qui Dei reue-
rentiam exuerit, ſacros eius miniſtros ode-
rit. Michaël autem, qui Imperij initio, re- *Michaëlis Curopalata impietas.*
ſtituto ſacrarum Imaginum cultu, optimam
de ſe ſpem fecerat; ita diſſimilis in progreſſu
apparuit; vt non tantum bonus eſſe deſierit;
ſed etiam Chriſtianus, in ludibrium tradu-
ctis diuinis miniſteriis; dum ea per Hiſtrio-
nes, quos ſupra quoſque probos in pretio
habuit, publico in theatro repræſentari
iuſſit. Cum igitur Ignatius Theodoram Im-
peratricem tondere inuitam non vult, vt
Michaël poſtulabat; quem pudebat matri
ſanctiſſimæ adeò eſſe diſſimilem: & inceſtum
Bardæ cum nuru commercium anathemate *Occaſio ſchiſmatis.*
plectit: iniquiſſimorum hominum furorem
in ſe mouit; quaſi Magnatum peccatis etiam
publicis non aquieſcere, peccare eſſet. Hinc
exturbatus vnà cum plurimis etiam præſuli-
bus, qui alium patriarcham nollent agnoſ-
cere, locum alteri fecit; qui tàm ferre Prin-
cipum ſcelera poſſet, quàm ea Principes fa-
cere. Hic Photius fuit, Imperatori à ſecre-
tis & Protoſpatharius, æquè in prophanis
ac politicis ad miraculum doctus, ac in ſa-
cris & Eccleſiaſticis ignarus; qui ex Eunu-

cho Laïco intra ſex dies factus Patriarcha,
858 ſchiſmatis author, aut propagator fuit, quod Orientali propemodum Eccleſiæ, certè Imperio ſuperfuit. Statim eiectis, & cruciatis omnibus, qui ſtabant ab Ignatio, gregis ſe latronem prodidit, cuius paſtorem depulerat. Tum vt fallaciis & furori, quibus totus conſtabat, ſuas vices faceret, à vi tranſit ad dolos: ac corruptis, ſeu ad ſe, ſeu ad Imperatorem, miſſis à Nicolao I. Pontif. Epiſtolis, & Legatis (Hi erant Zacharias Anagninus, & Rodoaldus Portuenſis Epiſcopi) in Pſeudoſynodo 318. præſulum; cui per
861 vim, & diu factam intereſſe compulſi ſunt Legati Pontificij, atque etiam ſuffragari, Patriarcham exauctorat; eumque poſt varia cruciatuum genera, quod libellum renunciationis dare nollet, per adminiſtros ferociæ, vi manum eius mouentes, ſignum Crucis formare pro ſubſcriptione compulit in chartâ, in quâ ipſe poſteà ea ſcriberet, quibus Ignatius ſuam electionem fuiſſe contra Canones, & abdicationem legitimam confiteri videretur. At cum ſibi dimiſſus eadem voce in Eccleſiâ proferre intrepidè refugeret, ad fugam rurſus & latebras adactus eſt. Ad impietatem & ferociam exhorreſcens Nicolaus I. Pontif. in Romanâ ſynodo, Pſeudoſynodum Photianam, tanquam latrocinalem reſcidit, anathemate in Photium & gregales, & Anagninum præſulem (Rodoaldus tunc erat in Galliis) dicto, & Ignatio reſtituto. Conatus Impius vlciſci iniuriam: dum obſecundantibus Tyrannis, in redintegratâ Pſeudoſynodo in Pontifi-

*Photius.*

*Ignatius impie damnatur.*

*Et Papa.*

cem repercuſſit anathema, & piis omnibus indicto furiali bello, criminationibus ſeu ineptis, ſeu falſis tentauit integritatem Occidentalis Eccleſiæ. Quis non rideat, cum obiectum audit, quod ieiunaretur in Sabbatis; Sacerdotes Barbas abraderent, & Cœlibes perſeuerarent? Et ſi quæ talia. Qui tam inania nugabantur, nihil dubio procul habebant, quod ex animo objicerent. Nam quod inſuper mentiebantur, apud Latinos non credi Sp. Sanctum à Patre procedere: Chriſma ex aqua fieri, nuptias damnari, Agnum in Paſchate, vnà cum Domini corpore, more Iudaïco offerri, & id genus alia, mera calumnia eſt. Quid faceres? qui nihil habebant quod meritò criminarentur, quæſiuerunt, quod mendaciter appingerent. At quid promotum inde? niſi vt veris ſe criminibus polluerent: dum alios per ficta infuſcant: & ſuſpenſam hactenus Numinis iracundiam, in ſe demùm laceſſerent. Hinc eiecti è ſolio, & vitâ ſacrilegi Principes, qui Præſulem innocentem è ſua ſede pepulerant. Bardas quidem cæſus eſt iuſſu Michaëlis, mox à Baſilio Macedone, quem Bardæ ſuffecerat, quemque auferre poſteà è viuis, tamquam minùs facinoribus acquieſcentem decreuerat, perimendi. Statim à Baſilio, qui iam ſolus ex omnium ſuffragio rerum potiebatur: ſedi ſuæ reſtituto Ignatio in Monaſterium Photius detruſus eſt. Miſſi Romam ad Hadrianum II. Pontif. qui Nicolaum exceperat, ab vtroque legati; tàm diuerſum nauigationis exitum habuerunt, quàm diuerſa legationis cauſa erat. Nam

*Calumnia in Eccl. Rom.*

*Ignatius reſtituitur.*

869

demerſa naui, quà Photij Legati vehebantur, Vectores omnes in naufragium traxit, excepto Methodio Monacho, cui videtur pepercisse mare, vt Romæ perfidiæ tertiò conuictus anathematis pœnam ferret. At Legati Ignatij Romam feliciter progreſſi, quæ Photius aduerſus Nicolaum impiè ſcripſerat, & falſata Baſilij, multorumque præſulum manu ſubſcripſerat, obtulere Pontifici, qui ea in Synodo igni abſumi iuberet, ex Dei ſuffragio. Quando pluuia densè ſuperueniens adeo flammam non extinxit, vt vehementiùs accenderit; Deo ſcilicet non minùs in terrà, quàm in mari, per prodigia iuſtitiæ ſuffragante. Anno poſt Byzantij in Synodo inter Oecumenicas octaua, renouatà illà ſententià, Ignatius confirmatus eſt, & Pſeudopatriarcha depoſitus. Et cum alia quæ præſtiterat reſciſa, tum exaugurati Præſules quos conſecrauerat: plurimis, qui reſipiſcere noluerunt, in exilium, vnà cum Photio, ablegatis. Eadem omnes pœna inuoluit, quia non diſpar omnes culpa infecerat. At in ſubſcribendà ſententià in Photium mutata ratio; vt quam intincto in Chriſti ſanguinem calamo Præſules ſubſignauerint. Nam nullo meliùs, in eum damnationis ſententia firmari potuit, quàm Chriſti ſanguine, qui Chriſti corpus, quod eſt Eccleſia, immani conuulſione diſtraxerat.

*Synodus Octaua.*

*Photiani damnati.*

*Subſcriptio ex Christi ſanguine.*

## CAPVT VIII.

## *De progreſſu & fine ſchiſmatis Photiani.*

IAm decennium impoſtoris pœna durauerat; cum veniam inauditâ vafritiâ impetrat. Nam qui nihil habebat à iure ſubſidij, vnde meliùs, quò ſe tueretur acceſſeret; quàm à dolis? Hinc ab eo fabula, de genealogiâ Baſilij ab Arſacidis deriuatâ, in exeſis carie membranis, peregrinis characteribus deſcriptâ, & à Theophane impoſturæ conſcio, inter veteres Bibliothecæ Regiæ Codices, tanquam aliud agente, repertâ. Spargitur ſtatim rumor de Ænigmate, & vnus Photius ei ſoluendo par proclamatur: vt nouus Oedipus myſterium reuelaret, qui inuoluerat. Hinc qua maximè parte fraudi opportunus erat Imperator deluſus fit in Impoſtorem pronior, à quo nouos titulos habuerat; & dum Parthici ſanguinis proles videri cupit, verus Chriſti filius eſſe deſinit. Interueniente interea Ignatij obitu, quem miracula Cælitem declararunt; cum eum mors ab hominibus abſtulit, reponitur impoſtor in ſede, quam vel ſemel inſediſſe nimiùm fuerat. Ne quemquam fugeret Lupum in Ouile tum fuiſſe admiſſum, omnia ſtatim perturbat. Per carceres, exilia, cruciatus, atque adeo necem, in eos immaniter furit, vel qui cum Ignatio communionem habuiſſent; vel qui cum ipſo habere nollent. Nec qui tam inhumanè viuos ve-

*Impoſtura.*

878

*Ignatij pia mors.*

*Photius reſtituitur.*

879

xabat, magis fuit miſericors in mortuos, Ignatij tumulo ſpecie quærendi theſauri impiè violato. Ad cumulum venit impietas, vbi eam Ioannes VIII. Rom. Pont. in 383. præſulum Pſeudoſynodo per legatos approbauit. Venialem decepti Pontificis culpam dicas: ſi cogites Photium ei per literas mendaciis pleniſſimas, ſuffragiis omnium Metropolitarum, quæ ſub alio prætextu ſuffuratus fuerat, ſignificaſſe, inuitum ſe, non ſolùm ex communi omnium ſuffragio, ſed prope violentiâ Eccleſiæ Byzantinæ regimen iterum ſuſcepiſſe. Quod etiam per Theodorum quemdam, ex impio Iconomacho non meliorem præſulem, cognomento *Santabarenum*, in magicis ſupra Photium, & in arte fallendi non infra, & ob id ipſi imprimis charum, eiuſque legatione digniſſimum, confirmatum apud eumdem Pontificem voluit. Ægrè tamen ego innocentem Pontificem habeo, quòd tam temerè homini non ſuſpectæ tantùm fidei, ſed indubitatæ præterea fallaciæ, fidem habuit. Qui enim tali facilè credit, ille ſanè decipi vltro vult. Abſtergere quidem opprobrium Papa conatus, reſciſsâ per Legatum Marinum Pſeudoſynodo, & quæ incautiùs approbauerat, reuocatis. At non tàm facilè probrum eluitur, quàm contrahitur. Hinc fabula de Papiſſa Ioanna, & meritò pro fœmina traductus virorum primus, qui tam ignauè ſemiuiro (Eunuchus erat Pſeudopatriarcha) ceſſerat. Summi tamen Eccle-

*Papiſſa Ioanna.*

ſiæ Paſtoris deſtitutus præſidio improbus, latrone ſe fulcit; cum Patriarchâ Aquileienſi, qui vnus Latinorum Spir. Sanctum à Filio quoque procedere negabat, ſocietate initâ. Ingraueſcebat inde piorum vexatio, & Eccleſiæ periculum, cum ecce Baſilii obitus abrupit ſacrilegia, quæ obdurata perfidi voluntas vltra protraxiſſet. Leo enim VI. quem ſexennio ante Pater ex Santabareni perfidiâ, quaſi meditati parricidi conſcium carceri addixerat, & paucis ante mortem diebus libertati, & Imperii iuri reſtituerat, Patri ſuffectus, vt verè, & non ſolo nomine ſe *Sapientem* probet, Photium exturbat; 886
Santabarenum, ſcelerum omnium vel authorem, vel miniſtrum excæcat, & fratrem Stephanum Patriarcham facit, omnibus aſſentiente Stephano VI. Pont. Hinc tandem tranquillitas, ſed qualis poſt procellam, ſubinde turbida; donec tandem in apertum ſchiſma, & numquam bonâ fide coiturum, erupit. *Photius abdicatur.*

## CAPVT IX.

### *Turbæ in Eccleſiis Gallicanis, ex Ludouico Pio abdicato.*

LVdouicus Carolo Patri ſuffectus, ne titulo tenus Pius eſſet, non tantùm ad normam Canonum, per varias Synodos, reuocari curauit Eccleſias; ſed etiam quæ Auus, & Pater Pontificibus indulſerant, rata eſſe iuſſit. Et Patris magnificam pietatem exſcribens, vt non expe- 814

817 ctato Imperatoris ſuffragio, Papam eligere Clero Populoque Rom. liberum eſſet, diplomate nouo edixit. Tantò beneficio
*Rex in Eccleſiam magnificus.* ſis iniurius, ſi illud ſupra Caroli Pipiniue liberalitatem non habeas. Nam vt magnificum ſit dare Prouincias; quantò magnificentius libertatem? At vices rerum! qui Matrem Eccleſiam manumiſiſſe viſus eſt; à ſuis ipſe liberis libertatis, nedum
833 Imperij damnum ſenſit. Et hoc; nefas! an-
*Imp. à filiis abdicatur.* nitentibus Epiſcopis, in Compendienſi conuentu. Quaſi Præſulum eſſet, exauctorare principem, vel exauctorantium perfidiam diluere. Infremunt ad hæc populi. Inde reſtitutus Imperator; filios, quos ignauiori patientià ad nouam impietatem prouocauerat, in gratiam recipit. Paulò ſeueriùs actum in Præſules; Ebbone Rhemenſi, & Agobardo Lugdunenſi Theodoniſuillanâ
835 in Synodo abdicatis. Inde tamen noua turbarum occaſio. Nam Lotharius, patre mortuo, Ebbonem reſtituit, nempè vt iterum
*Inde turbæ.* Pariſinâ in Synodo abdicaretur; & quæcumque reſtitutus præſtiterat, ei ſuffectus
847 Hincmarus abrogaret. At iſte quoque dum iuris ſpecie ius violat, & quæ ferri poterant, non ſine multorum fremitu, reſcindit; dignum ſe fecit, quem Sueſſionenſis, & Trecenſis Synodi; nec non Nicolaus I. reſtitutis Clericis, quos depoſuerat, ſeueriùs increparent.

## CAPVT X.

## *Turba in Eccleſiis Gallicanis ex Regum vitiis.*

INter hæc Imperator Lotharius dum fratrum Regna vi, & fraude appetit, excidit à ſuo, à fratribus Ludouico & Carolo, ad Fontinatam villam magnâ ſtrage fractus: vt qui totum voluerat; vix partem haberet, eamque precariam. Fuit hæc Belgica, præter Imperium ſeu Italiam. Quamquam in gloriam poſteà verſa calamitas, & qui ex occupato alieno creſcere non potuit, creuit ex ſuo abdicato. Dignus à quo Belgicæ parti Lotharingiæ nomen hæreret, vel dum illam non amplius rexit, factus Monachus Pruniacenſis. Quàm diſſimilis animo patri filius, nomine ſimilis! Non putat iſte ſe Regem ex vero, niſi obſcænum, quod cum Vvaldradâ pellice commercium habebat, dimiſsâ Teubergâ coniuge, ſub ſpecioſo connubij nomine, præſulum etiam ac Synodorum Aquiſgranenſis & Metenſis aſſenſu comprobetur. Impurum perculit Nicolaus Pontif. reſciſis Synodis, quę pellicatu ſub ſpecie Matrimonij approbato, ſe conſpurcauerant. Guntarium etiam Agripinenſem, & Teutgardum Treuirenſem Præſules Romam, vt in ſuam eum perfidiam pertraherent, profectos, anathemate damnauit. Nec enim eos in ſacris degere æquum fuit, qui conſuetudinem ſpurciſſimam, ſacramentum dixerant. Nec ipſi Regi fuit impunè duraſſe in culpâ. Obſcœnam

862 *Pellicatus Regis.*

868

*Pœna periurii.* labem vbi periurio coram Hadriano Pont. à ſe amolitur, pœnam accelerat, Placentiæ morte ſubitâ percuſſus. Eius ex morte noui ſuccreuere turbines; dum Hadrianus defuncti Regnũ Ludouico fratri adiudicat, Carolus vero Caluus ſibi. Nepotis hęreditas adeo ambitioſum Caroli animum non explenit: vt ei ad enitendum altius, Ludouico Imperatore mortuo pro gradu fuerit, aſſentiente Ioanne VIII. Pont. Inde nouę in Regnis &
875 Eccleſijs turbæ; quæ nec improuiſa Calui morte deſiere. Dum enim Pontifex Ludouicum à vitio linguæ Balbum patri ſufficit, Romanos & Italos plerosque proceres in ſe laceſſit. Hinc Romę motus, Latrocinia, & *Pontif. x Româ pulſus.* ipſius Pontificis, poſt carcerem, fuga in Gallias. Ibi inuncto in Imperatorem, an in Regem tantùm Balbo, in Trecenſi Concilio, cùm alios, tum Lambertum Spoleti, &
878 Adelbertum Thuſciæ Regulos anathemate ferit: quidni enim è ſacris illos ejiceret, qui ſacram Vrbem, & ſacrorum principem violauerant? Ne verò de ſe ſolo putaretur ſollicitus, qui ſupra omnes ideo eſt, vt omnium curam agat: Hincmarum Laudunenſem, *Cæcus celebrans.* quem ipſius patruus Hincmarus Rhemenſis, parùm æquus ſubinde Pontificibus; ob defenſa Pontificum jura dignitate, atque adeo oculis orbauerat, reſtitui juſſit: Nec voluit cæcitatis vitio à ſacris peragendis eum prohiberi, quam non incurrerat, niſi vt ſacra defenderet.

## CAPVT XI.

### *De Normannorum in Gallias incurſionibus.*

NOrthmanni gens Danica iam tum à Caroli Magni & Ludouici Pij temporibus littora Friſiæ, indigenarum non leui metu, attentauerunt. Id tamen vnum fuiſſet nobis ab eis malum, ni noſtra illos vitia acciuiſſent. Nec enim ante datum illis intima Galliarum peruadere, quàm ex diuiſione decreuiſſet Imperij robur; & diſſidentes inuicem cognati principes, ad mutuam perniciem, è littorum cuſtodia præſidiarios euocaſſent. Non mirum itaque ſi Caroli Calui, & aliorum poſt ipſum Regum tempore, partitis agminibus, Duce imprimis Haſtingo; per oſtia Sequanæ, Ligeris, & Garumnæ in florentiſſimi Regni viſcera inuecti, cæſis Francis, qui ad præſidium accurrerant, ferro & flammâ ſibi viam vbique fecerint. Tunc æquata ſolo Rhotomagus; incenſa Nannetum Andium, Turonum: nec parcitum Burdegalæ, Santonibus & finitimis. Afflauit etiam nec ſemel tempeſtas Pariſios, vnâ cum celeberrimo D. Germani fano, ſuburbiis concrematis. Non procul à caſu ciuitas erat; ni quos ferrum non repulerat, aurum ſummouiſſet. Heu quibus tum paſſim Eccleſiarum præſertim incendiis Galliæ fumauere? quibus ſanguinis, ſacrorum imprimis hominum riuis immaduerunt? Nempe qui Deum non agnoſcunt, nulla ipſis ſacrata domicilia, nulla mi-

841

*Clades.*

niſteria. Inde Gaditani freti tranſmiſſis anguſtiis, & litoralibus, in tranſcurſu, Hiſpaniæ direptis; quà Rhodanus internum mare ſubit, penetrant; & ad Valentiam vſque Allobrogum, obuia quæque ferro flammiſque deformant. Digreſſi etiam intereà ad Piſas, quas redegerunt in cineres. Ac ne qua nobiliſſimi Regni pars eximeretur à cladibus, ad Rhenum etiam Aquiſgranum, Colonia, Treuiri conflagrarunt. Denique tota, quà latè patet, Gallia, ſuorum ciuium vel immerſa ſanguine; vel oppidorum ſepulta cineribus, quadraginta circiter per annos, ingemuit. Et hoc vnum diu miſeræ lenimentum, ingemiſcere; & in Barbaris, Dei ſcelera vindicantis ſatellites agnoſcere, & pati. Conatus quidem Craſſus arte lenire, quos vis nulla fregerat. At nec
*Vix mãſueſcunt.* diſtributa pecunia: nec alteri eorum Regi Godefrido, qui ſe Chriſtianum fore promiſerat, in conjugem data Giſla Lotharij Imperatoris filia, cum dotali Friſia, nec in
886 prædam permiſſa Neuſtria, ferocientes continuit. Quid enim ab iis fidem ſperes, in quibus nec noſcebatur humanitas?

## CAPVT XII.

## *Normani à Francis victi, & facti Chriſtiani.*

QVia Francos gentem ſibi charam, per Normannorum flagella magis antiquæ pietatis commonitam, & ad tempus caſtigatam Deus voluit; quàm in perpetuum perditam; vt tandem in ſuam indo-

lem fortuna rediret, indulſit. Nimirùm vt mutatione ſubita, quos incendiarios, inhumanos, & ſacrilegos anteà iuuerat, vlciſceretur poſthac periuros. Inde eos Eudo, quem exauctorato Craſſo Franci ſuffecerant, ad Pariſios ſtrenuè cecîdit. Nec minùs fauſto eos impetu ad Rhenum perculit Arnulphus Imp. Quid quod ad Deiparę ſubuculam, tamquam ad cęleſte vexillum, eò ſunt pauore perteriti apud Carnutum; vt amentibus ſimiles, in fugam præcipites ruerint; & facilem de ſe victoriam Richardo & Roberto inſtantibus dederint? Hinc non diſplicere de pace colloquia; & quam victores noluerant, in eam inclinare victi. Felices quibus magis in fructum ceſſere clades, quàm proſpera! Hinc Rolloni eorum Principi data in ſponſam Giſla Caroli Simplicis filia; & in dotem *Neuſtria*, poſthac in fœderis monumentum *Normannia*. Probroſum fœdus! ſi aliter potuiſſet totum ſeruari, quàm partis diſpendio. Quamquam, quis pudor, in Regni ſocietatem illum admiſiſſe, quem Regis generum nuptiæ fecerant, & eiurata ſuperſtitio Chriſtianum? Nihil ex antiquo Rollo retinuit; ne nomen quidem. Quippe noua illum generatio reformauit in alterum. Idque Heruei Rhemenſis, Franconis Rhotomagenſis Præſulum, & Ruperti maximè Franci Principis opera. Libertatis Euangelicæ acceptæ memoriam obliterari noluit, libertus nouus, dum qui *Rollo* Barbarus fuerat, ex grato erga Rupertum principem animo voluit eſſe *Rupertus* Chriſtianus. Sic

898 *Normãni profligati*

893

905

912

*Normãni Chriſtiani.*

demum gens efferа, à cuius indomito furo-
912 re, non minùs quam à diluuio, liberari à Deo, per vota preceſque publicas tremens populus poſtulabat; ita cum Franciâ coaluit, vt ex duabus vna conſtiterit.

## CAPVT XIII.

## *De Danorum in Angliam incurſionibus.*

NOn vnam Galliam fatigauit tempeſtas ex Daniâ: in Angliam quoque incubuit; eamque demùm totam inuaſit, ne Francis verteretur probro parte ceſſiſſe. Fidem ſuperat, quas tunc hominum cædes, quæ ciuitatum incendia, ad renouatas ſubinde Barbarorum exſcenſiones gemens Inſula ſenſerit. Non viſa tamen tot malis premi, niſi vt purgaretur & inclareſceret. In ipſis cladibus repertum ſæpe cladium ſolatium. Facinore pluſquam virili non ſe commendaſſent piæ Virgines Ebbâ Duce; ni vis impendiſſet ab impiis. Hæc præciſo ſibi, vnà cum labro ſuperiori, naſo; ad piam ſæuitiam Monialibus præiuit. Inhorruere ad

*Pia ſæuitia virginum.*

870 ſpectaculum Barbari, quo illectum iri ſe ſperauerant: & prædæ ſuæ libidini ereptæ iniuriam flammis vindicauere. Id vero pro beneficio fuit. Flammâ quâ domus arſit abſumi præſtitit; quàm quâ vrebantur impii, violari. Hæc, fœminæ; Quid viri? Reges edoceant. Eadmundus certè non ante reſciſſo capite, in cæleſte ſolium euaſit, ex Eſtanglico, quàm ſeruiliter virgis cæſus inauditâ patientiâ iaculis & ludibriis ſæuientium

*Rex Martyr.*

diu

diu pro ſcopo fuit. Ad Regis exemplum Humbertus Helmahamenſis epiſcopus mortem à Barbaris paſſus, regni cæleſtis gloriam adeptus eſt; cui ipſe ante, impoſitâ capiti coronâ, terreſtre regnum procurauerat. Nec Ethelredi Vveſtſexiæ Regis minor fiducia: Vt qui non incurrentium hoſtium fremitu territus;non fratris ad iniquum certamen adducti periculo commotus, diſcedere voluit è ſacro nondum perfecto. Ei omnia peſſum ire leuius fuit; quàm intempeſtiuo diſceſſu ſacrum turbari. Non mirum itaque,ſi inde, tanquam è promptuario fortitudinis digreſſus, Barbaros perculit; & è diſcrimine fratrem eduxit. Enimuerò,quidni vinceret homines; qui Deo plenus erat? Nec minor laus victi poſtea, & pro legibus quas tuebatur, occiſi. Vt hic fratrem & ſuos in tuto victor poſuerit; illic ſe victus. Elatus enim ad cælos ſupra omnem fortunæ vim poſthac eminuit. At Regnum inde præceps in caſum ire: Nec ſtare diu poterat fulcro ſublato. *Pia Conſtantia.*

## CAPVT XIV.

### *Noua Danorum de Anglis victoria.*

INter tot clades, ſpes ſalutis Anglos non defecerat, ni ipſi ſe per ſua ſcelera perdidiſſent. Conſtat id ex nimiùm vero Dunſtani Cantuarienſis Archipræſulis vaticinio. *Dunſtani vaticinium.* Hic Nouercæ parricidio, quæ filium Ethelredum excluſum ſolio indignabatur; Eduardo cæſo; prædixit breui fore, vt Regnum 979 transferretur in alienigenas; quando illud

tam impiè inuaſerat indigena ; & tam obſcœnè per ſacrilegas nuptias clerici polluebant. Nec fefellit augurium ; inſulâ poſt varias, Regibus ſub variis, ſtrages, à Sueone Danorum Principe tandem ſubactâ. Tunc direptæ paſſim ac incenſæ vrbes ; disjectę
*Clades.* Eccleſiæ ; & ſacerdotes occiſi. Si tamen illi ſacerdotes, qui obſcœnis ſe nuptiis prophanauerant ! Perierint impuri ; ſi aliud non ſuppetebat obſcœnitati remedium ; cladium & incendiorum non pœnitet. Quamquam non ita malum omnia corripuerat, vt non
1011 alicubi locum virtuti fecerit. Et inde illuſtrior Elphegi Cantuarię Præſulis gloria ; qui purulentos inter ſe purum ſeruauit. In eum dum per cruciatus ſęuierunt ad mortem impij, non purgauere ſordes, ſed coronauere virtutes. Nec propterea tamen impios culpę ſuę pœna pręteriit. Hinc enim res Danicę peſſum ire ; demergi claſſis ; & ipſe Rex, dum S. Eadmundi, quem diu ante deceſſores occiderant, templum
1014 *Diuinitus vulneratur.* violat, inuiſibili iaculo, ſatellites inter, configi. Nec fortè Deus duraſſet in iracundiâ, ni Ethelredus ad tot flagellorum monita obdureſcens, duraſſet in culpa. Non meruit ille regnare, qui ex fugâ redux edicto ſupra Mithridaticam ferociam cruento contra fidem datam, omnes vnâ die Danos mactari
1016 iuſſit. Ad immanem barbariem Canutus Sueonis filius, non iam impiè, vt qui Chriſtianos amplexus ritus, ſuorum leſę fidei, atque adeo generis humani vindicaret injurias, clades redintegrat ; Inſulamque totam demum ſubigit ; vt eam velut hęre-

ditariam popularibus ſuis, qui Normannorum ſub nomine Neuſtriam inſederant, tranſmitteret.

## CAPVT XV.

### *De Danorum conuerſione.*

VT ex ipſis hominum vitiis bonum elicit, qui ſine vitio bonus eſt: ſic ex ſuis ſæpe damnis lucra, homines. Hinc Ebbo Rhemenſis, ob exauctoratum injuriâ Ludouicum Pium, jure depoſitus; ſuam pœnam in Danorum felicitatem vertit. Eò enim profectus nouam fundauit Eccleſiam, qui ſuam amiſerat; Haraldo Rege, cum totâ familiâ, fidei legibus addicto. Inde metus ab impiis; & Regis, dum à ſolio, quàm à fide mauult excidere, exilium. At non eſſe debuit ſine Regno, qui Regnum Chriſto poſthabuerat. Ideo ei à Lud. Pio attributa Friſia. Cum intereà Ebbo difficultatibus territus, ad nouos in Hincmarum ipſi ſuffectum motus, rediiſſet in Gallias; & perſeuerantiæ coronam Anſgario reliquiſſet. Hic aſſenſu Gregorij IV. Romani Pontif. Archiepiſcopali ſede Hamburgi poſitâ, Daniam, vnà cum Haraldo non jam Rege, ſed Apoſtolo profectus, eos progreſſus fecit, vt gentis illius Apoſtolus meritò audierit. Necdum tamen in totum victa ſuperſtitio. Nempe vt Henricus Auceps & Otto filius ad fidei ſimul, & Imperij jugum transfugas reuocarent. Pias Imperatorum victorias promouêre feliciter Vnnus & Adaldagus Hamburgenſes Archiepiſcopi. Sed nulli feliciùs

*Ebbo in Dania.* 826

*Anſgarius in Dania.*

832

939

949 labor ceſſit, quàm Propo clerico. Hic dum ad argumentum diuinæ fidei ferrum candens ſine noxâ diu tractat; igne majori Haraldi Regis, & populorum animos ſuccen-
980 dit.[1] Pium principem armis aggreditur bis ſimul impius Sueu filius; & Patrem Cælitem demum facit, dum Regem eſſe non ſinit. Nec diu potitus Regno Suen; vt quem victoria corruperat, clades emendaret. Nam bis ab Slauis captus in prælio; totieſque redemptus à ſubditis; ab Herico tandem Christiano Sueonum Principe pulſus è ſolio, tandiu ſine Regno fuit, quandiu ad Deum per fidem accedere diſtulit. Sed vbi ſe Chriſtianum profeſſus eſt, Olaph Herici filio annuente, non tantùm Daniam recepit, ſed & Angliâ, Ethelredo pulſo. potitus eſt. Adeo nihil efficacius ad ſubjiciendos alios, quàm ſe Chriſto ſubjicere.

*Dania Chriſtiana.*

## CAPVT XVI.

## *De Gotheſcalco & Prædeſtinatianis hæreticis.*

PRæſulum etiam, ac Doctorum animos non leue diſſidium, per hæc tempora, in Galliâ commiſit, ex occaſione Gotheſcalci Orbaicenſis Monachi. Eum elatum fuiſſe animo, quietis impatientem, nouitatis auidum, ambitioſum, proteruum; ad ſacerdotium contra canonum præſcriptum à Decano Rhemenſi intruſum; reguliſque monaſticis violatis, è monaſterio ad ſuas latiùs impietates diſſemiuandas egreſſum, Hincmarus Rhemenſis præſul, hoſtis eius

infenſiſſimus affirmat. Ei autem crimini tributum eſt, quòd veterum Prædeſtinatianorum exſuſcitatis erroribus, doceret *Æquè aliquos Deum prædeſtinare ad mortem, ac ad vitam æternam; Nec alios ipſum velle fieri ſaluos, quàm qui ſaluantur, eoſque nulla vi aut arte dæmonis à Dei manibus auferri poſſe, vt pro quibus ſolis Chriſtus ſit mortuus; atque ideo illis nec ſua poſſe nocere mala, nec prædeſtinatis ad mortem ſua bona prodeſſe.* Imputatum & illi eſt quaſi pro coronide, quod *Deitatem in Trinitate triplicem affirmaret.* Iſtam Gotheſcalci effigiem, non Gotheſcalci, ſed Hincmari coloribus delineatam eſſe; & olim non pauci, & hodie multi ſubodorati ſunt. Nec enim Hincmarus, quamuis abuſus gratià, quà apud Carolum Caluum Regem tunc valebat, Gotheſcalcum in Synodo Moguntina ſub Rabano iam damnatum, in Rhemenſi & Cariſiacà, in quibus ipſe præerat, rurſum damnauerit tanquam exoticæ doctrinæ aſſertorem; & Prædeſtinatianorum veterum renouatorem, verè de Prædeſtinatianis iudicaſſe potuit, quos prorſus ignorauit, cum quos oportuit eſſe (ſi fuerunt) Semipelagianis omnino oppoſitos, eos cum Semipelagianis miſcuerit, & ex duabus inter ſe pugnantibus ſectis vnam fecerit. Adde quod non alia Gotheſcalco afficta tunc ſunt, quàm quæ duriùs & inuidioſiùs expreſſa, Auguſtino antea ejuſque diſcipulis fuiſſe attributa, & Proſper in reſponſionum libris ſatis inſinuat, & iam paſſim eruditi non diſſimulant. Sed ne de cauſæ

meritis, quam Hincmarus tuendam ſuſceperat, dubitari ultra poſſet, Patronus quem ſibi ſubſtituit, fecit. Fuit hic Ioannes Scotus, ſeu Erigena, qui Gotheſcalci placitis, non catholica; ſed vel abſurda, vel erronea oppoſuit. Ea itaque ſtatim & Prudentius Trecenſis epiſcopus, & Florus Lugdunenſis diaconus ſcriptis, ut Valentinum ac Lingonienſe concilia decretis rejecerunt. Nec eis parcitum eſt à Rhemigio Lugdunenſi Archiepiſcopo, Lupo Seruato Moguntino preſbytero, Rhatramno monacho & aliis, qui in Gotheſcali patrocinio, Auguſtinianæ ſe doctrinæ atque adeo Catholicæ vindices profeſſi ſunt. Non mirum itaque ſi Nicolaus Papa delatas ad ſe ab Hincmaro contra Gotheſcalcum criminationes adeo non approbauerit, vt Erigenam potius tamquam doctrinæ ſacræ peſtiferum corruptorem, à Carolo Rege pelli curauerit. Nec magis pertinebat ad fidem, quod Gotheſcalco pro magno in Trinitate errore obiectum eſt. Niſi ſi verſiculus iſte, *Te trina Deitas vnaque poſcimus*, quem ſuis in hymnis vſurpat Eccleſia, quemque Hincmarus expunctum, vel immutatum volebat, proſcribi tamquam erroneus debeat. Fuit igitur eo tempore Gotheſcalcus alter Florus, quem non tam falſa de gratià & prædeſtinatione dogmata, quàm vera ſecùs quàm oportuit ab ignorantibus intellecta, vel à malignis duriùs enunciata, in invidiam & calumniam vocata reum fecerunt. Nec illis tutius credas, qui iam tum ab Auguſtini temporibus ortos dicunt, qui

*Prædeſtinatiana* ſpectra ſub maximi Doctoris vmbrà inueherent. Id enim ſi ita eſt, colluſere cum impiis Proſper, Hilarius, Leo, Gelaſius, & alij. Nec Auguſtini patrocinio gloriari meritò poſſunt, cui tam fœdam appingi labem, ne meminerunt quidem, tantùm abeſt vt vindicauerint. Si vſpiam, in vno Caſſiani, Vincentij, Fauſti, Gennadij & gregalium cerebro fuere Prædeſtinatiani; vt illà ſub laruà Auguſtinum inceſſerent, quem nudà facie non audebant: Sciebant enim à Pontificibus vix diſtingui inter reum fidei, & Auguſtini. *Auguſtini tempore non fuere Prædeſtinatiani.*

## CAPVT XVII.

## *Anacephalæoſis de translatione Imperij.*

ACriori morſu Francos pupugit dignitatis imperatoriæ damnum. Quamquam ipſi in culpà. Æquum non fuit vt maiorum præmia tenerent, qui virtutes abiecerant. Inde verò, vt in tantà mutatione, motus & clades, quæ diu ſub Longobardorum Regulorum tyrannide, conuulſerunt imprimis Italiam, & iis obſcænitatibus & ſacrilegiis ſtrauerunt iter, quibus ſi non Eccleſia; eius certè miniſtri plurimi, ijque primarij fœdiſſimè conſpurcati ſunt. Pudet harum ſordium: & ſi ſuſcepti operis ratio pateretur, ſpongia potius eſſet in vſu; quàm calamus. Non ſinerem tot Pontificum ſanctiſſimorum decora, ex nonnullorum quaſi contagio erubeſcere. At quæ res ſimul fuere connexæ dum gerebantur; diuulſæ ac ſup-

preſſæ non debent eſſe dum ſcribuntur. Nec commemoratione turpium violabitur Eccleſiæ integritas. Quippe vt ruboris nonnihil ſenſerit ex Rectorum ſuorum probris, nihil tamen labis. Nec imprudentiæ mihi tribui poterit, ſi quorumdam dedecora ſtrictim, & breuiùs etiam, quam pro abbreuiatore referam; qui publicam perſonam ago, nec niſi publica diuulgo. Et timidiùs impia, impura, & atrocia ego ſcribo, quàm ipſi fecere.

## CAPVT XVIII.

### *De laceratione Italiæ à Longobardis Regulis, & aliis.*

CArolus Craſſus Francorum Rex aliquot annis Occidentis potitus Imperio eſt; vt in Triburienſi ſuorum conuentu abdicatus locum faceret Arnulfo ex Carolomanno Fratre, Bauariæ Rege Nepoti; eoque miſeriæ delaberetur, vt ab ipſo Arnulfo victum cogeretur quaſi emendicare. Vt cognoſcerent orbis Proceres vnde; & quò deuolui poſſunt. Interea Francorum conſeneſcente potentiâ, & Arnulfo in Germaniâ aduersùs Normannos diſtento, Longobardi Reguli Italiam, velut auitum patrimonium inter ſe partiti ſunt. Vt alios titulo
888 ſaltem antecederet *Vuido* Spoletanus, Imperatorem ſe dici curat à Formoſo Pontif. in ſocietatem Imperij Lamberto filio aſſumpto. Indignatur ad hæc Berengarius, qui ex Foroiulienſi Duce Regem ſe Italiæ dixerat. Hinc ab eo accitus Arnulfus Italiam quaſi

quaſi ſuam, ex abdicatione Caroli, pulſis proceribus, qui pro eà ſibi aſſerendà contendebant, occupat; Ipſamque Romam felicitate mirabili inuadit. Ad ſubitum enim militum Germanorum, qui lepuſculum circa mœnia fugientem inſectabantur, ſtrepitum, exterriti præſidiarij, ac ex metu dilapſi, locum hoſti ad ſubeundum fecerunt. Sic Romam tot olim gentium Victricem ac Dominam capere facilius tunc fuit, quàm leporem. Vrbe pôtitus Arnulfus, Imperator dictus eſt à Formoſo Pontif. Egregius tot laborum fructus, nouum nomen: illudque ad triennium. Vt eo celeriter phtiriaſi abrepto, Ludouicus Boſonis, qui Richildis Calui ſponſæ frater fuerat, filius ex Hermingarde Ludouici Iunioris Imperat. filià, & Berengarius Foroiulienſis (nam Vuido eodem quo Arnulfus 896
anno exceſſit, vnà cum Lamberto filio) Italiam rurſùm diſcerperent. Ludouicus primo Felicior Berengario fugato, vt ca- 899
lamitoſiùs periret; & qui armis hoſtem vicerat, eiuſdem inſidiis vinceretur, ac Adelberti Thuſciæ Marchionis, à quo in Italiam accitus fuerat, prodiſione, Veronæ interceptus oculis priuaretur. Ita Berengario aſſerta eſt tandem Italia (quamquam aliqui Lambertum Vuidoni Patri ſuperuixiſſe dicunt, & à Ludouici caſu ad ſeptennium in Italià Imperium tenuiſſe) vt ali- 900
quot annis poſt inunctus Romæ à Ioanne X. Pontif. nomen etiam Imperatoris obtineret. At non diu poſt à Rodolfo Burgundiæ Rege, quem aduerſus ipſum Adelbertus

904 Eporediæ Marchio, & alij proceres acciuerant, fuſus acie, quamuis Hungarorum niteretur ſubſidio, à ſuis Veronæ interemptus eſt: vt eà in vrbe vitam Deo vindice perderet, in quâ aliquandiu ante hoſti oculos eruerat. Nec diu poſt Rodolfo in ſuam
915 Burgundiam repulſo; Hugo Arelatenſis Lotharij Regis nothus accitur. Hic cæterea laudabilis, vehementiori firmandæ potentiæ
924 ſtudio peccauit. Hinc eius cum Maroziâ infami ſcorto, & non magis Vvidonis Thuſci ex Berthâ matre fratris, quàm omnium procerum fœminâ; inceſtum commercium. Potentia fœminæ, quæ nihil non Romæ
*Marozia* poterat, quâque ſuum firmatum iri ſperabat Imperium, ſupra flagitij turpitudinem prçualente. Hinc Manaſſes affinis iam Arelatenſis Epiſcopus, Tridentinæ, Veronenſi, & Mantuanæ Præfectus Eccleſiis; ac demùm cum Saracenis, quos magna laude Fraxineto excuſſerat, quod ad ſinum Sambracitanum munitiſſimum caſtrum fuiſſe, ſuſpicio eſt, fœdus ignobile. At victus à Berengario Eporedienſi, alterius Berengarij, ex Ghiſela filia, nepote, quam non benè nitatur ſolium in vitiis edidicit. Feliciùs tamen
*Rex Monachus.* ei fuit vinci, quàm viciſſe. Quippe qui ex victore prauus euaſerat: ex victo, vt probus fieret, Monachum egit in Burgundiâ; in eius filio Lothario; cui velut in ſolatium, vt Rex diceretur datum eſt: defecit in Italia Carolina ſuboles: vt Berengario tandem ſine ſocio liceret Italiam, ſub Regis nomine, deprædari.

## CAPVT XIX.

## *De turbis Eccleſiæ Romanæ à Sergianis.*

EIus ſunt indolis res humanæ, vt nihil de ſuo creſcat. Nouum non exurgit Imperium, ſine veteris caſu. Sic Franci qui ex Longobardorum ruinis in Italiâ creuerant; ex ſuis viderunt reſurgere Longobardos; ſed quales conciderant, crudeles & impios. In Lamberto enim Spoleti, & Adelberto Thuſciæ Regulis experta Eccleſia eſt Deſiderios rediuiuos. Ab iis ita coniuratum in Carolum Caluum, quem Ioannes VIII. Pont. Imperatorem Romæ inunxerat, vt cùm alios è clero; tùm Formoſum Portuenſem Epiſcopum in ſocietatem adduxerint. Ob id Formoſus primò Romæ, tum Pontigone in Franciâ anathemate percuſſus, ne ſacris ille præeſſet; qui legitimo Imperatori ſubeſſe noluerat. Nec in Trecenſi poſteà Synodo receptus ante in gratiam eſt, quàm non repetiturum ſe ſacras infulas, interpoſito ſacramento declaraſſet. At cum poſteà Martinus II. dignum credidit; cui vna condonaretur culpa, ob virtutes plurimas. Sacramenti religione ſolutum dignitati reſtituit, vt eà, non diu poſt, promoueretur ad ſummam à Romanis, excluſo Sergio hominum ſceleſtiſſimo; quem Adelberti Thuſciæ Marchionis factio intruſum ibat. Hinc quot Roma cædibus; quot dignitas Pontificia ſacrilegiis violata eſt? Quid enim non audeant impij; quando vis

*Longobardi Reguli Italiam & Eccleſiam turbant.*

875 & 76

883

891

ſuppetit, vnde furorem expleant? Aderant porrò Sergianis non Thuſciæ tantùm Reguli, ſed Vvido etiam Imperator. Quippe non ponebant in vitio Formoſum laceſſere, quem periurum violato ſacramento, & diſciplinæ Eccleſiaſticæ corruptorem habebant, quòd ex alienâ Eccleſiâ tranſiiſſet ad Romanam; cum è Romano dumtaxat clero eligeretur ante Pontifex. Quamquam
896 Arnulfi, quem Vrbe captâ Auguſtum dixerat, ſubſidio fretus Formoſus, à ſceleratis pœnas ſubinde repetiit. At quem viuum exturbare è ſede nemo potuerat, eum nec in ſepulchro paſſus eſt Stephanus VII. ei
897 poſt breue Bonifacij Inuaſoris regimen ſubſtitutus. Hic enim exhumatum cadauer diris deuouit, ac in Tiberim mergi iuſſit: quos ad ſacra promouerat exauctoratis; quaſi nihil ab eo ritè fieri potuiſſet, qui eſſet ipſe vitio creatus. At Romanorum procerum præualente rurſum aduerſus Thuſcos potentiâ, exturbatur inuaſor, &
900 ſacrilegæ temeritatis pœnas laqueo exoluit. Dictum & in gregales anathema à Ioanne IX. in Synodo Romanâ, & Rauennate. Ex hoſtium pœnâ, exhumati Pontif. probari debuit innocentia. Quid enim, Innocentem non dicam; quando corpus eius à Piſcatoribus ad D. Petri reportatum, Diuorum Imagines, inclinato manifeſte capite, veneratæ ſunt? Nec proptereà Sergius reuerentior. Quin ſuorum demùm Thuſcorum auxilio, ad Cœnobium acto Chriſtophoro Pont. qui ſeptimo ante menſe Leonem V. è Patriarchio in carce-

*Impietas in Cadauer Formoſi Pont.*

*Extruſiones & intruſiones Pontificum.*

tem egerat, Papam ſe ipſe dixit; cum à ſuffragatoribus non diceretur, & ad ouile 907
Chriſti irrupit vt latro: cum non admitteretur vt paſtor. Statim renouauit in Formoſum anathema, eiuſque ordinationes, iam ante ab Stephano VII. impiè reſciſſas, & à Ioanne IX. in Synodis ratas habitas, iterum irritas dixit; quaſi eum poſſet homo nequiſſimus Reum facere; quem cœlites abſoluerant. In iſtum quam effuſus Adelbertus! Cui ne Maroziæ quidem ſuæ... Sed abeant peſsùm leges hiſtoriæ, *ante pudor quam te violem.* 907

## CAPVT XX.

### *Noua turba Eccleſiæ Rom. ex intruſis vi & detruſis Pontificibus.*

QVæ, occaſione Formoſi, cœpere Tragædiæ & ſordes, adeo non deſierunt in Sergio; qui fœdo illas halitu efflauerat, vt per ſæculum fermè Eccleſiam inquinauerint. In eius enim locum, poſt breuiſſimum Anaſtaſij & Landonis interuallum, Ioannem X. ſuffici curauit Theodora Maroziæ 912
mater, filià nihil honeſtior. At Maroſia pedum Pontificium quaſi pro fuſo habens, de quo vel cum matre contenderet; Pontificem non habuit, quem ipſa non fecerat, iſtumque poſt ſatis longum 16. annorum regimen trahi iuſſit in carcerem, & occidi. Hoc vno mihi probata fœmina, quod quamquam animo peruerſo Eccleſiæ vomicam feriuit 918
in capite. Poſt hunc ob id vnum viſus ſedere Leo VI. vt quantùm Patriarchium diſ-

*Intruſiones, & extruſiones Pontif.* ferret à carcere experiretur ſemeſtris Papa. Iſti, poſt Stephani VIII. biennalem adminiſtrationem ſubrogatus eſt Ioannes X I. ſpurciſſimi Sergij ex obſcœnâ Maroziâ
931 filius. Attollendus ſiquidem & hic fuit; vt ex illâ veluti rupe Tarpeiâ dejiceretur. Id & factum ab Alberico Adalberti ex Maroziâ filio. Nam indignatus, à matre poſt Vvidonis Mariti (qui & pater Adalberti erat) mortem, Hugonem Arelatenſem Vvidonis ex Berthâ matre fratrem, ad thori tyrannidiſque conſortium accitum, nouum Regem Vrbe pellit, impuram matrem, vnà cum Pontifice, & fratre trudit in carcerem,
937 & Vrbis dominium inuadit. Hinc arma, & vtrinque clades, & demùm Pax, Odonis Cluniacenſis ſtudio, conciliata: vt conſtaret non aliunde ſæpè magis, quàm è Cœnobiis petenda malis remedia, quibus reliquus orbis obruitur. Ad cumulum demùm furor venit, cum Octauianus, poſt mortem Alberici patris, duodeviginti ſummùm natus annos, ex latronum Duce, ſacrorum ſe principem dixit, aſſumpto Ioannis nomine. Feliciter Pontificum primus nomen mutaſſet, ſi vnà indolem. Sed quia in dignitate

*Papa Octodennis.*

955 ſacrâ prophanus manſit, prophanorum exitum ſubiit. Nam ab Ottone Magno, quem victorem Berengarij Eporedienſis Imperatorem inunxerat; ob ſocietatem cum hoſte initam, vrbe pulſus dignitate in Synodo
962 excidit, quâ non vtebatur niſi ad ſcelera. Adacti & Romani, vt ſacramento promit-
963 terent nullum ſe vnquam habituros pro Pontifice; in quem Imperator non conſen-

ſiſſet. At non diu duratum in fide. Nam Ottone Spoletum, contra Adalbertum Berengarij filium, digreſſo; ejicitur Leo, quem in cœtu Præſulum Otto Ioanni ſuffici curauerat; & à Ioanne, quem plebs reuocauerat, in Synodo ſacris mouetur. Imperatoris iracundiæ Ioannem mors dira ſurripuit. Ab vno Deo iudicari debuit, & plecti, in quem mortalium nemini ius eſt. De aſſeclis, qui Ioanni Benedictum ſubſtituerant, expugnatâ per famem Vrbe ſumptum ſupplicium: & Benedicto in Germaniam abducto, repoſitus Leo in tempus breuiſſimum; vt ei ſuffectus Ioannes XIII. ſuas quoque vices ferret, populo rebellante. Ob id rurſus in Italiam Otto, non ſolum vt Adelbertum redintegrantem tragædias comprimeret; ſed etiam vt Romanorum proteruiam quà virgis, quà ſuſpendiis; quà pœnis aliis vlciſceretur. Nec enim contumacibus veniam impetrauit reſtitutus vltro Pontifex ad vltoris aduenientis famam, quia nec reddidit innocentiam. Quippe extra culpam non ſunt, qui eà non abſtinent niſi ob pœnam. Denique, vt quo in Eccleſiam eſſet animo Imperator oſtenderet, Ioannem Pont. à quò inaugurari Imperio filium Ottonem voluit, dignitati plenè redditum non credidit; niſi ei quæcumque Tyranni ditionis Eccleſiaſticæ inuaſerant, redderentur.

*Libertas imminuta in eligendo Pontif.*

964

965

*Tyranni repulſi.*

## CAPVT XXI.

### *Nouæ turbæ Eccleſiæ Rom. ex intruſo Bonifacio & Creſcentio Conſule.*

POſt Imperatoris & Pontificis mortem recruducere diffidia: ad ingenium enim facile Turbones redeunt; vbi qui pacem fecerant ſublati ſunt. Motuum nouorum author Bonifacius VII. fuit, cognomento Franco S. R. E. Diaconus, qui Benedi-
974 cto VI. poſt tertium adminiſtrationis Menſem, in Carcerem truſo & ſtrangulato Pontificatum inuaſit. Benè quod in tempus bre-
974. uiſſimum vnius anni. Quamquam Eccleſiarum grauis ſpolijs, à Benedicto VII. viſus non eſt pelli Byzantium, niſi vt ab initio ferocior rediret. At nec in hoc prorſus malè. Nam in arcem S. Angeli, quam occupauerat, abducto Ioanne XIV. qui Benedictum exceperat, & quartum poſt menſem, fame enecto, eiuſque cadauere ad Caſtri
*Antipapa pœna.* fores proiecto; ipſe demùm tragediæ pars fuit; vt qui quarto tyrannidis menſe repen-
985. tinà morte perculſus, per compita raptatus ſit, vt qui viuens diu Romanos terruerat, eoſdem diſcerpti Cadaueris ſpectaculo, mortuus recrearet. Et hoc tamen Tyranni mutatio fuit; non Tyrannidis extinctio; cum Creſcentius Conſul, ex Hadrianà mole, Ioannem XV. Pont. & populum diuexaret. Auſus etiam in locum Ioannis demortui intrudere Ioann. XVI. pulſo Gregorio V.

quem annitente Ottone III. Imperat. ſuffragatores elegerant. Sed tunc accitus in auxilium Otto, Vrbem Victor ingreditur: Pſeudopapam auribus, & naſo reciſis, erutiſque oculis, ad ludibrium per compita circumduci iubet, facie verſus iumenti caudam versâ. Nec tyranno parcitum; quem tamen vt ex arce extorqueret, in fidem acceperat. Magna hæc in principe culpa; niſi ceſi tyranni ſcelera patrocinarentur. Quamquam vt culpa fuerit, felicem nemo negauerit, quam auſterâ in Claſſenſi monaſterio pœnitentiâ, & pedeſtri ad montem Garganum peregrinatione, ex Romualdi conſilio, diluit. Sic demùm pacatâ Româ, & collatis à Gregorio Imperatoriis inſignibus Ottoni conſanguineo; Germanis planè aſſertum Imperium; & ſua Pontificibus dignitas; ſua Eccleſiæ reſtituta. Si tamen eam vel tot dedecora infuſcauerant: Solem enim meritò dixeris; ſplendorem eius nobis ſubinde nubes eripiunt; non ipſi. Id Orbis tùm vniuerſus oſtendit; cum tot in Pontificibus, quos furor, non merita prouehebant, ſordes horruit; dignitatem coluit: & fœda tyrannorum: imo, ne quid ad turpitudinem deſit; Scortorum mancipia; Dei Vicarios agnouit. Quippe in eis Deus, ſe vult, non ipſos inſpici: vt qui ob priuata merita poſſunt eſſe contemptui; dignitate ſint venerabiles.

*Antipapæ pœna.*

996

*Penitentia Imperat.*

*Germanis aſſertum Imperium.*

*Non inficitur à ſuis miniſtris Eccleſia.*

## CAPVT XXII.

### *Imperium Occidentis Germanis aſſertum à Pontifice.*

NE ſuæ in Eccleſiam beneficentiæ Germanos pœniteret, in eos Pontificum ſuffragio tranſlata eſt Imperatoria dignitas. Et qui iam à quinquaginta circiter annis, excluſis Francis, ſuam ſibi Germaniam aſſeruerant, in eos Imperiale decus, & nomen
929 tranſmiſit Ioannes XII. Ottone, iam ex rerum geſtarum claritudine Magno, in Imperatorem inuncto. Dicas mutatâ indole fortunam, ex gentis, cui ſe probare volebat, genio, conſtantiam induiſſe, vt quam ſuæ nunquam liberalitatis pœnituerit. Quamquam & ad id incubuerunt Otto III. Imp. & Gregorius V. Pont. & ipſe Ger-
996 manus, Ottoniſque conſanguineus. Ab iis enim decretum, vt Germani tantum impoſterum ad Imperium promouerentur, ex Germanorum procerum ſuffragio, & inauguratione Pontificiâ. At inde ſepè diſſidia, vix enim erat, vt in vnum tot ſuffragantium vota conſentirent. Itum diu poſt obuiam malo, & in Lugdunenſi Oecumenica
1245 Synodo, ab Innocentio IV. Pont. Septemviralis electorum Senatus conſtitutus. Sic
*Septem Electores Imperii.* non vni addictum familiæ ſupremum decus: quia in gente nobili, plures eo dignæ. Non tamen ſatis cautum communi potentiæ, cuius damno plurimi priuatam auxerunt; &, vt fit, mali erun, opes creſceret quæ ſuæ eſſent, quàm quæ omnium. Ob

id antiquum robur diu non conſtitiſſet Imperio, ni demùm incubuiſſet in Auſtriacis. Hi ſummam potentiam in commune bonum firmauerunt, dum aſſeruere ſibi. Nec enim certa vnquam & diuturna Majeſtas Imperiis, niſi cum ex Imperantium virtutibus aſſurgit. *Auſtriaci.*

CAPVT XXIII.

*Anacephalæoſis de fide ad Borealia propagata.*

MIrum quod nec dum edoceri potuerunt Eccleſiæ hoſtes, diuinum ipſam eſſe opus, & quoddam quaſi terreſtre cœlum, in quod non alio tandem euentu inſana moliuntur noui Enceladi, niſi vt ſuam temeritatem, ipſius inuiolabilem firmitatem probent. Id ſemel tandem ediſcite, impij, nec ſperate ruituram, quam tot ex tyrannorum aſſultibus, tot ex portentis Pontificum, tot ex ſordibus miniſtrorum, adeo non concidiſſe cognoſcitis, vt tanquam cœlum poſt nubes & tonitrua, pulchrior enituerit. Quin etiam tum quando ſuæ maieſtatis & innocentiæ quoddam quaſi interregnum pati viſa eſt, victrices palmas longè latéque Septentrionem verſus protulit. Tum enim maximè completæ victoriç, quæ de S'auis, Danis & Noruegis, ante cæperant. Tum in obſequium venere Bohemi: leges accepere Hungari: manus dedere Poloni: & fidem promiſere Ruſſi. Ad hæc iam ſcribenda inclinat animus, vt ſi quid nauſeæ turpium ingrata narratio commouerat, pulchriorum adtextâ ſerie miſcelcat.

## CAPVT XXIV.

### *Fides ad Slauos, Danos & Noruegios propagata.*

IN Germaniam & Boreales tractus fidei lucem latè diffuderant Bonifacius Moguntinus, Carolus Magnus Haroldus Rex, Anſgarius Hamburgenſis & alij. Rebellatum aliquando tamen, vt maiori demùm gloriâ triumpharetur, & Germani Principes, meritò ſe in Imperio ſuffectos Francis oſtenderent. Sic Slaui Albis accolæ, quos fidei ritibus Corbeienſes in Saxoniâ Mona-
875 chi Benedictini informauerant, dum immodicæ pietatis rei, S. Vvitum, ex patrono, Deum faciunt, Ottonis I. ſtudio emendantur, Aldeberto illis eximiæ ſanctitatis viro in Præſulem, qui Magdeburgi ſedem

*Slaui ſuperſtitioſi.*

971 poſuit, aſſignato. In partem operis venit Ioannes XIII. Pontif. miſſis Doctoribus, qui noua illa germina diligenti culturâ imbuerent. Trepidatum iterum tamen, ex Bernardi Saxoniæ Ducis defectione: qui quaſi parum eſſet Imperatoris exuiſſe obſequium, à Deo defecit. Et ne ſolus delinqueret, per cruciatus, & cædes ſubditos, & Slauorum, ac Vuinulorum gentem ad impietatis conſortium traxit. At quis Deo eripiat, quos immutabili miſericordiſſimæ voluntatis de-
1012 creto, ipſe ſibi, antequam eſſent aſſeruit. Multos erebo addictos, per leges & perſuaſiones impias Tyrannus Apoſtata voluit: At ipſi ſe, diuino in pœnis corroborati ſubſidio, fecere Diuos. Rediit & Bernardus tan-

dem in obſequium Imperatoris, & Eccleſiæ, Vnuani Hamburgenſis Epiſcopi operâ. Nec dum tamen ceſſatum à periculis: Pluſſo, poſt victum & occiſum Godeſcalum piiſſimum Principem, cædibus & flammis in pios & Eccleſias debacchante. Inter alios eminuit tunc inuicta Ioannis epiſcopi conſtantia, qui omnibus, qui vitam fidei poſthabuerant, occiſis, ſeruatus eſt ad triumphum. Atque ideo per ſingulas Regionis vrbes circumductus eſt, ac demùm caput ejus conto præfixum ſuo Deo Redigaſt in victoriæ gratiam impij immolauerunt. Tot cladium inuidia Adalbertum Hamburgenſem onerauit; dum in Aulâ, vt fit, quàm in Eccleſiâ frequentior, ſatius habet Regis animum ſibi addicere, quàm populos Deo. Inde fremitus & populorum rebellio. Nouiſſimè coactus Imperator Præſulem dimittere, vt omnium poſthac eſſet, qui eius vnius hactenus fuerat. Ex culpâ in officio diligentior Adelbertus, ad concilium Daniæ Præſules juſſu Alexandri II. Pont. acciuit: ſed qui minùs obſequens Deo diu fuerat, parùm morigeros ſibi ſubditos Præſules expertus eſt. Nec propterea minùs vtilis Eccleſiæ ipſius in Daniam profectio. Danorũ contumacia, in Noruegiæ & Sueciæ bonum ceſſit; quos miſſis Euangelij præconibus, & Epiſcopis Chriſto aſſeruit. Ad has tamen palmas pauló ante præiuerant, tùm Olaus Sueciæ & Noruegiæ Rex, tùm ipſi in Noruegia ſuffectus S. Olaus; vt quas iſte cæſus ab impiis ſanguine ſuo irrigaſſet. Debuerunt etiam plurimum Vlfrido Anglo Præſuli;

*Saxoniæ diſcrimẽ.*

*1065*

*1067*

*In Dania & Noruegia Chriſtianitas.*

qui quod idola confregiſſet, diſcerptus ab idololatris, Diuorum numerum auxit, cum Deos falſos comminuit.

## CAPVT XXV.

### *Fides in Bohemiam diffuſa.*

IN Bohemiam quoque errorum tenebris immerſam veritatis ſe fulgor effudit. Gentem illam ex Gallis & Slauis mixtam, Methodius Morauorum Apoſtolus ab Ha-
880 driano II. Pont. conſecratus, fidei myſteriis initiauerat. Boruuius tum & Vratiſlaus Duces præiuerunt ad pium obſequium; vt puderet plebem rituum, quos Principes abiecerant. Non euulſa tamen tunc in totum ſuperſtitio; vt ex eius in aduerſum obniſu, magis verus in Deum cultus inualeſce-
*Regina im, ietas.* ret. Quid enim Drahomiræ, poſt Vratiſ-
938 laum conjugem, Vvenceſlai filij nomine prouinciam regenti ſua profuit impietas? quid Boleſlao, qui, Vvenceſlao fratre cæſo,
*Vvenceſlaus Rex Martyr.* regnum inuaſit, ſua ferocia; niſi vt pulchrius fides eniteſceret, poſt turbida? Nec enim eius decori parua acceſſio Vvenceſlaus
890 Martyr, & Boleſlaus Pius. Iſte adiuuante Vventio, quem Adelbertus Magdeburgenſis, de ſe nuncupatum, in Pragenſem Epiſcopum conſecrauit, res fidei in integrum reſtituit: & quod Otto Magnus continuato ad annos quindecim in Boleſlaum impium bello, valde promouerat, feliciteꝗ abſoluit.

## CAPVT XXVI.

### *Pontifices noni ſæculi.*

LEo III. Adriano ſuffectus non Apoſtolico tantùm zelo, ſed patientiâ quoque verè chriſtianâ gradu ſe, quem aſcenderat, dignum probauit. Paſchalis enim primicerius, & Campulus Saccellarius in publicis cum litaniis ſacrilegè interceptum, effoſſis oculis, euulsâq; lingua in S. Eraſmi Cœnobio addixerunt. At loquendi videndique uſu diuinitus recepto, ſubductus furtim ab Albino cubiculario, & Spoletum á Duce, qui ad ſacrilegii rumorem cum copiis accurrerat, abductus, indeque profectus in Galliam Carolum Regem ad vltionem acciuit. Cum eo itaque reuerſus, ſeque ſcelerum, quæ objiciebantur à ſacrilegis purum obteſtatus, vt ſceleratorum, quos morti Carolus adiudicauerat, exilium ſolum pœna eſſet impetrauit. Hinc ſua Pontifici dignitas cum cumulo reſtituta; & Carolo majeſtas inſigniter adaucta, cum eum, plauſu alibi explicato, Imperatorem Occidentis Leo dixit, cum aſſenſu populi. Mantuam poſtea profectus, miraculum de Chriſti ſanguine exploraturus; in Gallias & Germaniam digreſſus iterum eſt. Ibi S. Suiberto in Beatorum canonem adſcripto (hunc primum eſſe dicunt, qui ſpeciali ritu dictus à Pontifice Sanctus eſt) multiſque muneribus acceptis, Romam repetiit, eamque Xenodochio ad S. Petrum, aliiſque ſacris ædibus aut conditis, aut reſtitutis exor-

*Leo III. LXXXIX. 795 25. Dec.*

*Impiè violatur.*

*Euadit in Galliam.*

*Reſtituitur à Carolo. Carolū dicit Imperat.*

*Primus publice dictus ſanctus.*

*Primus præſul Compoſtellæ.* nauit. Compoſtellæ in honorem S. Iacobi, cujus eâ in ciuitate ſummâ veneratione coluntur reliquiæ, conſtituit Epiſcopum. Sacris tandem Rogationibus, ob terręmotum inſolitum Romæ inſtitutis, ut diu ante Viennæ Allobrogum à S. Mammerto factum fuerat, exceſſit, ac inter Diuos relatus
816 11. *Iuin.* eſt, 20. ſedis an. m. ſ. d. 17.

*Steph. V.* C. 816 21. *Iun.* *Stephanus V.* unctione Pontificia ſacratus in Galliam profectus eſt, ibique Ludouicum Pium, & Hermengardem eius ſponſam in Augg. inunxit. Tum illis qui in Leonem ſacrilegi fuerant impetratà veniâ, Romam repetit, ſeptimo ab electione menſe moriturus.

*Paſch. I.* CI. 817 26. *Ian.* *Ludou. Pij liberalitas in Eccleſ.* Paſchalis I. regimen beatum reddidit Ludouici Imperatoris pietas pluſquam liberalis. Nam & lege ſanxit, ut non expectato Imperatoris aſſenſu, vt ab aliquo iam tempore fieri conſueuerat, Pontifices ſacrarentur: & ut quæ Pater Auuſque ditioni Pontificiæ Regiâ planè liberalitate attribuerant, rata in perpetuum haberentur. Tùm inuncto Romæ Lothario, quem Pater in Imperij ſocietatem cooptatum Italiæ Regem dixerat, amolitus eſt à ſe inuidiam
*Calumnia.* criminis, quo Thedorus Primicerius, & Leo Nomenclator, quòd in turbis Italicis, proniores in Francos viderentur, effoſſis oculis, in Lateranenſi palatio cæſi fuerant. Quâ enim ratione in ciues innoxios, atque adeò in Francos optimè de ſe meritos impius fuiſſet optimus Papa, qui in Orientales adeo beneficus fuit? Quos enim Leo Armenus, & poſteà Michael Balbus, ob ſacrarum

ſacrarum cultum imaginum vexauerunt, & per literas ſolatus eſt, & profugos Romæ benigniſſimè excepit, conſtructo etiam monachis eâ de causâ pulſis monaſterio; & legatis ab impio Theodoto Byzantino Patriarchâ miſſis ab alloquio excluſis. incunte demùm octauo Pontificatus anno exceſſit. *Benignitas.* 824 14. *Mai.*

*Eugenius II.* abdicato Zonſino, quem aliqui in Antipapam obtruſerant, unà cum Lothario, ad componendum diſſidium Romam profecto, ne poſthac in electione Pontificum ſchiſma naſci poſſet, quantum licuit, prouidit: ac ineunte quarto Pontificatus anno excedens locum *Valentino* fecit ad quadraginta duntaxat dies. *Eugen. II. CII.* 824 *Valentin. CIII.*

*Gregorius IV.* eductus è latebris quibus dignitatem fugiens ſe abdiderat, jugo collum inuitus ſubdidit, quod alij per artes ſacrilegas ſæpe quærunt. Conſtitutâ Hamburgi metropolitanâ ſede, in promouendâ apud Danos & alios Boreales populos Chriſti lege tàm felix, quàm infelix in componandâ diſcordiâ, quæ in Ludouicum Pium filios armauerat, in Gallias ad hoc digreſſus. Nec filiorum rebellium aduerſus optimum patrem fouiſſe partes inuidiâ caruit; quòd intentato etiam anathemate in ipſum, & ipſi addictos præſules, iniquis legibus pacem magis iubere, quàm ſuadere videretur. Quàm felicius inſtauratâ nuper aduerſus ſacras Imagines certamina extincta demùm vidit, Theodoræ Auguſtæ, & Michaëlis Porphyrogeniti ſtudio; hæreſi planè reſciſâ; præſulibus ad ſanam vbiuis fi- *Greg. IV. CIV.* 827 24. *Sept.* *Fidem in Daniam promouet.* *Iniquus in Ludouicum Pium.* *Iconomachia extincta.*

dem adductis. Eam victoriam vel præſagierat, vel meruerat pius Pontifex, dum aliquot annis ante, Feſtum omnium SS. quod Romæ dumtaxat celebrari conſueuerat, in vniuersà Eccleſià ſolemne eſſe voluit: dignus vel ob id, qui eorum numerum augeret; vbi ſexdecim annos Eccleſiam ſanctiſſimè adminiſtraſſet.

*Feſtum omnium SS.*

843

*Serg. II. C V.*

*Sergius II.* in Ludouico Lotharij filio, quem Italiæ Regem inunxit, dubium an & Imperatorem; hoſtem fermè expertus eſt, Italià ab eius Romam aduenientis copiis vbiuis direptà. Inualuere clades ex Saracenorum ferocià. Ex Affricà namque digreſſi, Scicilià, & aliis interiacentibus euaſtatis, ipſas SS. Petri & Pauli Baſylicas, quæ extra vrbem tunc erant, impiè deprædati ſunt. Tot ex malis contabeſcens Pontifex, vbi ſediſſet annos tres, menſem vnum, exceſſit.

844

*Saracen. Sacri'egia*

847

*Leo IV. C V I.*

847

Leo IV. eodem, quo Sergius exceſſit, die Pontifex dictus electionis Pontificiæ libertatem aduerſus Lotharium ſtrenuè aſſeruit. Baſiliſcum, qui peſtilenti halitu non paucos iuxta ædem S. Luciæ peremerat, efficaciori diuini feruoris Spiritu, in litanijs ad id indictis ipſe peremit; incendium quod, plurimis iam conſumptis ædibus, Vaticanæ imminebat, ſigno Crucis extinxit. De Saracenis, qui nouà claſſe ad nouas prædas, iam Oſtiam appulerant, à Neapolitanis & finitimis, ipſius, qui cum multis è Clero, & alijs ad periculum accurrerat, hortatu ingens victoria relata eſt. Vaticanum circumductis mœnibus vrbi iunxit, ne poſt-

*Serpens. Incendium.*

*Saraceni fuſi.*

hac impijs ad ſacras Baſylicas aditus liber eſſet. Et ex eo ciuitatis illa pars dicta *Leonina*. Pretioſa ſupellectili plurimas Eccleſias locupletauit. In Synodo tandem diſciplinâ Eccleſiaſticâ ſanctiſſimè reſtitutâ, & Anaſtaſio Cardinale, quod diu ſuum apud titulum reſidere non curaſſet, abdicato, exceſſit ineunte nono Pont. anno; ac Diuorum in album adſcribi meruit, poſt mortem, quos in vita virtutum meritis expreſſerat.

*Ciuitas Leonina.*

*Cardinal. abdicatus* 855 15. *Iul.*

Benedictum III. ritè Leoni ſubſtitutum Turbones aliqui è Patriarchio abduxerunt, intruſo Anaſtaſio, vt vniuerſæ Eccleſiæ præficeretur; quem vel vnius indignum Leo abdicauerat. At breui poſt, ex Sacrilegij conſcientiâ perculſi ſchiſmatici, abdicato Antipapâ, Benedictum venerati ſunt ad tres non totos annos.

*Bened. III* CVII. 855 *Schiſma.* 558 16. *Febr.*

*Nicolaus I.* Supremæ omnium dignitatis tàm capax, quàm parùm auidus, Benedicto, quem propriis manibus ſepelierat, fugiens & inuitus ſuffectus eſt, præſente & applaudente Imperatore Ludouico. Photium, qui abdicato Ignatio, Eccleſiæ Byzantinæ regimen inuaſerat, ſacris mouit, vnà cum gregalibus, atque adeo propriis Legatis; qui ſacrilego ſe cum Impiis aſſenſu polluerant. Anathema etiam dixit in Lotharium Auſtraſiæ Regem, necnon in præſules, qui ſacrilegis eius cum Vualdrade nuptiis aſſenſi erant: atque etiam in Legatos, quos ad pellicatus patrocinium Rex adduxerat. Cum Hincmaro Rhemenſi, tùm ex propriâ nequitiâ, tùm ex gratiâ, qua multùm valebat apud Caro-

*Nicol. I.* CVIII. 858

*Photium abdicat.*

*Lothar. Reg. excommunicat.*

lum Caluum, contumaci & refractario
*Hincmari Rhemenſis proteruia.* fuit ipſi diuturna concertatio. Nam quos ab Ebbone Rhemenſi ordinatos deponi curauerat, reſtituere diu detrectauit. Ne Rhotaldus Sueſſionenſis præſul, quem per præſules aulicis magis artibus, quàm Eccleſiaſticis legibus imbutos abdicauerat, Pontificem, ad quem prouocauerat, adiret diu prohibuit: nec Innocentem ante ſedi ſuæ reſtitui paſſus eſt, quàm anathematis, &
*Rauennæ Epiſcopũ reprimit.* abdicationis metu cogeretur. Ioannem Rauennæ præſulem authoritate ſacrà ad prophana abuſum, cum nec reſipiſceret ad monita, nec Romam iuſſus accederet, diris deuouit: nec ante dignitati reſtituit, quàm Romæ in Synodo reſipiſcentiam promi-
*Bulgaros curat.* ſiſſet. Bulgaros fidei legibus, per Paulum Populonienſem, & Formoſum Portuenſem præſules, informauit. Epiſtolas blaſphemiis plenas, quas impulſu Photij Michaël Imperator ad ſe miſerat, igne damnauit, refutatis accuratè blaſphemiis, & in Romanam Eccleſiam congeſtis calum-
867 niis, & ad eas refellendas præſulibus Gal-
*13. Nou.* liæ ſollicitatis. Ob hæc & ſimilia *Magni* cognomen adeptus vix infra Leones & Gregorios haberi meruit. Exceſſit Pontificatus anno 9. m. 6. d. 21.

*Hadriani.* Hadrianus II. quantus eſſet futurus
CIX. Pontifex exhibuit; cum 40. denarios,
867 ad ſumptus domeſticos, à Sergio acceptos
*24. Dec.* egenis, qui mendicabant ad ianuam erogari iuſſit: cum verò negaret œconomus eam ſummam multitudini egenorum ſufficere, ſingulis ipſe per ſe ternos denarios diſtri-

buit, totâ diuinitus ſummâ reſtante. Pontifex verò breue intra tempus factorum numero, & pondere diuturnum plurimorum regimen exceſſit. Nam in octauâ Oecumenicâ Synodo Byzantinâ, abdicato cum fautoribus Photio, Ignatium alioſque reſtituit. Lotharium Regem pœnitentiam periurio mentientem ita in gratiam admiſit, vt proximæ ipſum vltionis admonuerit. Carolum Caluum Lotharij, qui in periurij pœnam exceſſerat, regnum inuadentem, ab vſurpatione primùm per Legatos, deinde per intentatum anathema retrahere conatus eſt, zelum Pontificis arguente Hincmaro Rhemenſi, & Apoſtolicum in alio animum, quem aulicæ in ipſo artes corruperant, reprobante. Ex eodem Hincmarus animo proprijs commodis iura quæque poſthabente, Hincmarum Laudunenſem Epiſcopum nepotem ſuum, quòd ipſius ſtudijs non ſatis aquieſceret, & ſedis Apoſtolicæ dignitati liberiùs ſtuderet, in Synodo, an Latrocinio Duziacenſi abdicauit, & nihil prouocationem eius ad ſedem Apoſtolicam, Pontificiſque literas moratus, carceri addictum oculis priuauit. Ad hæc & alia facinora Caroli poteſtate abuſus vel contra Pontificem. Obijt Pontifex, cum ſediſſet an. 4. m. 10. d. 17.

*Synodus VIII. Byzant.*

*Lotharij periurium.*

*Hincmari Rhem. iniquitas.*

872. 1. Nov.

Ioannes VIII Hadriano ſuffectus intra decennium, quo Eccleſiam rexit, tres Imperatores inunxit, Carolum nempe Caluum, Ludouicum Balbum, & Carolum Craſſum, licet Italiæ proceres id ſibi decoris deberi potius contenderent. Hinc Caluo ex Italiâ

*Ioann. VIII. C X.* 872 23. Dec.

*Motus in vrbe.* digreſſo, Tuſculanorum Comitum ſæpius in eum renouata coniuratio; quam nec anathemata, nec apparatus bellicus ex Franciâ, quò Pontifex euaſerat, vmquam extinxerunt. Quippe cum non ex iuris intuitu quibus debebatur: ſed ex carnis prudentiâ, à quibus plus gratiæ ſperabatur, dignitas imperatria deferretur, vt fruſtra cederent malè-ſuada conſilia Deus ſinebat. Hinc Saracenorum ad Romanum vſque agrum inſtaurata ſæpius deprædatio, non militari vrtute ſtrenuè repreſſa, ſed annuo *Tributo Saraceni pulſi.* tributo indecorè redempta, Deo ex ſufflante Conſilium, quo Bozonem comitem ad ſui præſidium, in filium adoptauerat. Nec proſperiori euentu Photium, totum ex ſceleribus compactum hominem recepit in gratiam, dignitatique reſtitnit: nec ſatis fuit ad eluendam facilioris indulgentię culpam, reſcidiſſe quod approbauerat. Cum apud improbum pluris fuerit ſurreptus per fraudem aſſenſus, quàm ex iuſtitia reuocatus.

*Photius in gratiam receptus.* 882 25. *Dec.*

*Marinus* ter digniſſimè legatione apud Byzantinos Principes functus, emendaturus videbatur, quod deceſſor peccauerat, damnato iterum Photio, Formoſo Portuenſi, quem Ioannes coniurationis Tuſculanorum comitum ſuſpectum ſacris temerè mouerat, in gratiam recepto, ni eum mors poſt annum abſtuliſſet, relictâ ſede *Hadriano IIIo* ad m. 15. d. 19.

*Marin. III. CXI.* 883 *1 Ian.*

*Hadr. III. CXII.* 885

*Stephanum VI.* feliciùs multò regimen fuit, vt qui non ſolùm impetratâ precibus pluuiâ, & locutis quæ fruges vbiuis depaſcebantur aquæ benedictæ aſperſione diſſipa-

*Steph. VI. CXIII.* 885

tis, ſuam terræ fœcunditatem reddiderit; ſed calumniis etiam, quibus Baſilius Imperator vnà cum Photio, & Romanos Pontifices, & ipſam Romanam Eccleſiam impiè impetebant ſtrenuè repulſis, & vſu veritatis ad candens ferrum vel aquam feruidam probandæ tunc vſitatiſſimo, ſcriptâ ad præſulem moguntinum epiſtolâ reprobato, Photium abdicatum ſine ſpe reditus viderit, promoto in eius locum Stephano Leonis Imper. cognomine *Sapientis* fratre, ineunte ſexto Pontificatus anno exceſſit. *Photium abdicat.* 890

*Formoſus* poſt Stephani obitum ex aliâ Eccleſiâ, ad Romanæ regimen præter vſum & ſacros Canones aſſumptus turbis teterrimis, de quibus alibi, viam aperuit; tametſi ex virtutum plurimarum pretio, tanto gradu non eſſet indignus. Quamquam non prorſus culpâ videtur caruiſſe, dum Vvidonem Spoleti Ducem, quem Ioannes VIII. in filium adoptauerat, Imperatorem dixit. Hinc enim aliorum procerum, nedum Francorum Regum ferociam in ſe conciuit, Vuidone inſuper tanto ſe gradu indignũ, ex ingrato in benefactorem animo demonſtrante. Inde Arnulfus Germaniæ Rex ipſius aſſenſu Romà potitus ab eodem coronatus eſt Imperator. Obijt ſexto Pontificatus anno. *Formoſus* CXIV. 891 *L.6.c.18.* 896 14. *Dec.*

*Bonifacius VI. Stephanus VII. Romanus*, & *Theodorus II.* ordine Pontificatum adepti finius reliquum ſæculi vix impleuere. *Bonifacius* ad dies quindecim. *Stephanus* ad annos circiter quatuor. *Romanus* ad totidem menſes ſacris præfuerunt, an ea polluerunt; vt quos vi irruſos, *Bonif. VI.* C X V. *Stephan. VII.* CXVI. *Romanus.* CXVII.

*Theodor. CXVII. L.6.1118.* vis extrūſerit. Theodorum mors ſua abſtulit vigeſimæ Pontificatus die. Quo vero ſacrorum & Eccleſiæ probro, Stephanus in Formoſum, & eos quos ſacris initiauerat ſæuierit, cum alibi retulerim, hic non inculco.

## CAPVT XXVII.

### *Fides in Poloniam diffuſa.*

*Reginæ pietas.* FIdei victoria de Bohemia, Polonicæ auſpicium fuit; imò & cauſa, dum Da-
996 bráua Boleſlai filia, amari non vult ab homine, cui Chriſtus eſſet in odio. Inde enim Miſco Polonorum Princeps fit Chriſtianus, & Eccleſiæ ſe filium prodit, vt Heroinæ Maritus audiat. A Principe manauit in ſubditos fides, annitente Ægidio Tuſculano Præſule, quem ad id operis Ioannes XIII. Pont. delegauerat. At non diu poſt
1034 corrupere beneficium Bohemi, cùm Bretiſlao Duce Regnum lacerant, quod Chriſto aſſeruerant, & Eccleſias deprædantur, quas Bohemæa regina condi curauerat. Quamquam in lucrum iactura demum ver-
*Rex monachus & rurſum in ſolio.* tit. Vtile fuit terrenum vaſtari Regnum, vt Caſimirus profugus, cœleſtis candidatus fieret in Cluniacenſi Cœnobio. Sed breui poſt inueſtigatum ſubditi, & ex Be-
1041 nedicti IX. Pont. ſententia votorum ſolutum vinculo, Regno poſtmodùm, in accepti beneficij gratiam; Romanæ ſedis ſtipendiario, reſtituunt. Felices! quibus datum eſt Regi parere, qui diu paruerat: nec enim felicius diſcitur imperandi ſcientia, quàm obſequendo.

CAPVT

## CAPVT XXVIII.

### *Fides in Hungariam diffuſa.*

AD Hungaros quoque progreſſa fides, ex Bohemiâ. Hi ex Hunnis & Auaribus mixti, & jamdudum Pannoniarum incolæ, cœlum mutauerant; non animum. Ex more diu Saxoniam, & Italiam, per cædes, & incendia populati; mirùm quantùm paſſim Eccleſiarum disjecerant: etſi, reſilientibus in eos aliquando flammis, quibus conflagrabant Eccleſiæ, præſertim in Saxoniâ, & Bremæ, ſacrilegæ veſaniæ pœnas ſubinde dederint. Sed demùm ab Henrico Aucupe, & Ottone filio magnis cladibus attritos, ad ſalutis monita faciles eos habuit Adelbertus Pragenſis præſul; quippe cùm Bohemos, quòd cum idololatriâ, obſcœnitatum conſuetudinem nollent exuere, veluti conclamatos deſeruiſſet, migrauit ad Hungaros: & Geisâ, Principe Chriſti legibus addicto, auſpicatus eſt in Regno nobiliſſimo victorias; quas poſteà Stephanus Geiſæ filius nouis ſubinde auctas, triumphi gloriâ coronauit. Meritò hunc ex Duce Regem dixit Syluester II. qui ſub auſpiciis SS. Martini & Georgij, victis idololatris, qui rebellauerant, lætiſſimè Chriſti Regnum propagauit. Quid Heroi nobili negaſſet id honoris Dei Vicarius; cui Deus ipſe thronum in cœlo parauerat? Nulli iuſtiùs in terris nomen regale datur; quàm cui nec regnum in cælo Deus negat.

*Hungarorum ferocia.*

*916*

*898*

*S. Stephanus.*

*797.*

## CAPVT XXIX.

### Fides in Ruſſiam propagata.

RVſſis etiam, qui & Pruſſi, Roſſolani, & Moſchi; per hæc tempora prorſus illuxit lux Euangelica, quos anteà non illuſtrauerat, niſi vt quàm cæci eſſent innoteſceret. In pœnam quidem euaſtatæ quondam Euxini maris oræ, diuinitùs vexati, & mali ſenſu authorem agnouerant; & per impetratos à Baſilio Macedonico Orientis
867 Imper. Sacerdotes, externa curauerant, internorum remedio: vt cladium quas fecerant præmium eſſet ſalutis prærogatiua. At non longa fides Barbaris: redierunt ad impia, cum impietatis pœna ſentiri deſiit:
941 & incenſis Eccleſiis, Chriſtianiſque contrucidatis; diuinam in ſe iracundiam iterum
970 prouocauerunt. A Conſtantino itaque VIII. & à Ioanne Zemiſce Imperatoribus magnâ clade cæſi; nec renouatâ calamitate molliti ſunt; qui à primâ, bonâ fide non ſapuerant. Ac breui poſt, quàm ęgrè Boreales illi populi ad fidei lucem incaleſcerent, expertus eſt Adelbertus Pragenſis; ab iis mortem paſſus, quibus vitam obtulerat. Quamquam quos viuus non flexerat per oracula; magnam partem mortuus ſubegit per miracula. Inde Bonifacio Ottonis III. Imper conſanguineo, qui vitam monaſticam ſub Romualdo aliquandiu profeſſus, & ad S. Bonifacii exemplum, ad martyrii palmam, ex euangelicâ prædicatione incitatus, annuente Gregorio V.

*Adelbertus Martyr.*

Rom. Pont. à quo epiſcopali charactere ſignatus eſt, ac Adelberto ſubſtitutus, parcitum ab impiis eſt. Quippe exiſtimarunt minùs damni priſcis ritibus illatum iri per viventis verba, quàm per interempti prodigia. Sic veritati apud ſe demùm viam faciunt; dum occludunt: Nam dum ad fi- 1008.
dei experimentum, ignem illæſus calcat *Prodigia.*
Apoſtolus, conuerſo ad prodigium Rege; idololatriam Regno toto proculcat. Nec obſtitit aliquandiu Regis frater, niſi vt majori ipſe prodigio caperetur: Cum enim ad vltionem Apoſtoli, quem impius trucidauerat, Rex accurreret; parricidam, & conſcios rigentes, & immotos, tanquam ſtipites, offendit. Obriguit & ipſe primò 1008
ad ſpectaculum; tùm ab armis conuerſus ad preces, quos cæſo victimas deſtinauerat, cultores addixit. Exinde latè fides, ad quod Bruno Præſul, ob id etiam cæſus, feliciſſimè laborauerat; incultam & impexam illam barbariem manſuefecit. Æquauit Epiſcopos pietate Demetrius, cùm per filium Romam ad Gregorium VII. Pont. 1075
miſſum, D. Petro ſuas prouincias vectigales *Ruſsia*
fecit: eas ſibi fore morigeras arbitratus, ſi *D. Petri*
Romanæ illas Eccleſiæ ſubdidiſſet. Super- *vectigalis.*
fuere tamen in gente populoſiſſimà qui ritus Ethnicos mallent, ne poſteris principibus deeſſet, in quo pietatem probarent. Inde mouens in ipſos Ottocarus Rex Bohe- 1255
miæ; perduelles latè cecîdit; niſi ſi qui vitam baptiſmo redimerent. Felices in clade, qui dum ſemel mori timent; ne ſemper moriantur, cauent.

## CAPUT XXX.

### *De rebus Saracenicis in Italia & Oriente.*

BOrealibus victoriis reſarcitum Eccleſiæ, ſi quid in Oriente interea damni tulerat: nec enim quieſcebant Saraceni, quos Erebus non effuderat; niſi vt per clades
781 & ſacrilegia totus Orbis Erebus fieret.
805 Hinc Irene, & Nicephorus Augg. ad annuum tributum adacti, Aaronis viribus:
822 Hinc in Creta, ad iugum Candacem, (inde *Candia*) conſtructa Arx, quæ inſulæ eſſet ſpoliarium. Hinc occupata Sicilia Euphe-
827 mij hortatu, qui raptæ Monialis reus, in
*Saraceni in Italia* Africam fugerat; vt novo ſacrilegio primum obrueret. In ea Inſulâ Italicis proluſum cladibus, nec difficiliùs ex Siciliâ tunc in Italiam à Saracenis trajectum, quàm
843 olim ex Italiâ in Siciliam Romani tranſmiſerant. Præſertim cum duo tùm Beneventani Duces inuicem commiſſi impios alter ex Siciliâ, ex Hiſpaniâ alter ad auxilium; an ad prædam acciuerint. Tunc captum Beneuentum, incenſa Capua, & alia paſſim ferro & flammâ direpta. Caſſinenſe autem Cœnobium Barbaros ita euaſit, vt hoſtem nihil minùs ſacrilegum in altero è Beneuentanis Ducibus Sigenulfo experiretur. Hic enim mutui ſpecie in vaſis ex auro puriſſimo 130. libras; ex argento 900. in auro ſignato 32000. ſolidorum aureorum; abſtulit. Vt quod Francorum imprimis Principum pietatis ac beneficen-

tiæ illuſtre monumentum erat, in Italico tyranno fieret impietatis & auaritiæ ſacrilegum incitamentum. Vt verò quam è Caſſinenſi Cœnobio prædam Barbari ſperauerant uberiùs reſarcirent, Baſylicas SS. Petri & Pauli ad Romam omni opulentià refertas deprædati ſunt. Nempe vt nouo miraculo diſcerent, prædam è ſacro *Aurum Tholozanum* eſſe. Hinc enim demerſa claſſis cum prædâ, quaſi vereretur pelagus ex ſacrilegio maculam. Ex periculo monitus Leo IV. Pont. præſidio cauet in poſterùm: & templum vnà cum ſuburbio, circumducto muro, vrbi jungit. Nec tamen ceſſatum à Barbaris, etſi fluctus redeuntem claſſem hauſerint: & Ludouicus II. Imp. copias pedeſtres, in Calabrià, non ſemel fregerit: & Abdala eorum Princeps, ad altare prope Salernum, conſtuprans virginem delapsâ mirabiliter trabe perierit, illæsâ virgine; quin tandem Ludouico mortuo, ipſum, nefas! Pontificem Ioan. VIII. ad annuum 25000. Mancuſorum argenti (id erat tum nummi genus) tributum adegerint. Parem ignominiam dum cauet Athanaſius Neapolitanus Prçſul, exaggerat; quando nihil Pontificis diras moratus, cum impiis fœdus iniit. Quid mirum? conſultum ab eo dignitati, per ſummum dedecus; quam, ejecto Athanaſio patruo, probatæ ſanctitatis Præſule, & excœcato Sergio fratre, per ſummam impietatem inuaſerat. Quàm glorioſiùs ad fontes Vulturni nonaginta monachi, combuſto à barbaris monaſterio, concide-

*866 Saraceni perculſi.*

*Pontif. tributarius Saracenis.* 877

879 *90. Martyres.* 884

runt? quàm illuſtriùs conflagrauit Caſſinenſe Cœnobium, Abbate Bertano ad altare cæſo? Ita perire omni victoriâ, nedum probroſo obſequio, nobilius eſt. Conati quidem aliquandiu poſt Chriſtiani labem purgare, & recuperare perdita, cæſis ad Gariliamum
915 impiis: At faciliùs fuit, illos è viuis pellere, quàm ex Italiâ; donec eos Normanni ex Siciliâ quoque depulerunt. Largo tum fœnore penſatum quidquid olim damni in Gallis gens illa intulerat. Ne pudori ſit ortus ex ſacrilegis, vna illa de impiis victo-
1040 *Normani vindices Italiæ Sarac.* ria, quas majores de piis reportauerant, emendat. Nec ſegniùs impiorum injurias vltum ibat in Oriente Nicephorus Phocas, Cypro, Cretâ, Antiochiâ, & aliis receptis; ni ſacri belli prætextu inieciſſet in ſacra manus; & Martyrii gloriam militibus in acie contra infideles cæſis pugna-
*Sarac. in Oriente fracti.* ciùs quærens; eiſque populationum licentiam apud ſubditos ignauiùs faciens, ut eos
964 ſibi magis addictos, & in periculis minùs pauidos redderet; ſuis multùm gloriæ victoriis detraxiſſet. Feliciores in victoriis Ioannes Zemiſces, & Baſilius Porphyrogenitus; vt qui profligatis ad Antiochiam, & alibi Barbaris; bellicum decus, pietatis laude cumulauerint. Ille quidem ne, quod ſuum in victoriis erat, amitteret; totas Deiparæ, ac Martyribus Georgio, & Theo-
795 doro attribuit. In Chriſtum verò quis ejus ſenſus? quem Imp. primus imprimi curauit in nummis, & illis aureis; vt ſic ſtudioſius coleretur? Quis enim non coleret; quod in auro impreſſum, auro ipſo pretioſius eſt?

Alter verò Imperium, quo inter pugnandum ſe abdicaturum vouerat, retinuit quidem, ſed vt nouo prodigio Monachum ageret in purpurâ: quando indutus cilicium, abdicatis Venere & quibuſque deliciis, ſibi nihil ex Imperio voluit; niſi curam imperandi. Miraculis interea Orientem defixerit magnum ipſe miraculum Nicon Monachus; & identidem per prouincias inclamando, *pœnitentiam agite*, Chriſtianitatem propemodùm expirantem exſuſcitauerit. Quantula tamen hæc ad Baſilium! Cilicium & purpuram; Imperatorem & Monachum, fine alterutrius labe miſcuiſſe, ſupra omne miraculum eſt.

998

*Imperatoris pietas.*

960

*Nicon Monachus.*

## CAPVT XXXI.

### *De cladibus Saracenorum in Hiſpania.*

SAracenorum in Oriente diu formidata potentia tandem corruit; quid enim in terris ſemper in ſummo durat? At hoſtes inde mutauit Res Chriſtiana, non fortunam: incubuit Turca infeſtior, quantò recens & integer hoſtis, ſupra veterem & effœtum robuſtior eſt. In Hiſpaniis verò, vt tardiùs, ſic feliciùs Barbari perierunt. 905
Obſiſtere viſi diutius ſunt, ut ex eorum pertinaciâ, creſcente principibus Chriſtianis animo, radicitùs demùm conuellerentur. Huius operis primum decus Legionis & Caſtellæ Regibus vindicatum. Hinc Alfonſus III. cùm ſuis, tùm filij Garciæ, cui Regnum totum ceſſerat, ne diſcordiâ ſcindere-

tur in partes, auſpiciis, impios ſæpè ſtrauit, ex victoriarum claritate, jure *Magnus*:
Aui premens veſtigia Ramirus Ordonii filius, octoginta infidelium millia uno prælio
*Victoria.* cæcîdit. Nec alternatū aliquando à Barba-
936 ris Legione captâ, vaſtatâ Galæciâ, & multis paſſim vrbibus incenſis, niſi vt exciti Chriſtiani Principes ex cladibus, quibus per priuatas ſimultates occaſionem dederant, vires iungerent, & illata damna ad Calacanazar
998 vlciſerentur infinitâ hoſtium multitudine cæsâ. Conatus quidem patris Almanzoris inediâ, poſt cladem, mortui, vlciſci iniuriam Abdemelec, exciſâ funditus Legione: ſed à Fernande Caſtellanō victus, ſolatio patri eſſe potuit ſocietate cladis, cùm non fuerit vltione calamitatis; Abenaim Cæſar-Auguſtavo Rege in captiuitatem abducto, & Habdaragman Cordubæ regnante, fugâ vix elapſo. Vt in nomine ſic in virtute ac victoria expreſſit iſte Ramirum Oueti Regem, qui ſæculo fermè ante 70000. Barbarorum millia, D. Iacobi ſubſidio, quem candido in equo inſidentem pugnaturis militibus ſpecie viſibili præiviſſe dicunt, in acie trucidauit. Nobili tunc documento innotuiſſe dicunt, quanti ad victoriam momenti pietas ſit. Cum enim copiis ad congrediendum accinctis Ferdinandus Autolinus inter nobiles primarius ad Eccleſiam proximam Dei opem imploraturus accurriſſet, eamque pietatem ignauiæ plerique tribuerent; Angelus ipſius indutus formam, ſtrenuiſſimè dimicare viſus eſt, ac per illuſtria heroicæ virtutis fa-

cta ſuper alios, ſuis victoriam aſſerere, & temerè iudicantium calumniam difflare. Nec diu poſt Ferdinandus Regium nomen, quod victo cæſoque Vveremundo Legionenſi, ſponſæ fratre, & iure dotalitio, illius occupato Regno, Caſtellæ Comitibus primus aſſeruit; victoriis impleuit; Luſitaniâ magnam partem domitâ: & Toleto ad tributum adacto. Magnum tunc Hiſpaniarum decus Rodericus Dias, ex quinque Regulis vno prælio captis, Cid ſeu Dominus; mirùm quantùm ſuorum Regum gloriam promouit, hoſtibus; vel ab Aulâ excluſus; priuatis viribus, ſæpius obtritis. Nec minor Alfonſorum in Barbaros felicitas. Sextus, poſt varias clades, Cordubæ & Hiſpalis Regibus ad tributum adactis, Toletum demum expugnauit. Septimus, Cæſarauguſtanam prouinciam domuit. Octauus Almeriam ſubdidit: & Nonus, vt certæ eſſent priores victoriæ, per nouam fecit; cæſis ducentis, minimùm, Barbarorum millibus ad Tholozam Bœticæ. Quamquam in tanti decoris ſocietatem venerunt Petrus Aragoniæ, & Sanctius Nauarræ Principes: quia & laboris fuere participes. Ne queratur Mahomades de clade, & victus voti compos fuit. Vexillum eius Romæ ad B. Petri pependit: non quidem, vt voluerat, victoris monumentum; ſed vt æquum erat, victi trophæum. Exinde inualeſcente feliciter re Chriſtianâ; Ferdinandus III. captâ Cordubâ, quidquid Barbaris circum ſupererat, ſub iugum miſit: & Re-

*Primus Rex Caſtellæ.* 1037.

*Cid.*

*Victoria.* 1212.

1232.

gnum Granatenſe; quod vnum ex aliorum reliquiis conflatum hoſti ſuperfuit, ſtipendiarium fecit. Nam iam ante Henriques Henrici Lotharingi, quem Alfonſus VI.
1084 generum ſibi datâ Thereſiâ, & Comitem Luſitaniæ fecerat, filius, Vlyſſipone captâ, victiſque hoſtibus, quorum aliquando quinque Regulos in vinculis habuit, (& inde Regium ipſi nomen) ditionem latè propagauerat. Nec ſegniùs aliâ ex parte Borellus Cataloniæ Comes receptâ Barcinone, rem ſuam bellis ciuilibus valde afflictam, in integro reſtituit. Iuerunt vltra poſteri, quas à maioribus acceperant, iniurias in nepotes vlturi. Inde primùm à Berengario; qui Aragoniam in dotem acceperat, excuſſi Tortosâ, Leridâ, & finitimis; Valentiam demùm & Baleares Inſulas Iacobo I. reliquerunt in prædam; vt ſuo caſu eos, vt fit, erigerent; quorum ipſi caſu aſſurrexerant.

*Luſitania Primus Rex.*

*Catalonia Chriſtianis aſſerta*

## CAPVT XXXII.

## *Turba Eccleſiæ Byzantinæ ex Mœchia.*

IRene Auguſta reportatæ ab Iconomachis victoriæ laudem infuſcauit, ambitione politicâ. Hinc enim ex Stauricij conſilio poſthabitâ Rotrude, Caroli Magni filiâ; aliquot annis ante Conſtantino filio promiſſâ; quæſita ipſi in ſponſam Maria Ar-
788 mena S. Philareti cognomento Miſericordis nepte; proba illa quidem, ſed obſcuritate natalium, haud eâ ſorte digna. At id pro merito fuit. Quærebatur Auguſto ſpon-

ſa, quæ aſſueuiſſet obſequi, non cõſors quę vellet imperare. At quàm nihil ſæpe agit, nihil non agendo humana prudentia? ſecuritati quæſita fœmina, caſus occaſio fuit: & ob id maximè excuſſa Irene è ſolio, quod ad ſolium indignam promouerat. Cum præterea matris conſortium, aut iugum haud æquo ferret animo iam vicennis Imperator. Cum patruis quatuor ſæuiùs actum: quos ne milites eius pertæſi laſciuiam, & ignauiam (nam interea dum Mathematicis certam ſpondentibus Victoriam incautiùs credit, à Bulgaris fœdè victus eſt) ad ſolium promouere poſſent, aut oculis priuauit, aut linguis. Hinc repudiatà liberius *Marià*, quaſi ſuæ vitæ inſidiata eſſet, *Theodate* cubicularia in ſponſam allecta eſt. Et inde turbarum Seminarium; dum plurimis nouum iſtud connubium, ex adulatione, vt fit, approbantibus, alij Mœchiam illud & habent, & dicunt. Ad hæc Imperator exæſtuat: & cùm in alios, tùm in Platonem præſertim, & Theodorum Studitam Archimandritas ſæuit, carceris, verberum, & exilij pœnà. Magnum enim in illis crimen non applauſiſſe ſordibus diadematis. Accreuere malo vires ex Tharaſij Patriarchæ molliori ingenio: dum enim timet, ne ex vno repreſſo vitio plurima erumpant: & ne damnata Mœchia Iconomachiam, nondum bonà fide extinctam, ſuſcitet: vt etiam non iam tantum libidinoſus, ſed & impius præterea Imperator minabatur, eum ſeuerè quidem reprehenſum, ab Eccleſiæ tamen ingreſſu non arcet; & Ioſephi preſby-

*Prudentia cæca.*

791

795

*Mollior indulgentia turbas cauſat.*

teri ſacrilegam audaciam; qui, clam ipſo, nouas nuptias celebrare auſus fuerat, inultam finit; & ſic à ſe tanquam à dignitatis transfugâ, cùm alios, tùm præſertim Archimandritas abalienat. Hinc ortum ſchiſma, quod Imperatoris authoritate inualuiſſet, ni eà interea fuiſſet exutus, quà erat abuſurus ad libidinem. Exturbatus igitur, excæcatus, & ex dolore actus eſt ad mortem à matre; cuius cauſam bonam fecerat, per ſua vitia. Nec mora, reuocantur exules: è ſacris mouetur Ioſephus, & vnius pœna fidelium conſenſum parit. Turbatum quidem nonnihil poſt à Nicephoro Tharaſij ſucceſſore: qui Ioſepho reſtituto Mœchiæ redditum ibat innocentiam: cùm in contrarium obnitens Michaël Curopalates Imp. ex Leonis III. Pont. ſententiâ, rem demùm compoſuit: & cum Patriarchâ obſcœnum deierante patrocinium reconciliatis, qui contra ſteterant, pacem Eccleſiæ reddidit.

## CAPVT XXXIII.

### *Turbæ Byzantinæ Eccleſiæ ex Polygamiis.*

NOn vnius dumtaxat æui res eſt diſcordia ex nuptiis: illæ omnia prope ſæcula turbauerunt. Certè non diu poſt Leo, cognomento Sapiens, quaſi legis à ſe in Trigamos latæ iniquitatem emendare facto vellet; *Quadrigamus* factus eſt, Zoë ductâ: erat tamen vnde factum excuſaret, cum nulla ex prioribus ſponſis prolem ſuſtu-

liſſet. Infremuit ad hæc Nicolaus Myſticus *Imper.*
Patriarcha, ſed non alio demùm euentu, *Quadri-*
niſi vt qui Principem ſacris mouere auſus *gamus* *inde*
fuerat, è ſua ipſe deiectus ſede, Euthymio *turba.*
Sacerdoti piiſſimo, & tantam dignitatem
vehementer refugienti locum faceret. Hinc
diſſidium: dum quem quiſque mauult, Pa-
triarcham verum putat. Quamquam quis
non meritò Nicolaum exauctoratum dicat,
qui affectatæ ſeueritatis imagine deluſus;
nec approbatis Romæ à Ioanne IX. Pont.
nuptiis voluit acquieſcere? Reſtitutus ta-
men ab Alexandro, Leonis recèns mortui 911
fratre; æmuli exilio ſuum vltus eſt. At ne
vnius exilii palma Euthymius coronaretur,
in eum colaphis euulſione barbæ, & in- 920
dignis aliis modis ſæuitum eſt, præſertim à
Clericis. Fuit hæc merces ſtudij, quo eos
tum ab aliis, tum à Simoniæ vitiis cu-
rare conatus eſt. Aliquot annis poſt, ne
ſeueriori iudicio, videretur Patriarcha pec-
caſſe, iterum peccat, *Quadrigamià* pro-
ſcriptà, tum ſuo in Byſantinà Synodo, tum
Conſtantini Porphyrogeniti, qui iam ante
Patruum Alexandrum exceperat, decreto,
cui nomen *Vnio*; vt quo, poſt Euthymij in
exilio piè defuncti mortem, partes in vnum
conſenſerint. Nec paſſim permiſſa *Triga-
mia*: In laicis, opinor, emendabatur ſacer-
dotalis incontinentia. Inde forte Polyeu-
ctus Patriarcha, in Nicephoro Phocà, nec
Bigamiam tulit ſine pœnà. Inepti? caſtos
laicos volunt viri ſacri, ipſi coniugati.

## CAPVT XXXIV.

### *Schiſma decimum-tertium, & inde turba à Benedicto nono.*

1033 BEnedictus nonus Ioannis XIX. deceſſoris ex fratre Nepos, Cognatorum potentiâ (erant hi comites Tuſculani) Pontificatum quaſi hæreditatem inuaſit. Eum enim non ætas ſolùm, quà nondum pubertatem exceſſerat; ſed & peruerſitas, quà ad ſordida quæque effrænatè rapiebatur, infimo in Eccleſiâ gradu indignum reddiderant, nedum Pontificio. Quid in homines poſſit ſacrorum reuerentia; demonſtratum in eo eſt; vt in quo Chriſtianus orbis reueritus ſit ſacrorum principem; quem hominum obſcœniſſimum agnoſcebat. Sed Ptolomeus
1044 tandem alterius in vrbe factionis princeps, conſulatum adeptus, eo eiecto, Ioannem nihil digniorem, è Sabinenſi Eccleſia in Romanam, ſub Syluestri III. nomine, intruſit. At Benedictus iterum præualens eo abdicato, ex quietioris vitæ, ſuas inter ſordes ſtudio, in Ioannem quemdam Romanum Presbyterum, accepto pretio dignitatem tranſmiſit; vt eam, breui poſt, quaſi priuatæ turpitudinis puderet, rurſus inuaderet. Hinc tres Roma Pontifices, an Pontificũ monſtra, qui diuiſis inter ſe reditibus, Eccleſiam deprædabantur, & inquinabant, inhorruit. Ad hęc indignantis pietatis flamma Gratianus quidam exæſtuans, à ſingulis ſeorſim, quà rationibus, quà pretio, quà peiorum metu euicit, vt poſitis vltrò Infulis

alterum eligi ſinant. Meritò itaque concordibus omnium ſuffragiis, ipſemet Gratianus, ſub Gregorij VI. nomine Eccleſiæ præfectus eſt, qui ne vltra ab indigniſſimis conſpurcaretur, effecerat. At eum ſollicitudine verè Apoſtolicâ, quas ſordes ſub impuro priorum Pontificum regimine Eccleſia contraxerat, expurgantem, Henricus III. Germaniæ Rex in Sutrinâ Synodo abdicari curat; quaſi indignis per munera, aut relictos alicubi Eccleſiæ reditus, perſuaſa abdicatio, atque adeo redempta Eccleſiæ vexatio; dignitatis ſibi collatæ fuiſſet emptio. Ne tamen qui ſchiſma vt tolleret, Simoniæ ſuſpicionem, atque etiam pœnam incurrerat; innocentiæ vindicandæ ſpecie ſchiſma renouaret; Sudgerium Bambergenſem Epiſcopum, ſub Clementis II. nomine, ſibi ſuffectum veneratus eſt. Ac in Germaniam primò Henrici iuſſu; deinde Cluniacum, vnà cum Ildebrando, piè non diù pòſt obiturus, profectus. Ei quàm diſſimilis Benedictus? Quippe Clemente, nono poſt electionem menſe, in Germaniâ, quò vnà cum Henrico in Imperatorem Romæ inuncto, diſceſſerat, defuncto, Pontificatum ad octo menſes rurſum inuaſit; vt excuſſus à Poppo Brixienſi Epiſcopo, qui ſub Damaſi II. nomine, Pontificatum ad 20. dumtaxat dies, adeptus eſt, nouo in illum conatu irreperet. Sed tandem Romani, vt ſemel in perpetuum, pudendam illam tyrannidem exſcinderent, ius nominandi Pontificem Imperatori, iam ante à Synodo delatum, iterum per Legatos detulerunt; vt authoritate

Margin dates: 1044 (beside line 1); 1046 (beside "ctos alicubi Eccleſiæ reditus"); 1047 (beside "Henrico in Imperatorem Romæ inuncto").

ipſius comprimerentur, quos à ſublimis adeo gradus culmine excludebat indignitas, excluſos eſſe non patiebatur temeritas. Periculoſum ſanè remedium, vt ex ſecutis inde in Italià Germaniàque tragædiis compertum eſt; At ad mali grauitatem tunc ex maturà ſapientum ſententià neceſſarium. Eo enim ſolo à ſordibus, quas multorum indigniſſimorum intruſio inuehebat, vindicari poſſe dignitatem Pontificiam creditum eſt. Ne illius tunc pœniteret, Bruno fecit; vt quem ex Tullenſi in Leucis præſule Da-
1049 maſo ſub Leonis IX. nomine ſuffectum virtutes verè Apoſtolicæ laudatiſſimis retrò Pontificibus, per vitam reddidere parem, & poſt mortem publico fidelium in Eccleſià cultu dignum.

## CAPVT XXXV.

### *Pontifices decimi ſæculi.*

*Joannes* CXIX. 901 IOannes IX. inter hæc Eccleſiæ Chriſtianæ dedecora ſacris præfuit, vt quam ab impià ſacrilegorum tyrannide maculam contraxiſſe videbantur, æquitate piiſſimà purgaret. In Synodis enim Romanà & Rauennate, quæ Stephanus aduerſus Formoſum, & ordinatos ab eo conſtituerat, reſcidit, Imperiumque Lamberto Vvidonis Spoletani filio adiudicauit, Berengario abdicato, quem Roma vi potitum, ipſemet peiorum metu coronauerat. Ouetum in Hiſpanià, Regni caput ab Alfonſo conſtitutum, Metropolitanà dignitate inſigniuit. IV. Pontificatus anno incunte exceſſit.

*Benedictus*

*Benedictus IV.* ad duos circiter annos Ioanni ſuffectus locum piè obeundo fecit *Leoni V.* quem poſt 40. dies, *Chriſtophorus* deturbatum è ſolio carceri addixit, deturbandus & ipſe, carcerique addicendus poſt ſeptem menſes à *Sergio.* hominum ſceleſtiſſimo, qui quæ in Formoſum Stephanus impiè conſtituerat, nouo ſacrilegio rata dixit, reſciſis quæ ex aduerſo Ioannes religioſiùs ſanxerat. Reſtitutà demùm, eximièque ornatà Lateranenſi Baſylicà, quæ terræ motu corruerat, anno ab intruſione tertio exceſſit. *Bened.* CXX. *Leo V.* CXXI. *Chriſtop.* CXXII. *Serg.* CXXIII. 908 910

*Anaſtaſius III.* Sergio ad annos duos & totidem menſes ſuffectus Ticinenſi præſuli ad Berengarij preces indulſit, vt equo albo, vmbella, & cruce præuia in itinere vſus, ad læuam Pontificis ante omnes in Conciliis ſederet. Huic ad tempus breuiſſimum ſuffectus *Laudo Theodoræ* impuriſſimæ tunc in vrbe fœminæ, ſimul & potentiſſimæ indulſit, vt Ioannes quidam, quem illa deperibat, ex Bononienſi præſule Rauennas conſtitueretur, vt poſt ipſum Alberti Marchionis generi Theodoræ, tyrannide, in Eccleſiæ Romanæ regimen intruderetur. *Anaſtaſ.* CXXIV. 912 *Lando.* CXXV.

*Ioannes* igitur X. miles melior, quàm præſul, in Saracenos, qui iam à 40. annis, apud Garilianum in Campanià ſede poſità, prædas innumeras egerant, accitis vndequaque auxiliis mouit; eoſque, nullo prorſus elapſo, vel in vinculis habuit, vel in acie ſtrauit, Berengario in datæ opis præmium in Imperatorem promoto. Diſſidium ex vſu Miſſalis Moſarabici nonnihil à Romano di- *Ioann. X.* CXXVI. 912 *Saraceni cadit.*

uerſi in Hiſpaniis exortum compoſuit. Vnno Hamburgenſi pallium indulſit. Reiecto Hilduino , quem Tungrenſis clerus Epiſcopum dixerat , Richarium á Carolo Francorum Rege propoſitum, cum ad ſe delata controuerſia eſſet , ordinauit. Vt quinquennis pueri ad Rhemenſis Eccleſię infu-
*Quinquēnis præſul.* las promotio rata eſſet , edicit. Denique vt exitus cum principio congrueret , excuſſus è ſolio vi Maroziæ nihil Theodorà matre
928 honeſtioris , in carcere ſtrangulatus eſt, anno regiminis , an tyrannidis decimo ſexto.

*Leo VI.* CXXVII *Leo VI.* Ioannem excepit , in carcere poſt ſex menſes moriturus. Cui ſuffectus
*Stephan.* VIII. *Stephanus VIII.* ad an. 2. m. 1. d. 15. locum fecit *Ioanni XI.* Sergij ſceleſtiſſimi, ex Mā-
CXXVIII. roziā impuriſſimā filius, & vel ob hoc eā ſe-
*Ioan.IX.* CXXIX. de indigniſſimus. Nec diu poſt ab Alberico eiuſdem Maroziæ filio in carcerem truſus, Byzantinis Patriarchis indulgere coactus eſt; vt non expectato poſthac Romani Pon-
636 tificis aſſenſu, pallio vterentur. Obiens demùm intruſionis anno 4. m. 10. locum fecit

*Leo VII.* *Leoni VII.* qui ſtatim Odonis Cluniacen-
131 ſis Abbatis interuentu Albericum vnà cum
CXXX. Hugone Italiæ Rege , atque etiam Roma-
136 nos inter ſe compoſuit ; eoſque vt ad pietatem accenderet, eiuſdem Odonis operâ, tùm antiqua cœnobia ad primæuæ diſciplinæ
939 feruorem reſtituit , tùm nouum S. Pauli nomine conſtruxit. Anno regiminis 3. m. 6. locum fecit

*Stephano* IX. quem ex Germaniâ oriundum

Ottonis Regis fauor in ſolium promouit. Hinc Romanorum in ipſum inuidia & impietas, vt quem deformato colaphis vultu ſacrilegè violauerint. Tametſi ex eo deformior publico abſtineret; officij tamen non immemor fuit; Nam accito iterum Odone Cluniacenſi pacem inter Hugonem & Albericum rurſum compoſuit; & Francis interminatus eſt per legatum anathema, ni Regi Ludouico morigeri, ab Hugone, qui regnum affectabat, deficerent. Præfuit Eccleſiæ annos 3. m. 4. d. 5. *Steph. IX.* CXXXI. 943

*Marinus II.* Propheta diu ante, quàm Papa, S. Vdalricum Anguſtæ Vindelicorum præſulem fore vaticinatus eſt. Cum in componendis procerum diſſidiis fruſtra ſe deſudare experiretur, componendis fidelium moribus ad normam Euangelicam, & diſciplinæ cœnobiticæ ad primæuum inſtitutum ſe totum feliciter dedit. Annos 3. m. 6. d. 13. *Mari. II.* CXXXII. 946

*Agapetus* per Marinum ſuum è latere legatum duos Hugones in Synodis Gallicis anathemate plecti curauit. Primum pſeudopræſulem, quod ſubreptis dolo ab ipſomet Agapeto literis, præſulem ſe Rhemenſem aduerſus Artaldum diceret. Alterum Ducem, quòd Ludouico Regi detrectaret obſequium; Eccleſiaſque non rarò diuexaret, idque totum in Romanà Synodo ipſe per ſe ratum habuit. Berengarium verò direptionibus continuis Italiam turbantem, nec parcentem Eccleſiis, accito ad auxilium Ottone Germaniæ Rege coërcuit. Ingenti clade Slauis Daniſque, qui à fide deſciuerant, ab Ottone perculſis, Hamburgenſis Eccleſiæ *Agapet.* CXXXIII.

priuilegia auxit, Adaldago Archiepiſcopo
955 ad fidem apud illas gentes reſtituendã & propagandã inſtigato. Obijt anno 9. m. 7. d. 10.

*Ioan.* XII cxxxiv. *Ioannes XII.* primus Pontificum mutaſſe nomen dicitur, cum ante Octauianus diceretur. Perſuadendum inde fortè populo credidit, mutatum ipſum ætate ac moribus eſſe in inauguratione Pontificiã, vt mutabatur nomine; ac verè maturum ac ſanctum habitum iri Pontificem, ad quem nec
*Pontif. duodeuicennis.* dum duodeviginti annos natum, ac in omni vitiorum genere inueteratum ab aſſentatoribus diceretur; ***Fuit homo miſſus à Deo, cui nomen erat Ioannes.*** Cum poſt Alberici patris, qui vrbis dominatum aliquandiu tenuerat, mortem; ipſe quoque tyrannidem inuaſiſſet, in ſolium ſe Pontificium intruſit. Berengarij Italiam continuis direptionibus deprædantis tyrannidem ita excuſſit, accito ad auxilium Ottone, eoque in Imperatorem inuncto; vt viam nouæ aperuerit. Quamquam ſi aliter non potuere præuerti ſacrilegia, quæ frequens indigniſſimorum Pontificum intruſio tunc inuehebat, quàm repreſſà ſuffragatorum licentià, eàque imperatoriis legibus intra recti fines cohibitâ; quis magno eoque Piiſſimo Principi culpæ
264 tribuat, quod ſacris ſe prophanus interpo-
*L. 6. c. 19.* ſuerit? Hæc verò alibi. Præfuit autem Ioan. annos 9.

*Bened. V.* cxxxv. Ioanni *Benedictum* V. qui eius partes fouerant ſufficiunt, repudiato *Leone VIII.* quem abdicato in Synodo Ioanni ſuffici Otto curauerat. Tametſi enim Ioannem eo indignum gradu multa redderent, non ta-

men ritè fortè potuit abdicari, cùm ex veteri dicto, *Nullius iudicio ſuprema ſedes ſubiaceat.* Sintque boni à Deo peroptandi Pontifices; mali ferendi. Benedictum tamen tamquam ſpurium Otto Victor in Germaniam abduxit, vbi non diu poſt piè obijt. Nec diu ſuperuixit Leo, qui Romæ tamquam verus Papa ſubſtiterat. *Leo VIII.* CXXXVI.

*Ioannes XIII*, ex Narnienſi Eccleſia ad Romanam poſt Leonem, an Benedictum, iuxta leges ab Ottone ſuffragatoribus præſcriptas tranſuectus eſt; vt breui poſt à Turbonibus ageretur ad fugam. Sed cum Pandulfus Capuæ, quò ſe Papa receperat Dominus, cæſo Rofredo Campaniæ comite, qui perduellium proteruiam fouebat, reſtituit. Nec obſtitere Romani, qui ex Ottonis cum copijs aduentantis metu ferociam poſuerant. Hinc Capua Metropolis à Pontifice dicta: & Romani ab Ottone per varia ſupplicia ad obſequium adacti; vt alibi commemoratum eſt. Et Ottonis cognominis filius in Imperatorem inunctus, & cum Theophania Imperatoris Byzantini filià connubiali fœdere ſociatus. Receptus tandem Papa Rauennæ, quò cum Imperatore conceſſerat in Synodo, quæ Tyranni ditioni pontificiæ ſubtraxerant, nouoque diplomate confirmatis: & in Poloniam, ad Miſconis principis preces, qui recens Eccleſiæ ſe legibus addixerat, miſſis, qui fidem in Borealia promouerent. Obijt cum ſediſſet annos 6. m. 11. . 5. *Ioannes XIII.* CXXXVII. *Pellitur.* *Reſtituitur.* *Capua Metropolis.* *Polonia Chriſtiana.* 972. 25. Aug.

Ioanni ſuffectus *Donus* ad tres menſes, locum fecit Benedicto VI. qui ubi clauum *Donus.* CX

*Bened.* Eccleſia tenuiſſet annum unum m. 3. & dies
CXXXIX aliquot à *Bonifacio* ſtrangulatus eſt. Hunc
*Bonif.* poſt annum ab intruſione pulſum *Bene-*
CXXXX *dictus VII.* excepit ad annos nouem, quem
*Bened.* non parùm in monaſticà reſtituendà diſci-
CXXXXI plinà, & confirmando Germanis Imperio
984 deſudaſſe dicunt.
10. *Iul.*
*Ioã.XIV*
CXXXXII. *Ioan. XIV.* Benedicto ſuffectus à Bo-
nifacio poſt exilium atrociùs ſæuiente in Hadriani molem, quam perduelles inſederant, abductus, poſt annum actus ad mortem eſt; ipſeque Bonifacius quarto poſt menſe improuisà morte correptus locum fecit *Ioanni XV.* Hic etiam ſuas paſſus vi-
*Ioan.XV.* ces à Creſcentio qui conſulis nomine Ha-
CXXXXIII driani molem inuaſerat, ad fugam actus eſt; ſed breui reuocandus ex Ottonis III. quem profugus Papa è Thuſcià in auxilium aduocauerat, metu. Cum ad impulſionem Hugonis Capeti, qui Franciæ ſe Regem dici in Comitiis curauerat, abdicato in ſynodo Rhemenſi Arnulfo, quaſi Carolum Lotharingiæ Ducem, & Regni ex natalium ſorte legitimum hæredem Rhemos acciuiſſet, eam in Eccleſiam Gerbertus intruſus eſſet, tametſi reclamans Seguinus Senonenſis præſul, rem ad ſummum Pontificem referendam ex more diceret. Pontifex rei conſcius, perculſis anathemate præſulibus, qui facinori aſſenſerant, per ſeguinum & Leonem S. Dionyſij Abbatem legatos, in noua Rhemenſi ſynodo Arnulfum reſtitui juſſit. S. Vdalricum Auguſtanum Epiſcopum ſolenni ritu Diuorum faſtis adſcriptum publico Eccleſiæ cultu di-

gnum cenſuit. ubi ſediſſet annos 10. m. 4. d. 12. obijt. 996 7. Maio

*Gregorius V.* qui antè Bruno, Imperatoria Ottonum cognatio, ſed magis eximia virtutis ad ſupremam Eccleſiæ ſedem prouexit. In hujus etiam urbe pulſi locum Creſcentius *Ioannem XVI.* cognomen adeptum, Placentinum Epiſcopum, qui ſibi Archiepiſcopi nomen, ſuperbè attribuerat, promouit. At Otto iam ante à Ioanne aduerſus Tyrannum ad auxilium accitus, ingreſſus interea Italiam cum copijs, cognato Pontifici matrique Eccleſiæ illatas injurias, euentu alibi enarrato ultus eſt. Tum Pontifex authoritate ſibi aſſertà ad Ottonis & patriæ gloriam uſus, ipſum in Imperatorem inunxit; & ut ius eligendi poſthac Imperatorem penes Germanos proceres eſſet, in ſynodo edixit. Adelbertum Pragenſem epiſcopum, qui ob populi contumaciam in S. Bonificii cœnobium Romam ſe receperat, inſtante Archiepiſcopo Moguntino ad ſuam Eccleſiam redire juſſit: ac ut fidei luci verſus Borealia diffundendæ, ſi Pragenſes in duritia perſiſterent, indulſit, ubi & martyr occubuit ut & aliquandiu poſt Bonifacius Ottonis conſanguineus, quem Adelberto ad munus illud Apoſtolicum, ex D. Romualdi ſcholâ idem Pontifex ſubſtituerat. Exceſſit vbi ſacra adminiſtraſſet annos duos, m. 8. d. 6.

*Greg. V.* xxxx v. 996 12. Ian.

*Ioa. XVI.* cxxxxv.

*L. 6 c. 10.*

*Imperium Germanis aſſertum.*

999

pietas; impietatem potentia promouit. Iſta quantumuis pleraque mixtim & ſimul contigerint; narrare tamen ſigillatim placet; vt quæ in actu non habuerunt ordinem, habeant in ſcripto, & magis emineat Eccleſiæ maieſtas; quæ vno in hoſte, plures vicit; pluries triumphauit.

## CAPVT II.

### *De Cælibatu Clericorum; & inde turbæ.*

IN hoc Eccleſiæ decor præſertim nitet, quòd iam inde ab Apoſtolorum temporibus, nullum inter Miniſtros voluit; qui domitâ Venere, ſe ſui dominum non prodidiſſet. Et hoc orbe toto Concilia, Pontifices; Imperatores; vt ſanctum eſſet, & inuiolabile ſæpiùs edixerunt. At quantùm inde turbarum! cum viros miniſterio Angelorum æmulos non puderet, infami conſuetudine infra homines deſcendere; & è cœlo delabi in cœnum. Obuiam malo ibat Chryſoſtomus, cum Antonium Epheſi Præſulem, receptæ ſponſæ reum, mors interueniens ad tribunal multò ſeuerius ſiſtit. Nec officio defuit Gregorius Magnus, Siculis Clericis, ab impuro commercio, ad veteres pudicitiæ leges reuocatis. Ad pium etiam opus ſtrenuè incubuit Dunſtanus Cantuarienſis Epiſcopus; ſed cum medendo morbus ægreſceret, ejici ab Eccleſiis Clericos curauit in Synodo, qui à ſe non iam ſponſas, ſed concubinas, non abieciſſent; Monachis in eorum locọ ſubſtitutis, ex decreto Concilij, ad

*400 Cælibatus Clericalis aſſertores. 591 Chryſoſt. Greg. M.*

*Dunſtan. 970*

quod ex Ioan. XIII. Rom. Pont. & Edgari Regis ſuffragio, omnes Angliæ Præſules conuenerant. Ne verò ſolis tunc decretis ſuum Incontinentibus vitium exprobraretur, Edgarus Rex nobili documento fecit. Quando ob ſtuprum à Dunſtano ſeuerè correptus, ſe Reum confeſſus eſt, & eius ad pedes humiliter proſtratus, ſeptennem ab eo pœnitentiam accepit. Peſsum tamen ibat iterum caſtitas, Edgaro defuncto, ni Vvintonienſi in Synodo, cum Eduardus Rex Patri ſuffectus, & non pauci Præſules, vt clerici reſtituerentur inſiſterent, atque adeo euincerent, ſuæ cauſæ patrocinium Crucifixus in effigie ſuſcepiſſet; ac exauctoratos meritò priori in Synodo Impuros palam clamaſſet, per hæc verba. *Non fiat, iudicaſtis benè, mutaretis malè.* Nec ſegniùs Eduardo Rege parricidarum manibus interempto; turbatum ab improbis: nimirùm, vt nouo patro-
979 cinio, iam non verbis tantùm, ſed opere prodigioſo daretur locus: quando Colnenſi in Synodo, omnes incontinentiæ patronos
*Prodigium.* collapſum laquear oppreſſit; Dunſtano, & qui cum ipſo ſenſerant, mirabiliter illæſis. Infecerat & Ambroſianam Eccleſiam fœda lues: nec mirum; non poterat non putreſcere membrum, quod à ſuo corpore, hoc eſt
*Ambroſiana Eccleſia in ſchiſmate.* à Romanâ Eccleſiâ ſchiſma pertinax à ducentis fermè annis diuulſerat. Nec Petri Damiani, & Anſelmi Lucenſis ſtudio; quibus Nicolaus II. Pont. ſuas ad hoc vices commiſerat; adducto ad pœnitentiam Gui-
1059 done Archipræſule; reſediſſe peſtis viſa eſt;

niſi vt non diu poſt atrociùs inualeſceret. Quippe Cadolaus, in locum Nicolai, ab ſchiſmaticis intruſus; vt ſe dignam Eccleſiam regeret, obſcœnam voluit. Ac ex ſucceſſu totam per Longobardiam & Germaniam felici meruit, vt qui *Nicolaitæ* dudum audierant; *Cadolaitæ* dicerentur. In hos vibraſſe anathema nihil diu profuit Alexandro II. & Gregorio VII. Pont. ſuo quippe immerſi luxo, extra ſenſum erant: nec afflari ſe poſſe putabant igne de cælo per anathemata; qui tartaream alebant in medullis flammam. Nec extulere de cœno caput, niſi vt in Gregorium, Annonem Colonienſem, Sigefridum Moguntinum, & alios, quas ſordes hauſerant euomerent. Quid verò tandem profectum contumaciâ; niſi vt ſacris ipſi polluerentur, qui ſacra polluerant? Agnouit impietatem populus à Gregorio monitus, & ſacrilegij ſe fore conſcium putauit, ſi ſacrilegorum ſacris intereſſet. Inde quæ vis mali hactenus ſuprà remedia fuerat, tandem poſuit: & ſuum pudori pretium rediit, cum impudicitia horrori & contemptui eſſe cœpit.

*Cadolaus Antipapa Cœlibatū impugnat*

1074

## CAPVT III.

### *De Simoniacis.*

SImoniæ vitium jam tum à cunis Eccleſiæ tam ſeuerè D. Petrus cohibuit; ad Simonem Magum, a quo peſti nomen hæſit, dum vim impetrandi ac largiendi Spiritum Sanctum pecuniâ mercatur, hęc reſpondens, *Pecunia tua tecum ſit in perdi-*

## CAPVT XXXIV.

### *Schiſma decimum-tertium, & inde turbæ à Benedicto nono.*

BEnedictus nonus Ioannis XIX. deceſſo-
1033 ris ex fratre Nepos, Cognatorum po-
tentiâ (erant hi comites Tuſculani) Ponti-
ficatum quaſi hæreditatem inuaſit. Eum
enim non ætas ſolùm, quà nondum puber-
tatem exceſſerat; ſed & peruerſitas, quà ad
ſordida quæque effrænatè rapiebatur, infi-
mo in Eccleſiâ gradu indignum reddiderant,
nedum Pontificio. Quid in homines poſſit
ſacrorum reuerentia, demonſtratum in eo
eſt; vt in quo Chriſtianus orbis reueritus ſit
ſacrorum principem; quem hominum ob-
ſcœniſſimum agnoſcebat. Sed Ptolomeus
1044 tandem alterius in vrbe factionis princeps,
conſulatum adeptus, eo eiecto, Ioannem
nihil digniorem, è Sabinenſi Eccleſia in
Romanam, ſub Sylueſtri III. nomine, in-
truſit. At Benedictus iterum præualens eo
abdicato, ex quietioris vitæ, ſuas inter ſor-
des ſtudio, in Ioannem quemdam Roma-
num Presbyterum, accepto pretio dignita-
tem tranſmiſit; vt eam, breui poſt, quaſi
priuatæ turpitudinis puderet, rurſus inua-
deret. Hinc tres Roma Pontifices, an Pon-
tificũ monſtra, qui diuiſis inter ſe reditibus,
Eccleſiam deprædabantur, & inquinabant,
inhorruit. Ad hęc indignantis pietatis flam-
ma Gratianus quidam exæſtuans, à ſingulis
ſeorſim, quà rationibus, quà pretio, quà
peiorum metu euicit, vt poſitis vltrò Infulis

aſterum eligi ſinant. Meritò itaque concordibus omnium ſuffragiis, ipſemet Gratianus, ſub Gregorij VI. nomine Eccleſiæ præfectus eſt, qui ne vltra ab indigniſſimis conſpurcaretur, effecerat. At eum ſollicitudine verè Apoſtolicâ, quas ſordes ſub impuro priorum Pontificum regimine Eccleſia contraxerat, expurgantem, Henricus III. Germaniæ Rex in Sutrinâ Synodo abdicari curat; quaſi indignis per munera, aut relictos alicubi Eccleſiæ reditus, perſuaſa abdicatio, atque adeo redempta Eccleſiæ vexatio; dignitatis ſibi collatæ fuiſſet emptio. Ne tamen qui ſchiſma vt tolleret, Simoniæ ſuſpicionem, atque etiam pœnam incurrerat; innocentiæ vindicandæ ſpecie ſchiſma renouaret; Sudgerium Bambergenſem Epiſcopum, ſub Clementis II. nomine, ſibi ſuffectum veneratus eſt. Ac in Germaniam primò Henrici iuſſu; deinde Cluniacum, vnà cum Ildebrando, piè non diù poſt obiturus, profectus. Ei quàm diſſimilis Benedictus? Quippe Clemente, nono poſt electionem menſe, in Germaniâ, quò vnà cum Henrico in Imperatorem Romæ inuncto, diſceſſerat, defuncto, Pontificatum ad octo menſes rurſum inuaſit; vt excuſſus à Poppo Brixienſi Epiſcopo, qui ſub Damaſi II. nomine, Pontificatum ad 20. dumtaxat dies, adeptus eſt, nouo in illum conatu irreperet. Sed tandem Romani, vt ſemel in perpetuum, pudendam illam tyrannidem exſcinderent, ius nominandi Pontificem Imperatori, iam ante à Synodo delatum, iterum per Legatos detulerunt; vt authoritate

1044

1046

1047

ipſius comprimeretur, quos à ſublimis adeo gradus culmine excludebat indignitas, excluſos eſſe non patiebatur temeritas. Periculoſum ſanè remedium, vt ex ſecutis inde in Italiâ Germaniàque tragædiis compertum eſt; At ad mali grauitatem tunc ex maturà ſapientum ſententiâ neceſſarium. Eo enim ſolo à ſordibus, quas multorum indigniſſimorum intruſio inuehebat, vindicari poſſe dignitatem Pontificiam creditum eſt. Ne illius tunc pœniteret, Bruno fecit; vt quem ex Tullenſi in Leucis præſule Da-
1049 maſo ſub Leonis IX. nomine ſuffectum virtutes verè Apoſtolicæ laudatiſſimis retrò Pontificibus, per vitam reddidere parem, & poſt mortem publico fidelium in Eccleſiâ cultu dignum.

## CAPVT XXXV.

### *Pontifices decimi ſæculi.*

*Ioannes* C X I X. 901 IOannes IX. inter hæc Eccleſiæ Chriſtianæ dedecora ſacris præfuit, vt quam ab impiâ ſacrilegorum tyrannide maculam contraxiſſe videbantur, æquitate piiſſimâ purgaret. In Synodis enim Romanâ & Rauennate, quæ Stephanus aduerſus Formoſum, & ordinatos ab eo conſtituerat, reſcidit, Imperiumque Lamberto Vvidonis Spoletani filio adiudicauit, Berengario abdicato, quem Roma vi potitum, ipſemet peiorum metu coronauerat. Ouetum in Hiſpaniâ, Regni caput ab Alfonſo conſtitutum, Metropolitanâ dignitate inſigniuit. IV. Pontificatus anno ineunte exceſſit.

*Benedictus*

*Benedictus IV.* ad duos circiter annos *Bened.*
Ioanni ſuffectus locum piè obeundo fecit
*Leoni V.* quem poſt 40. dies, *Chriſtophorus* CXX.
deturbatum è ſolio carceri addixit, detur- *Leo V.*
bandus & ipſe, carcerique addicendus poſt CXXI.
ſeptem menſes à *Sergio.* hominum ſceleſtiſ- *Chriſtop.*
ſimo, qui quæ in Formoſum Stephanus im- CXXII.
piè conſtituerat, nouo ſacrilegio rata dixit, *Serg.*
reſciſis quæ ex aduerſo Ioannes religioſiùs CXXIII. 908
ſanxerat. Reſtitutâ demùm, eximièque or-
natâ Lateranenſi Baſylicâ, quæ terræ motu 910
corruerat, anno ab intruſione tertio ex-
ceſſit.

*Anaſtaſius III.* Sergio ad annos duos & *Anaſtaſ.*
totidem menſes ſuffectus Ticinenſi præſuli CXXIV.
ad Berengarij preces indulſit, vt equo albo,
vmbella, & cruce præuia in itinere vſus, ad 912
læuam Pontificis ante omnes in Conciliis
ſederet. Huic ad tempus breuiſſimum ſuffe-
ctus *Laudo Theodoræ* impuriſſimæ tunc in *Lando.*
vrbe fœminæ, ſimul & potentiſſimæ indul- CXXV.
ſit, vt Ioannes quidam, quem illa deperi-
bat, ex Bononienſi præſule Rauennas con-
ſtitueretur, vt poſt ipſum Alberti Mar-
chionis generi Theodoræ, tyrannide, in
Eccleſiæ Romanæ regimen intruderetur.

*Ioannes* igitur X. miles melior, quàm *Ioann. X.*
præſul, in Saracenos, qui iam à 40. annis, CXXVI.
apud Garilianum in Campaniâ ſede poſitâ, 912
prædas innumeras egerant, accitis vnde-
quaque auxiliis mouit; eoſque, nullo pror-
ſus elapſo, vel in vinculis habuit, vel in acie *Saraceni*
ſtrauit, Berengario in datæ opis præmium *cædit.*
in Imperatorem promoto. Diſſidium ex vſu
Miſſalis Moſarabici nonnihil à Romano di-

uerſi in Hiſpaniis exortum compoſuit. Vnno Hamburgenſi pallium indulſit. Reiecto Hilduino, quem Tungrenſis clerus Epiſcopum dixerat, Richarium á Carolo Francorum Rege propoſitum, cum ad ſe delata controuerſia eſſet, ordinauit. Vt quinquennis pueri ad Rhemenſis Eccleſię infulas promotio rata eſſet, edicit. Denique vt exitus cum principio congrueret, excuſſus è ſolio vi Maroziæ nihil Theodorà matre honeſtioris, in carcere ſtrangulatus eſt, anno regiminis, an tyrannidis decimò ſexto.

*Quinquēnis præſul.*

928

*Leo VI.* CXXVII *Stephan.* VIII. CXXVIII. *Ioan. IX.* CXXIX.

*Leo VI.* Ioannem excepit, in carcere poſt ſex menſes moriturus. Cui ſuffectus *Stephanus VIII.* ad an. 2. m. 1. d. 15. locum fecit *Ioanni XI.* Sergij ſceleſtiſſimi, ex Maroziâ impuriſſimâ filius, & vel ob hoc eâ ſede indigniſſimus. Nec diu poſt ab Alberico eiuſdem Maroziæ filio in carcerem truſus, Byzantinis Patriarchis indulgere coactus eſt; vt non expectato poſthac Romani Pontificis aſſenſu, pallio vterentur. Obiens demùm intruſionis anno 4. m. 10. locum fecit

636

*Leo* VII. 131 CXXX. 136

*Leoni VII.* qui ſtatim Odonis Cluniacenſis Abbatis interuentu Albericum vnà cum Hugone Italiæ Rege, atque etiam Romanos inter ſe compoſuit; eoſque vt ad pietatem accenderet, eiuſdem Odonis operâ, tùm antiqua cænobia ad primæuæ diſciplinæ feruorem reſtituit, tùm nouum S. Pauli nomine conſtruxit. Anno regiminis 3. m. 6. locum fecit

939

*Stephano* IX. quem ex Germaniâ oriundum

Ottonis Regis fauor in ſolium promouit. *Steph.IX.*
Hinc Romanorum in ipſum inuidia & im- CXXXI.
pietas, vt quem deformato colaphis vultu ſacrilegè violauerint. Tametſi ex eo deformior publico abſtineret; officij tamen non immemor fuit; Nam accito iterum Odone Cluniacenſi pacem inter Hugonem & Albericum rurſum compoſuit; & Francis interminatus eſt per legatum anathema, ni
Regi Ludouico morigeri, ab Hugone, qui *943*
regnum affectabat, deficerent. Præfuit Eccleſiæ annos 3. m. 4. d. 5.

*Marinus II.* Propheta diu ante, quàm *Mari.II.*
Papa, S. Vdalricum Auguſtæ Vindelicorum CXXXII.
præſulem fore vaticinatus eſt. Cum in componendis procerum diſſidiis fruſtra ſe deſudare experiretur, componendis fidelium
moribus ad normam Euangelicam, & diſci- *946*
plinæ cœnobiticæ ad primæuum inſtitutum ſe totum feliciter dedit. Annos 3. m. 6. d. 13.

*Agapetus* per Marinum ſuum è latere le- *Agapet.*
gatum duos Hugones in Synodis Gallicis
anathemate plecti curauit. Primum pſeudo- CXXXIII.
præſulem, quod ſubreptis dolo ab ipſomet Agapeto literis, præſulem ſe Rhemenſem aduerſus Artaldum diceret. Alterum Ducem, quòd Ludouico Regi detrectaret obſequium; Eccleſiaſque non raró diuexaret, idque totum in Romanà Synodo ipſe per ſe ratum habuit. Berengarium verò direptionibus continuis Italiam turbantem, nec parcentem Eccleſiis, accito ad auxilium Ottone Germaniæ Rege coërcuit. Ingenti clade Slauis Daniſque, qui à fide deſciuerant, ab Ottone perculſis, Hamburgenſis Eccleſiæ

priuilegia auxit, Adaldago Archiepiſcopo
955 ad fidem apud illas gentes reſtituendã & propagandã inſtigato. Obijt anno 9. m. 7. d. 10.

*Ioan.* XII cxxxiv. *Ioannes XII.* primus Pontificum mutaſſe nomen dicitur, cum ante Octauianus diceretur. Perſuadendum inde fortè populo credidit, mutatum ipſum ætate ac moribus eſſe in inauguratione Pontificiã, vt mutabatur nomine; ac verè maturum ac ſanctum habitum iri Pontificem, ad quem nec

*Pontif. duodeuicennis.* dum duodeuiginti annos natum, ac in omni vitiorum genere inueteratum ab aſſentatoribus diceretur; *Fuit homo miſſus à Deo, cui nomen erat Ioannes.* Cum poſt Alberici patris, qui vrbis dominatum aliquandiu tenuerat, mortem; ipſe quoque tyrannidem inuaſiſſet, in ſolium ſe Pontificium intruſit. Berengarij Italiam continuis direptionibus deprædantis tyrannidem ita excuſſit, accito ad auxilium Ottone, eoque in Imperatorem inuncto; vt viam nouæ aperuerit. Quamquam ſi aliter non potuere præuerti ſacrilegia, quæ frequens indigniſſimorum Pontificum intruſio tunc inuehebat, quàm repreſſã ſuffragatorum licentiã, eãque imperatorijs legibus intra recti fines cohibitã; quis magno eoque Pijſſimo Principi culpæ
264 tribuat, quod ſacris ſe prophanus interpo-
*L. 6. c. 19.* ſuerit? Hæc verò alibi. Præfuit autem Ioan. annos 9.

*Bened. V.* cxxxv. Ioanni *Benedictum* V. qui eius partes fouerant ſufficiunt, repudiato *Leone VIII.* quem abdicato in Synodo Ioanni ſuffici Otto curauerat. Tametſi enim Ioannem eo indignum gradu multã redderent; non ta-

men ritè fortè potuit abdicari, cùm ex veteri dicto, *Nullius iudicio ſuprema ſedes ſubiaceat.* Sintque boni à Deo peroptandi Pontifices; mali ferendi. Benedictum tamen tamquam ſpurium Otto Victor in Germaniam abduxit, vbi non diu poſt piè obijt. Nec diu ſuperuixit Leo, qui Romæ tamquam verus Papa ſubſtiterat. *Leo VIII. cxxxvi.*

*Ioannes XIII*, ex Narnienſi Eccleſia ad Romanam poſt Leonem, an Benedictum, iuxta leges ab Ottone ſuffragatoribus præſcriptas tranſuectus eſt; vt breui poſt à Turbonibus ageretur ad fugam. Sed cum Pandulfus Capuæ, quò ſe Papa receperat Dominus, cæſo Rofredo Campaniæ comite, qui perduellium proteruiam fouebat, reſtituit. Nec obſtitere Romani, qui ex Ottonis cum copijs aduentantis metu ferociam poſuerant. Hinc Capua Metropolis à Pontifice dicta: & Romani ab Ottone per varia ſupplicia ad obſequium adacti; vt alibi commemoratum eſt. Et Ottonis cognominis filius in Imperatorem inunctus, & cum Theophaniâ Imperatoris Byzantini filiâ connubiali fœdere ſociatus. Receptis tandem Papa Rauennæ, quò cum Imperatore conceſſerat in Synodo, quæ Tyranni ditioni pontificiæ ſubtraxerant, nouoque diplomate confirmatis: & in Poloniam, ad Miſconis principis preces, qui recens Eccleſiæ ſe legibus addixerat, miſſis, qui fidem in Borealia promouerent. Obijt cum ſediſſet annos 6. m. 11. . 5. *Ioannes XIII. cxxxvii. Pellitur. Reſtituitur. Capua Metropolis. Polonia Chriſtiana. 972 25. Aug.*

Ioanni ſuffectus *Donus* ad tres menſes, locum fecit Benedicto V I. qui vbi clauum *Donus. cx.*

*Bened.* CXXXIX Eccleſia tenuiſſet annum unum m. 3. & dies
*Bonif.* aliquot à *Bonifacio* ſtrangulatus eſt. Hunc
CXXXX poſt annum ab intruſione pulſum *Benedi-*
*Bened.* *ctus VII.* excepit ad annos nouem, quem
CXXXXI non parum in monaſticâ reſtituendâ diſci-
984 plinâ, & confirmando Germanis Imperio
10. *Iul.* *Ioã.XIV* deſudaſſe dicunt.

CXXXXII. *Ioan. XIV.* Benedicto ſuffectus à Bonifacio poſt exilium atrociùs ſæuiente in Hadriani molem, quam perduelles inſederant, abductus, poſt annum actus ad mortem eſt; ipſeque Bonifacius quarto poſt menſe improuisâ morte correptus locum fecit *Ioanni XV.* Hic etiam ſuas paſſus vices à Creſcentio qui conſulis nomine Ha-
*Ioan.XV.* CXXXXIII driani molem inuaſerat, ad fugam actus eſt; ſed breui reuocandus ex Ottonis III. quem profugus Papa è Thuſciâ in auxilium aduocauerat, metu. Cum ad impulſionem Hugonis Capeti, qui Franciæ ſe Regem dici in Comitiis curauerat, abdicato in ſynodo Rhemenſi Arnulfo, quaſi Carolum Lotharingiæ Ducem, & Regni ex natalium ſorte legitimum hæredem Rhemos acciuiſſet, eam in Eccleſiam Gerbertus intruſus eſſet, tametſi reclamans Seguinus Senonenſis præſul, rem ad ſummum Pontificem referendam ex more diceret. Pontifex rei conſcius, perculſis anathemate præſulibus, qui facinori aſſenſerant, per ſeguinum & Leonem S. Dionyſij Abbatem legatos, in noua Rhemenſi ſynodo Arnulfum reſtitui juſſit. S. Vdalricum Auguſtanum Epiſcopum ſolenni ritu Diuorum faſtis adſcriptum publico Eccleſiæ cultu di-

gnum cenſuit. ubi ſediſſet annos 10. m. 4. d. 12. obijt. 996 7. *Mai.*

*Gregorius V.* qui antè Bruno, Imperatoria Ottonum cognatio, ſed magis eximia virtutis ad ſupremam Eccleſiæ ſedem prouexit. In hujus etiam urbe pulſi locum Creſcentius *Ioannem XVI.* cognomen adeptum, Placentinum Epiſcopum, qui ſibi Archiepiſcopi nomen, ſuperbè attribuerat, promouit. At Otto iam ante à Ioanne aduerſus Tyrannum ad auxilium accitus, ingreſſus interea Italiam cum copijs, cognato Pontifici matrique Eccleſiæ illatas injurias, euentu alibi enarrato ultus eſt. Tum Pontifex authoritate ſibi aſſertà ad Ottonis & patriæ gloriam uſus, ipſum in Imperatorem inunxit; & ut ius eligendi poſthac Imperatorem penes Germanos proceres eſſet, in ſynodo edixit. Adelbertum Pragenſem epiſcopum, qui ob populi contumaciam in S. Bonificii cœnobium Romam ſe receperat, inſtante Archiepiſcopo Moguntino ad ſuam Eccleſiam redire juſſit: ac ut fidei luci verſus Borealia diffundendæ, ſi Pragenſes in duritia perſiſterent, indulſit, ubi & martyr occubuit ut & aliquandiu poſt Bonifacius Ottonis conſanguineus, quem Adelberto ad munus illud Apoſtolicum, ex D. Romualdi ſcholà idem Pontifex ſubſtituerat. Exceſſit vbi ſacra adminiſtraſſet annos duos, m. 8. d. 6. 999

*Greg. V. xxxx vi.* 996 12. *Ian.* *Ioa. XVI. cxxxxv.* *L. 6 c. 10.* *Imperium Germanis aſſertum.*

pietas; impietatem potentia promouit. Iſta quantumuis pleraque mixtim & ſimul contigerint; narrare tamen ſigillatim placet; vt quæ in actu non habuerunt ordinem, habeant in ſcripto, & magis emineat Eccleſiæ maieſtas; quæ vno in hoſte, plures vicit, pluries triumphauit.

## CAPVT II.

### *De Cælibatu Clericorum; & inde turbæ.*

IN hoc Eccleſiæ decor præſertim nitet, quòd iam inde ab Apoſtolorum temporibus, nullum inter Miniſtros voluit; qui domitâ Venere, ſe ſui dominum non prodidiſſet. Et hoc orbe toto Concilia, Pontifices; Imperatores; vt ſanctum eſſet, & inuiolabile ſæpiùs edixerunt. At quantùm inde turbarum! cum viros miniſterio Angelorum æmulos non puderet, infami conſuetudine infra homines deſcendere; & è cœlo delabi in cœnum. Obuiam malo ibat Chryſoſtomus, cum Antonium Epheſi Præſulem, receptæ ſponſæ reum, mors interueniens ad tribunal multò ſeuerius ſiſtit. Nec officio defuit Gregorius Magnus, Siculis Clericis, ab impuro commercio, ad veteres pudicitiæ leges reuocatis. Ad pium etiam opus ſtrenuè incubuit Dunſtanus Cantuarienſis Epiſcopus; ſed cum medendo morbus ægreſceret, ejici ab Eccleſiis Clericos curauit in Synodo, qui à ſe non iam ſponſas, ſed concubinas, non abieciſſent; Monachis in eorum loco ſubſtitutis, ex decreto Concilij, ad

*400 Cælibatus Clericalis aſſertores. 591 Chryſoſt. Greg. M. Dunſtan. 970*

niſi vt non diu poſt atrociùs inualeſceret. Quippe Cadolaus, in locum Nicolai, ab ſchiſmaticis intruſus; vt ſe dignam Eccleſiam regeret, obſcœnam voluit. Ac ex ſucceſſu totam per Longobardiam & Germaniam felici meruit, vt qui *Nicolaitæ* dudum audierant; *Cadolaitæ* dicerentur. In hos vibraſſe anathema nihil diu profuit Alexandro II. & Gregorio VII. Pont. ſuo quippe immerſi luto, extra ſenſum erant: nec afflari ſe poſſe putabant igne de cælo per anathemata; qui tartaream alebant in medullis flammam. Nec extulere de cœno caput, niſi vt in Gregorium, Annonem Colonienſem, Sigefridum Moguntinum, & alios, quas ſordes hauſerant euomerent. Quid verò tandem profectum contumaciâ; niſi vt ſacris ipſi polluerentur, qui ſacra polluerant? Agnouit impietatem populus à Gregorio monitus, & ſacrilegij ſe fore conſcium putauit, ſi ſacrilegorum ſacris intereſſet. Inde quæ vis mali hactenus ſuprà remedia fuerat, tandem poſuit: & ſuum pudori pretium rediit, cum impudicitia horrori & contemptui eſſe cœpit.

*Cadolaus Antipapa Cœlibatū impugnat*

1074

## CAPVT III.

## *De Simoniacis.*

SImoniæ vitium jam tum à cunis Eccleſiæ tam ſeuerè D. Petrus cohibuit; ad Simonem Magum, a quo peſti nomen hæſit, dum vim impetrandi ac largiendi Spiritum Sanctum pecuniâ mercatur, hęc reſpondens, *Pecunia tua tecum ſit in perdi-*

*tionem*; vt nec vlla eius ſuſpicio diu fideles afflauerit. Adeo nullus pretio irrepebat ad Infulas; vt vel vltrò oblatas quiſque refugeret. Iterùm tamen peſtis erupit, adultâ jam Eccleſiâ, quæ nihil in teneram potuerat. Tunc tantùm cæpta ſunt vænire ſacra, quando in vaſis aurum emicuit, quo *Lignei ſacerdotes* corrumperentur; cum *lignei calices in ſacerdotes aureos* nihil po-
400 tuiſſent. Inſurrexit in monſtrum Chryſoſtomus, Epiſcopis nundinationis impiæ compertis, in Epheſinâ quadàm Synodo exauctoratis. In eo quoque deſudauit opere
459 Gennadius Byzantinus etiam Præſul, adducto Leone II. Imp. vt per edictorum antidotum peſtis repreſſæ laudem ſibi quoque aſſereret. Exemplo Domini euerſis menſis, Nundinatores è templo ejecerant: ſed illi Iudæis ſimiles redierunt ad ſcelera, cùm pœnæ timor abſceſſit. Quid alibi factum putes? cùm nec ipſa Romana ſedes ſuſpicione vacauerit. Non defuere quidem Athletæ nobiles, qui niſu toto, in hydram inſurgerent, & abominationem tollerent è loco ſancto: prophanum ibi captari lucrum indignati, vbi ſua Deus beneficia gratis donat. At fruſtra fuit Ioannis II.
533 decretum, quamquam Athalarici Ariani Vviſigothotorum in Italiâ Regis edicto nixum: fruſtra fuere Gregorij Magni ad Brunechildem Franciæ Reginam, & multos variarum gentium Præſules Epiſtolæ. Nec multùm profuit Conciliorum paſſim, & Principum ſollicitudo piiſſima; ex remediis malum inualeſcens, humanam ſe ſupra

*Chryſoſt. in ſimonia os.*

*Nec non Gennadius.*

*Et Greg. Magnus, &c.*

vim prodidit, vt in eo demum curando diuina innoteſceret. Quàm triſti id ſimulque prodigioſo exemplo didicit Gallus quidam Præſul. quippe dum in Synodo periurio ſibi ab iſto crimine facit innocentiam; pœnam acciuit. Cùm enim facilè, vt ab Hildebrando Victoris II. Legato juſſus erat: 1055
*Gloria Patri & Filio* pronunciaſſet; *in Spiritui ſancto hæſit.* Ex prodigio crimen *Prodigium.*
faſſus dignitatem, quam pretio emerat, gratis abjecit, ac expeditè ſacrum Triſagion abſoluit. Vnius pœna quàm multos abduxit à culpâ? quinque & quadraginta Præſules, (vt inferioris ordinis Miniſtros prætercam) priuati maluerunt eſſe, atque adeo ab intentatis pœnis ſecuri, abdicatis vltro dignitatibus; quàm vltioni diuinæ ob noxii, retentis. Breui poſt ad Petri Damiani, & Anſelmi Lucenſis Epiſcopi, Nicolai II. Pontificis nomine monita; rediit *Et Petrus Damiani.*
ad officium Guido Mediolanenſis, & ne 1059
pœnam ſibi accerſat pertinaciâ, innocentem ſe facit pœnitentiâ: ſopito etiam diſſidio, quod Ambroſianam Eccleſiam diu à Romanà diſtraxerat. Feliciter prorſus, ni aliqui morbum feciſſent ex remedio; ex odio ſimoniæ, in hæreſim prolapſi. Nam promotos pretio, ita velle inter laicos, vt poſt veniam iterum eſſent ordinandi; quid erat aliud, quàm vitium vitio mutare; & ita abſcedere à fumo, vt incideretur in ignem. Non erat id ægritudini remedium, ſed incrementum, & inde noua Petro Damiani vincendi materia. Nec id operoſum valde. Libellus ad Henricum Ra- 1052 *Ex remedio morbus.*

uennæ Prçſulem ſatis ad palmam fuit: quippe nondum malum adoleuerat. Tanti eſt ad ſanitatem medicamenti celeritas! Nec minus intereà ab iiſdem dignitatibus, aliâ ſub ſpecie, periculum: euincendum etiam fuit, per multa diſcrimina, ne illas indigni darent, poſtquam expreſſum tandem fuerat, ne indigni emerent.

## CAPVT IV.

### *De Inueſtituris.*

REgum & Præſulum iura ſua cuique dignitas deffinit. Mutuò illa ſibi ſeruire poſſunt; miſceri rectè non poſſunt. Impium Regibus; ſe ſacris interponere, niſi ad præſidium. Nec minùs indecorum Præſulibus; immiſcere ſe prophanis, niſi quatenus illa diuinis ſeruiunt. Id obſeruatum ſedulò, donec Barbari Occidentis collapſo Imperio; inſociabiles res miſcuerunt, ſacra prophanis. Author Odoacer, quando ne Romanus Pont. inconſultis Italiæ Regibus eligeretur, edixit. O quali tum ſub jugo ingemuit Eccleſia; quç libertatem orbi dedit! Nec exturbatis Gottis, qui ſuffecti Erulis in Italiâ tyrannidem prorogauerant, nouæ Romæ Principes, ſuum jus Antiquæ reddiderunt. Durauit illud opprobrium; donec prçualentes Franci, vel ob id ſe dignos Imperio probarent, quòd Eccleſiam ſibi ſubditam nollent. Præſules autem à primis Eccleſiæ temporibus, ex cleri vniuerſi, & plebis ſuffragio fuiſſe electos, & ex Epiſcoporum Prouinciç, ob id in Synodum, in

*Promotio ad ſacras dignitates vſurpata à Laicis.*

loco vacantis Eccleſiæ conuenientium, judicio confirmatos, & authoritate Metropolitani conſecratos, antiqua monumenta docent. Sed ſubſecutis temporibus, ac poſt ſeptimam præſertim & octauam ſynodos œcumenicas, laicis à jure ſuffragij excluſis, ſoli clero id priuilegii reſeruatum eſt. Quamquam diu poſt in Galliis populi ſuffragium ad electiones interueniſſe, ex Bernardo Claraualleníi videtur clarum. Sed tandem paſſim inualuit cõſuetudo Pontificijs decretis corroborata, vt excluſis laicis & inferiori clero, ſoli Cathedralium Canonici jus ſuffragij haberent; non tamen ita plenum, vt antequam publicaretur electio, conſenſus Principum quærendus non eſſet, ac expectandus. Gaudebant & alicubi principes jure nominandi ac præſentandi quos poſtea ſuffragatores eligerent, ac ij quorum intererat conſecrarent ac inueſtirent. Ius illud præſentandi ad infulas à Zacharià Pontifice fuiſſe conceſſum ememorant Pipino, ex procerum ſuffragio, & ipſius Zachariç conſenſu, à Bonifacio Moguntino in Franciæ Regem injuncto. An autem inueſtiendi jus Carolo Magno poſt excuſſam Longobardorum tyrannidem indulſerit Hadrianus Pontif. affirmare non auſim; cùm Romanam Synodum, in qua id conſtitutum dicitur, tamquam ab Henricianis, ad ſuam vſurpationem, aliquà juris ſpecie fulciendam, compactam eruditi reijciant. A poſterioribus tamen Regibus id iuris fuiſſe uſurpatum, ſed modeſtius, quàm ab Imperatoribus ijdem eruditi conſentiunt. Eam etiam

*Cypr. ep. 3. & 4.*

*Ep. 3. & 23.*

*Lup. Fer. ep. 81.*

authoritatem Reges Angliæ ſibi arrogaſſe, ex eo videtur certum, quòd Anſelmus Cantuarienſis, ob exortam inde contentionem inſulâ excedere coactus fuerit. In hoc autem ius illud inueſtituræ fuiſſe poſitum dicunt, ut qui legitimè fuerat electus atque conſecratus, ab Imperatore per traditionem Annuli & baculi, quæ authoritatis Eccleſiaſticæ ſigna ſunt, *inueſtirentur*; cui propterea Præſul, ritu Vaſſallorum ſæcularium, fiduciarium ſe ſponderet; ac obedientiam iuramento promitteret. Et id eſt, in quo proditam fuiſſe dignitatem Eccleſiæ conquerebantur Pontifices; quaſi ea, etiam quantum ad ſacra, per illam obſequii ſeu *homagii* profeſſionem, Principum ſæcularium arbitrio ſubderetur. Quamquam Principes *ſacra ſacris* nolle ſe imminuta proteſtati, illam à *Vaſſallis* ſæcularibus præſtari ſolitam obedientiæ & fidei ſponſionem ſibi ab Epiſcopis etiam deberi contendebant, ob Regalia & Feuda præſulatibus ex principum liberalitate annexa. Hinc Fridericus I. ad Hadriani IV. Legatos, qui concedebant quidem ut Italiæ præſules fidelitatem ipſi promitterent; at non ut *homagum* præſtarent. *Epiſcoporum* ait, *Italiæ ego quidem non affecto hominium, ſi tamen eos de noſtris Regalibus nihil delectat habere. Qui ſi gratanter audierint à Romano præſule, quid tibi & Regi, conſequenter quoque ab Imperatore non pigeat audire; quid tibi & poſſeſſioni.* Id verò juris non fuiſſent negaturi ſummi Pontifices; nec illius ergò tantò Imperij ac Eccleſiæ diſcri-

mine contendiſſent, qui *ſuum Regnum de hoc mundo non eſſe* à Chriſto didicerant ; ſi excluſo ſimoniæ, ac quarumcumque ſordium vitio, ambitioſius exactum ab Imperatoribus, & demiſſius redditum à multis præſulibus non fuiſſet : ac proinde dignitatis ac libertatis Eccleſiaſticæ proditæ ſuſpicio graviſſima non interveniſſet. Quem exitum hæ contentiones habuerint, mox referam. Hic ad inſigne Francorum Principum decus addo, Carolum Magnum edicîſſe, *ut ſecundum ſtatuta Canonum per Electionem Cleri & populi, de propria Diœceſi, remota perſonarũ & munerum acceptione, ob vitæ meritũ & ſapientiæ donum Epiſcopi eligerentur.* Id & ſtatutum firmiùs à Ludovico Pio : ne vacuum eſſet *cognominis* elogium. Et quamquam nonnihil præter fas attentaverint Lotharius & Ludouicus Impp. ordine ſubſecuti Pium , [illegible]
[illegible] ; eadem tamen Leo
I V. Pont. ne maiorum dona nepotes corrumperent ; ſe in politicis leges imperatorias ſeruaturum pollicitus. Sic pij Principes dum Synodi VII. decretis ( quod & ab octavâ poſtea ſtatutum eſt ) quibus cauebatur, ne laici ad dignitates Epiſcopos promouerent , obtemperant ; ſe dignos probant, qui imperent. O diuinam planè Francorum magnitudinem ; quę tota fuit vt diuinam, & Eccleſiaſticam maiorem faceret. At quàm parùm ſæpe bonum à malis diſtat ! Cum Francorum conſeneſcente potentiâ, Thuſciæ præſertim Comitibus , non Roma ſolùm , ſed Eccleſia quoque ceſſit in prædam. Quæ tùm portenta Chri-

*Franci ius ſuum Clerorcddunt.*

817

ſtianus orbis inhorruit? cum illi ſacris præ-
955 erant, quos meretrix vellet. Hinc Ottoni
*Illud Otto aufert bono fine.* Mag. minus inuidiæ ex facti audaciâ. Cùm enim Clerum & alios, quibus ius ſuffragij erat in eligendo Pont. adegit; ne illum ante venerarentur & conſecrarent; quàm ſtatuta ſeruaturum ſe coram Legatis Imperatoris promiſiſſet; turbandi licentiam magis abſtuliſſe viſus eſt, quâm libertatem imminuiſſe. Id tamen iuris tribui ſibi poſtea noluit Henricus II. Imp. At quod fuiſſet aliàs pietas; tenerioris conſcientię ſcrupulus tùm fuit: vt plus nimiùm, ex turbis ad ſingulas fermè Pontificum electiones ſubſecutis probatum eſt. Emendavit in
1059 peius licentiam Nicolaus II. Pont. cum vltrò dedit Henrico III. non ſolum approbare ſuffragio, quem Pontificem electores creaſſent; ſed quem vellet ipſe facere; ſi in vnum aliquem ſuffragantium vota non conſenſiſſent. Vt ſapientiæ fuiſſet inuectum iugum pati; imprudentiæ fuit vltro illud induere. Hinc enim diuturna Henricorum & Ænobarbi diſſidia, quibus diu Eccleſia, ſua inter ſe membra commiſſa doluit. Quamquam eorum non pœnitet, per quæ ſua rurſum majeſtas Eccleſiæ conſtitit. Violatam dicas; vt ex iniuriæ ſenſu, ſuæ dignitatis admonita, recuperaret quæ amiſerat: & eorum ſe verè dominam probaret, quibus ſemet ipſa ſubdiderat.

## CAPVT V.

## *Decimum quartum in Eccleſiam ſchiſma Henrici III.*

PRima ipſi lucta cum Henrico III. Imp. Hic quid à ſe maturo, & ad vitia planè formato ſperandum eſſet; iam tum à pueris docuit. Quid vir non audeat, qui facinorum audaciſſimum puer admiſit, cum *Cadolaum* hominem impuriſſimum Nicolao II. ſubſtituit; quaſi Alexandri II. promotionem reſcinderet non expectatus ipſius aſſenſus, quem Guibertus Parmenſis Can- *Antipapa*
cellarius, excluſis ab alloquio Principis ſuf- *Cadoalus*
fragantium Legatis, negari curauerat. Sed 1061
Guiberto, Annonis Colonienſis curâ, in ordinem redacto; & Pſeudopontifice primùm
à Romanis, quos armis ſe ſubacturum ſpe- *Abdica-*
rauerat, benè mulctato; poſtea in Synodis *tus*
Oloſburienſi & Mantuanâ, damnato, ſua Alexandro dignitas omnium aſſenſu conſti-
tit. Inde ſerenitas, ſed vt maiori tumultu 1064
procella infremeret. Rex enim excuſſo Annonis ſeueriori magiſterio, ita ſub Adalberti Bremenſis laxiori diſciplinâ pudorem ſoluit; quaſi peccandi licentiâ principem metiretur. Fines quoſque exceſſit improbitas, cùm eam ſine pœnitentiâ eſſe voluit. Adeo enim admonentem Alex. & ipſi ſuffectum
Greg. VII. non audiit: Adeo Romam 1073
purgatum ſacrilegia, vt juſſus fuerat, & *Henrici*
inſtabant Germani proceres, non petiit; vt *prauitas.*
ius omne prouocationis ad Pontifices prohibere attentauerit. Nec ex rebellione Saxo-

num adductus eſt ad petendam veniam, niſi
1075 *Attentat impia.* vt grauiùs peccaret. Nam defunctus periculo, non tantùm Præſulum, quos pellicatus, & ſimoniæ compertos Gregorius Pont. damnauerat, ſe vindicem præſtitit; ſed ex ipſis habito Vvormatiæ conuentu de exauctorando Pontifice conſultauit. Eique per Rolandum Parmenſem clericum, vt ſeipſe tamquam indignus abdicaret, indixit. Mirum inter tot Germanos præſules vix fuiſſe quinque, quos ſacrilegæ veſaniæ contagio non polluerit. Fuere hi Gebehardus Salſburgenſis, Altmannus Pataulenſis, Adalbero Virzburgenſis, Hermannus Metenſis, Meginnardus Frizingenſis. Alij verò, præeuntibus Vuilhelmo Trajectenſi, & Roberto Bambergenſi, conſenſere ſacrilegio. Non enim erat ipſis Religio ſacram authoritatem prophanæ Imperatoris addicere; à quâ ſuam ipſi emerant. At nouus Enceladus, anathematis fulmine, è Romano 110. præſulum cætu
1076 *Excommunicatur.* vibrato, abdicatus concidit; qui cælum telis appetierat. Hinc Germanorum paſſim tamquam ab execrato defectio. Hinc Præſulum Schiſmaticorum furiales ſtimuli, quibus inter alios Vuillelmus Trajectenſis, qui anathematis contemnendi author Henrico fuerat, cum in illud inter Miſſarum ſolemnia ad populum inueheretur, derepentè excarnificari cepit, ac ſtatim deportatus in lectum: & ſe & Regem, & omnes qui ei aquieſcerent, gehennæ cruciatibus deſtinatos eſſe in perpetuum, non ſine horribili adſtantium pauore, paulò ante

mortem dixit. Inde factum vt quamuis Vuecilone, poſtea Moguntino Pſeudoepiſcopo Authore, negata vi anathematis, impietatis pænam, per impietatem ſopiæ multi voluerint, & aliqui Ticini anathema in Pontificem retorſerint, ne ſe innocentes crederent, pænę ſenſus expreſſerit. Eò demùm Rex ipſe abdicationis intentatæ metu adactus eſt, vt ipſe ſe quaſi abdicauerit. Nam ſine vllo Regij ſatellitii ſtrepitu Italiam profectus, & Canuſij, quò ſe Pontifex receperat, non priuati ſolùm, ſed pænitentis etiam habitu, veniam quam & per ſe, & per Comitiſſam Mathildem, & per Hugonem Abbatem Cluniacenſem poſtulabat, non antè obtinuit, quàm pollicitus ſit, negaturum ſe conſortium & patrocinium Schiſmaticis: ac ornamentis Regijs poſitis, ab adminiſtratione ceſſaturum, donec in Germanorum Comitijs ex Pontificis ſententiâ, vel permaneret in ſolio, ſi probaretur innocens, vel abdicaretur, ſi reus. At non diutiùs in fide fuit, quàm in conſpectu Pontificis. Nimirum vt verè ſe Regem oſtenderet, nullis ſe jurisjurandi vinculis aſtringi potuiſſe prodidit. Perfidiæ certi Germani proceres, eum in comitiis exauctorant, ſubſtituto Rudolfo Sueuiæ Duce. Nec ei detrectare obſequium, læſæ fidei crimen putant, qui Deo, Deique vicario datam fidem negauerat. Non tamen zelus calidior Pontifici placuit qui vitioſum caput ſanare malebat, quàm abſcindere. Triennio tamen poſt di-

*Pænitet.*

*Relabitur*

*Exauctoratur.*

ctam à proceribus abdicationis ſententiam, ſuâ fulcit in Romanâ Synodo, & ad Rodolfum tamquam legitimè tunc Imperantem coronam aureā miſit, hoc circumſcri-
1080 ptam elegio *Petra dedit Petro, Petrus diadem.t Rudolpho.* Periculoſum ſanè etiam in morbo deſperato remedium, niſi grauis tunc illud neceſſitas probabile vtcumque feciſſet. Quid enim aduerſus principem ſupererat, non jam ſolùm humanè, ſed furioſè impium, cum ſæpe de non vendendis infulis, promouendis ſimoniacis, fouendis impuris clericis, & *inueſtiendis* prſulibus commonitus, inemendabilē ſemper ſe prodidiſſet. Quod tamen de *inueſtituris*, quarum ſibi ius, tamquam legitimum Principes arrogabant, tunc primum in Occidente, in Lingonienſi & Romanis Synodis ſtatutum videtur, ea turbulentiſſimâ tempeſtate, maiori fortè animo, quàm prudentiâ iudicari factum poſſet, niſi Pontifex Apoſtolico verè zelo inſtinctus ſuarum eſſe partium crediſſet, iuſta & decernere, & pro virili promouere, & qualemcumque Deus ceptis exitum deſtinaret, æquo animo & expectare & ferre. Ad illa verò deſpumans impius, vt vlciſcatur iniuriam, ſcelus exaggerat. Audet enim iam non ſui Dominus, in Brixinenſi apud
*Antipapā promouet.* Noricos pſeudoſynodo Pōtificem deponere, Guiberto Rauennę Prſule, in Antipapam, ſub Clementis nomine promoto. Dignum Henricianæ caput Eccleſię, qui ſæpiùs anathemate præciſus, Catholicæ membrum non erat. Nec interea ceſſabatur ab armis,

ne conſeneſceret impietas, quam violentia non promouiſſet. Cæſo itaque in Germaniâ, apud Elſtram fluuium Rudolpho, cui Hermannus Lotharingiæ Dux, breui poſt cæſus, ſuffectus eſt, irruit in Italiam Henricus, & obuia quæque attrociter populatus, Vrbem tandem occupat, ſeque à ſuo Guiberto Imperatorem dici curat, nempe 1084
vt nobilius de ſe trophæum Roberto Guiſcardo vtriuſque Siciliæ Principi, ad Pontificis, in Hadrianâ mole obſeſſi, præſidium accurrenti poneret. Fœdè enim pulſus non mitiorem in Germaniâ fortunam expertus 1086
eſt. Nam ad Herbipolim, & alibi à Catholicis victus; & à Victore III. & Vrbano II. & Paſchale, ſubſecutis ordine Gregorium, proſcriptus, ac ad extrema redactus, documento fuit, neminem vnquam impunè in Deum inſurgere. Sed inter vltionis diuinę morſus, nihil magis exulcerauit impium, quàm rebelles filii. Eum abnegare Patrem cuiusdam tum pietatis fuit, quando ipſe matrem Eccleſiam impiè laceraret; & filios non ad illicita ſolùm, ſed ad nefanda cogeret. Cum enim (ut iam vulgaria taceam) ſponſam Adelaidem, propter morum diſſimilitudinem carceri addixiſſet; ipſum inter alios Conradum filium, vim vt Nouercæ inferret, ſollicitare non erubuit. Id verò cum piè contumax filius abominatus eſſet; eum vt ſpurium contumeliosè abiecit. Hinc minori ſcrupulo in eum, qui ſe Patrem negauerat, rebellauit; atque vrgente Mathilde Thuſcię Comitiſsà, quę 1093

*Vincitur.*

*Obſcenus.*

vt ſe & Eccleſiam ab Henrici tyrannide fortiùs tueretur, Vuelphoni Bauaro, cum mutuo ſeruandæ caſtitatis pacto, nupſerat; in Ciſalpinæ Regem ab Anſelmo Mediolanenſi inunctus eſt. Sed in ipſo infelicis facinoris exordio abreptus, conſummati gloriam Henrico fratri reliquit. Iſte accepto Regni jure à proceribus, à quo Pater exciderat, non tamen ante Regem egit; quàm in Concilio apud *Northuſam* villam Regiam proſeſſus eſſet obſecuturum ſe Patri, iuſque ipſi Regium redditurum, vbi ipſe Eccleſiæ ſe obſequio reddidiſſet; idque ipſi Patri conteſtatus eſt in colloquio apud Bingam, quando dexteritate procerum, paratæ ad certamen copiæ, abſque pugnâ digreſſæ ſunt. Ex eò Rex nouus vniuerſam prope Germaniam ſuo addictam obſequio, Pontificio reſtituit. Ad hæc Pater *Moguntij*, quò præſules & proceres, præſentibus Legatis Pontificiis, ad pacem conuenerant: vltrò poteſtati filii tradidit Imperij inſignia; qui rem inuitus amiſerat. Ac ſe reum confeſſus, in locum ipſi aſſignatum priuatus abſceſſit. At non ſimul cùm externis Imperij inſignibus, interna animi poſita contumacia eſt. Iamque non ſolùm Leodij, quò effugerat, & in reliquâ Germaniâ; ſed in Italiâ etiam Schiſmaticorum coëuntibus copiis, redintegrabantur tragœdiæ. Quippe & per litteras aduerſus filium, Proceres, &

*Ad pacem cogitur.*

1105

*Molitur noua.*

& Pontifices contumelioſiſſimè ſcriptas; & per *Vvernerum*, quem in Aquini Marchà conſtituerat; & per Petrum Columnium Abbatem de Farſa, qui poſt Albertum, Theodoricum, & Maginulfum Antipapas, Guiberto ſuffectus fuerat, turbandi rurſus perduellibus faciebat audaciam. Sed in ipſo nouæ molitionis exordio Leodij abreptus documento fuit, vitijs fermè hominem immori, in quibus vixerit. Digna pacis victima dum obijt, quam viuens numquam admiſit, niſi vt ſecuriùs turbaret. Ne verò ſupereſſet occaſio tumultuum, *Vuaſtallæ* ad Padum in Conuentu Præſulum, & Procerum, cui Paſchalis ipſe Pontifex, à Comitiis Moguntii habitis, per inſignem multorum Præſulum, & procerum legationem rogatus adfuit; recepti ſunt in gratiam perduelles, ſine dignitatum damno; niſi ſi quos pretium, aut vis apertiùs intruſiſſet. Nam vt intereſt, vbi ſinguli peccant, iram diſtringere, ad exemplum; ita commune delictum diſſimulare, aut ignoſcere, ſæpe ad pacem neceſſarium eſt.

1106 *Obijt.* *Pax.*

## CAPVT VI.

## *Decimum-quintum in Eccleſiam ſchiſma Henrici IV.*

NOn infra Carolos aut Othones locum meruerat Henricus IV. ſi quod Eccleſiæ bonum contulerat, maioribus damnis non corrupiſſet. Dicas noluiſſe patrem tyrannum vt ipſe eſſet; & non in eum rebellaſſe, quòd turbaſſet Eccleſiam; ſed vt ipſe
1107 turbaret. Cum itaque per Archiepiſcopum Treuerenſem Legatum ſuum, Catalauni à Paſchale, qui poſt Vvaſtallenſem conuentum in Gallias conceſſerat; vt ſibi ius Inueſtituræ integrum ſeruetur, non impetrat, ad illud per vim & dolos eniſus eſt. In Italiam enim cum exercitu profectus, nullam ſe de illo iure controuerſiam facturum promiſit;
1110 ſi Præſules à Regalibus abſtinerent. At in vrbem admiſſus, adeo promiſſis non ſtetit, vt Cardinales, Epiſcopos, ipſumque, nefas! Pontificem carceri addixerit; & ob exortam inde ſeditionem, quà Imperator excuſſus equo in maximo vitæ periculo fuit, ad arcem in Sabinis munitiſſimam abduxit. Hic non tam præſentis calamitatis ſenſu,
1111 quàm vniuerſo Chriſtiano orbi, ex aperto diſſidio, impendentium malorum metu, Pontifex ſuperatus, Henrico indulſit ius *Inueſtiendi* præſules ſuæ ditionis, liberè electos, antequam ab vllo poſſent Epiſcopo conſecrari. At ad ius non benè itur per iniuriam. Benè itaque tum vulgò iactatum eſt: Indultum illud à captiuo Pontifice non

*Henricus IV. ius inueſtituræ vi extorquet.*

*Priuilegium*, ſed *prauilegium* dicendum eſſe. Ideo quamuis obluctaretur Pontifex, & factum ſi non vt honeſtum defenderet; vt neceſſarium tamen tunc excuſaret: eſſentque orbe toto non pauci præſules, inter quos Iuo Carnotenſis: qui ne in culpâ videretur Pontifex, culpam ipſam innocentem quaſi dicerent; Romani tamen Cardinales, Pontifice in Campaniam digreſſo, confirmatis quæ contra Laicorum *Inueſtituras*, Gregorius VII. & Vrbanus II. ſanxerant; priuilegium illud irritum dixerunt; alijs ad liberiorem illum zelum præeunte, ac animos faciente, Ioanne Tuſculano præſule & Cardinale. Exemplum nobile ſecutus Conon Cardin. & Epiſcopus Præneſtinus, qui tunc ſedis Apoſtolicæ Legatione fungebatur in Oriente; coactâ Hieroſolymis Synodo, in Principem ſacrilegum dixit anathema. Indeque in Occidentem reditu feſtinato, eodem legationis munere fungens, in Græciâ, Hungariâ, Saxoniâ, Lotharingiâ, Franciâ, conuocatis Synodis, quod malè indultum fuerat reſcindi curat, & Henricum è ſacris eijcit, qui ſe per vim in ſacra intruſerat. Ad hæc Pontifex, quem ſchiſmatis metus ad molliorem indulgentiam traxerat: ne ſeueriori indulgentiæ patrocinio ſchiſma faciat, iniuriam ſibi à præſulibus factam diſſimulat: & leniter reprehenſis, qui ex ardentiori pro ſacris zelo, in ſupremum ſacrorum Miniſtrum parùm reuerenter egerant; emendaturum ſe dixit, quod tanto ſtudio improbabant. Non tamen vt apertè quod malè indultum fuerat reuoca-

*A Cardinalibus reſcinditur.*

*Item in multis Synodis.*

ret induci vmquam potuit; *jurisjurandi* malè præſtiti, ſupra vim factam, & ſupra concordia tot præſulum ſuffragia; præualente apud ipſum conſcientiâ. Sed in Lateranenſi tamdem Synodo, quæ aliæ Synodi orbe toto ſanxerant aduerſus Laicorum *Inueſtituras* rata habuit; quod ante per literas, ad vniuerſum orbem Catholicum ſcriptas, iam fecerat: ſuppreſſo tamen vtrobique Henrici nomine: quaſi ſuppreſſum nomen poſſet abſoluere, quem res damnabat. Ad hæc Henricus in armis, & in Italiam, & in vrbem; ac è ſacris eiectum ſe verè annuit: dum vt ijs reſtitueretur per Legatos à Pon-
1116 *Henricus abſolui petit.* tifice in Apuliam profugo petijt. At vnâ viâ redire poterat ad ſacra prophanus, ſacris abſtinendo. Id etiam Gelaſius Paſchali ſuffectus apertum voluit: quando Cincij Frangipanis elapſus Tyrannidem in fugam ſe dedit. Quo tunc pietatis ſpecimine Hugo de Alatro Cardinalis enituit? cum ex hærente ad vadum naui, & in hoſtium mox venturâ manus Pontificem ereptum, impoſitumque humeris, admirabili planè ſpectaculo, in tutum detulit. Fruſtratus prædâ Henricus, quam Pontifici non potuit, Pontificiæ dignitati iniuriam fecit, promoto in Antipapam Burdino. Id enim hominis ad inſulas promouiſſe; quid aliud fuit, quàm inquinaſſe? Coactus tum in Gallias nauigare Gelaſius. Nimirùm vt Henricum Normanorum procerum aſſultibus elapſum in Ger-
1119 maniam, de proximiori percelleret, in Synodis Colonienſi, & Friteſlarienſi. Victoriam proſecutus Calliſtus II. ſubſtitutus.

*Inſigne factum Cardinalis.*

1117

*Henricus Antipapam intrudit.*

Gelaſio, in Synodo Rhemenſi, dum iniuriâ ius expreſſum non eiurat, vt per legatos tum Synodi, tum Pontificis rogabatur, eum nouo anathemate ferit. Inde profectus Italiam Calliſtus, Normanorum auxilio 1121
Burdinum Sutrinæ captum in Apuliam, ad *Perduel-*
carcerem perpetuum amandat. Frangipa- *les conte-*
num arces in plana ſubmittit: & Romanos *runtur.*
proceres, qui ex Eccleſiæ damnis res ſuas egerant, in ordinem redigit. Nec minùs Felicia Adalbertus, ex ſchiſmatico, Moguntinus præſul in Germaniâ interea geſſit. Nam intentatis etiam armorum apparatibus ad pacem demùm contumacem egit, qui de euentu diſcordiæ deſperare iam ceperat. Hinc Spirenſis præſul, & Fuldenſis Abbas à Vircemburgenſi conuentu Romam miſſi, &
300. præſulum Lateranenſi Synodo ſatisfa- *Pax con-*
ctionem Imperatoris nomine polliciti: vt *ciliatur.*
ad redintegrandam pacem Legati in Ger- 1122.
maniam mitterentur, euicerunt. Vvormatiæ igitur, in comitiis, quibus Pontificis nomine Lambertus Cardinalis Oſtienſis interfuit; iniquo iure decedens Imperator, in gratiam cum Eccleſiâ, & Pontifice rediit. Nec fautoribus eius negata venia: ne; dum non habentur pro Innocentibus, nouos ſibi ſcelerum ſocios faciant. Indultum etiam Henrico eſt, vt electionibus Præſulum ac Abbatum intereſſe poſſet: Naſcentes inde controuerſias, ex Metropolitani & Suffraganeorum Conſilio ac judicio diremturus; electiſque Regalia per Sceptrum collaturus.

## CAPVT VII.

### *Decimum-ſextum quintum in Eccleſiam ſchiſmam Friderici Ænobarbi.*

PRo pace non habuit, ſed pro iugo, Fridericus Ænobarbus Imperator, inter Calliſtum & Henricum percuſſum fœdus:
1157 quo Inueſtiendi iuri Imperator renuntiauerat: & illud in Imperio feliciſſimum, *nihil cogi*, ablatum ſibi non tulit Inde ſenſim arrogare ſubdolus ius eiuratum, ſub ſpecie Regalium, quæ tuta Henrico manſerant, & diſſidiorum occaſiones quærere. Quid animo moliretur dubitandum non reliquit, quando, poſt acceptam Romæ ab Hadriano IV. Imperij Coronam; adeo Londinenſi præſuli, dum Romam per Germaniam peteret, impiè detento, factam iniuriam vltus non eſt, vt per literas monebat Hadrianus: vt eas, quaſi non ſibi tantùm, ſed Imperio etiam contumelioſas: quòd illud viſus eſſet faceret Romanæ Eccleſiæ *Feudum*, acrioris diſſidij occaſionem fecerit. Hinc eius impietas in Alexandro III. quem 22. Cardinales, cum aſſenſu Cleri & populi, Hadriano ſuffecerant, deponendo; dum ad Ticinenſe conciliabulum dedignatur accedere: adiudicato Pontificatu Octauiano, ſub Victoris III. nomine, in quem duo tantum Cardinales conſenſerant. In vtrumque ac gregales anathema dixit Alexander, ex Anagniâ quò ſe receperat. Veneti etiam, Veronenſes, & Longobardi paſſim, inito ſimul fœdere, ab Imperatore ſa-

*Fridericus queritur de Pontif.*

1160

*Antipapam promouet.*

crilego defecerunt: nec alio euentu in illos mouit, niſi vt fugà ante prælium captà, ſtolidè ſe bellum ſuſcepiſſe, ignauè confeciſſe proderet. Ad hæc: cum præterea Reges Franciæ, Angliæ, Siciliæ pro Alexandro ſtare noſſet, ad pacis conſilia animum flectere viſus eſt: ſed vt illà ſub laruà, certius impietati Patrocinium quæreretur. Si 1161
enim pacem volebat ex animo, cur ad Auenionem, ei paciſcendæ deſtinatum oppidum, apparatus pluſquam militaris? cur Ludouico Regi Franciæ; qui cum Præſulibus ad pacem promouendam acceſſerat, vis intentata: quaſi non adducto ſecum Alexandro, promiſſis non ſtetiſſet? Alexander 1162
enim, qui vim ſchiſmaticorum in Italià veritus in Franciam venerat, fraudulenta Friderici ſubodoratus conſilia, Auenionem ſe conferre noluit: ne dum ſuam in dubium dignitatem reuocari ſinit, innexam ei rem Eccleſiæ prodat. Nec à diſcrimine Ludouico ſubducto, Regis Angliæ ex inſperato interuenientis auxilio; digreſſoque ignominioſè Friderico, factionis ardor elanguit. Nam in Antipapæ interea Lucæ defuncti locum, Guidonem Cremenſem Cardinalem ſchiſmaticum, ſub Paſchalis III. nomine perduelles ſuffecerunt: eumque in Herbipolenſi conuentu, quà vi, quà fraude approbatum, in Italiam, quo iam Romani Alexandrum acciuerant, cum copiis Imperator reduxit. Non tunc igni parcitum, non 1167
ferro, jamque ipſam Romam vrgebat exitium, ingenti ciuium multitudine, à Raymone Tuſculano Comite, quem copiis Fri-

*De pace doloſe agit.*

*Romanos vincit.*

dericus iuuerat, fœdè trucidatâ: & vrbe leoninâ captâ. Inualeſcebat inde malum, quod populus fuco pacis, quam præſens & impendens calamitas neceſſariam prorſus reddere videbatur, aſſentiebatur: vt tam Alexandro, quàm Paſchale, depoſitis, tertius ex vtriuſque Partis conſenſu Pontifex diceretur. Sed pernicioſum illud conſilium Deus exſufflauit; cum Pontifex & ſubdolam Tyranni vafritiem, & ſtolidam populi facilitatem eludens, rem Eccleſiæ in tuto poſuit: dum clancularià fugà Beneuentum profectus, ſe à periculo ſubduxit. A Deo conſilium illud fuiſſe ex eo conſtitit, quòd ſchiſmaticis paſſim, etiam primæ notæ, prodigioſà lue conſumptis, in ſuperſtites ita ſæuitum ſit à Mediolanenſibus, & aliis
*A Longobardis vincitur.* Longobardis, qui Mediolanum nuper exciſum inſtaurauerant: vt ipſum Fridericum Montium juga vix extremæ cladi ſubduxerint: & anno poſt, cæſis quinque ſupra viginti millibus hoſtium, acceptæ ab ipſis ante cladi
*1168* largè parentauerint. Ipſe vt ſaltem nolens dictam in ſe ab Alex. ſententiam impleat, ſe quaſi abdicat: & poſito cultu Regio, ſub habitu ſeruili, ad noua ſe facinora reſeruat; an ad nouas clades? Nam ad Alexandriam,
*1175* quam in honorem Pontificis Longobardi condiderant, primò victus: adequitante inter ordines D. Petro: vt diuinæ militiæ Ante-
*Vincitur.* ſignanus, de cœlis eſſet: tùm à Mediolanenſibus iterum; quò demùm euentu in Deum pugnetur infelix didicit. Inde pax placere tandem perduelli cœpit, cùm tam improſperè bellum cederet. Venetiis igitur,
quò,

quò, poſt varia per internuntios colloquia, Alexander ex pacto conceſſerat; eiurato Imperator ſchiſmate: & quæ inuaſerat Eccleſiæ redditis; in gratiam receptus eſt. Nec Ioanni Strumenſi, quem Guidoni Turbones ſuffecerant, aut Præſulibus aſſeclis negata venia. Ad eam gradus fuit in Lateranenſi Concilio; admiſſæ culpæ confeſſio. Ita demum è tot allatrantibus vndequaque procellis euaſit Eccleſia, non tantùm incolumis, ſed multò robuſtior. Quantò enim glorioſius, furorem armatum vincere: quàm non ferre?

*1177* *Nouus Antipapa* *Pax.*

## CAPVT VIII.

### *Turbæ Anglicæ ex Regum audacia in ſacra.*

ANgliam quoque afflauit conatus in ſacra. Nec in eâ ſua Eccleſiæ dignitas in integro duraſſet, ni eius ſe labantis vindices Anſelmus & Thomas Cantuarij præſules prodidiſſent. Hi dum Regibus, qui Pontificia ſibi arrogabant in ſacris, obluctantur, eorum in ſe furorem acuunt, & ſuo periculo Eccleſiam demùm in tuto ponunt. Anſelmum quidem ab aliquot annis Guilhelmi I. iuſſu ab Inſulâ excluſum Henricus I. Guilhelmo fratri ſuffectus reuocauerat; ſed vt in eum ob negatum *homagium*, & damnatas in Londinenſi Concilio Laïcas præſulatuum *Inueſtituras*, perſecutionem inſtauraret, eumque quod à Paſchale Pontif. id iuris, an impietatis non impetraſſet (ad id enim Romam ire coactus fuerat) ab In-

*Anſelmus & Thomas iura Eccleſiæ in Anglia tuentur.*

ſulæ aditu prohiberet. Semiſæculo poſt maiori ſtrepitu recruduere diſſidia. Henrici II. quidem animum non parùm exaſperauit
*Thomæ zelus pro Eccleſiæ iuribus.* Thomas, ex Regni Cancellario Cantuarienſis præſul: quod vt totus ſacris incumberet, prophanum Cancellarij munus contra Regis præſcriptum abdicaſſet: quòd Eccleſiæ iura à laïcis vſurpata repeteret; quòd ne fructus Eccleſiarum vacantium fiſco addicerentur; ac propterea diutius deſtitutæ præſulibus Eccleſiæ permanerent, prohiberet: quòd Clericos ad ſæculare tribunal trahi non ſineret, & id genus alia non pateretur, quæ Henriciana ſacrilegia renouatum ibant in Angliâ. Nihil tamen iniquius tulit, quàm quòd Præſules, authore imprimis Thoma, non aliter Regi fidem iurarent, quàm *Saluo ordine ſuo*. Ad hanc exceptionem cum Rex non aliter, quàm ad rebellionis claſſicum fucreret, ac atrocia quęque minaretur: viſum Præſulibus, aſſentiente etiam tandem Thomà, vt pro exceptoria clauſula, quæ Regem exacerbauerat, *bona fide*, ſubſtitueretur. At ſtatim
*Abdicatur.* Thomas veritus ne terreno Regi vt placeret diſplicuiſſet cæleſti, reuocauit aſſenſum. Nec dicta in eum à Præſulibus *Noranthone*
1164 abdicationis ſententia prohibuit, quin prouocaret ad Pontificem, & in Galliam, quò Pontifex aduenerat, proficiſceretur. Ibi in Ciſtertienſium Pontiniacenſi cœnobio ita ſe geſſit: vt qui in Angliâ Pontificiæ magnanimitatis exemplar illuſtre fuerat, cœnobiticæ humilitatis miraculum fieret. Quamquam nec ibi ſuæ dignitatis ac con-

ſtantiæ ſubinde obliuiſceretur. Cum legatus à latere per totam Angliam dictus ab Alexandro Papâ, non multos tantùm proceres, ſed Epiſcopos etiam non paucos, qui miniſterio ſe ſacro indignos prodiderant, è ſacris mouerit: & ipſum Regem ni vſurpato iure abſtineret, Interdicti ac anathematis metu perculerit. Necdum tamen ad pacis, & Chriſtianæ moderationis conſilium inflexus eſt Regis animus; vt qui nihil non mouerit Europâ propè totâ, & per Legationum officia, & per munerum tentamenta, quò & præſules, & Cardinales, & ipſum etiam Pontificem à Thomâ, tamquam ab hominum præfractiſſimo abalienaret. Sed quamuis apud nonnullos præſules ac Cardinales eius innocentiam nonnihil infuſcauerit; vt tamen Reus vel haberetur, vel diceretur non expreſſit. Et ex hoc adeo induruit, vt & iterata Pontificis monita, & Ludouici VII. Francorum Regis conſilia nihil moratus, Inſulam propè ab Eccleſiâ ſciderit. Id eius minæ; Leges id impiæ; id Affinium Thomæ calamitas, quos bonis exhauſtos, & propriis extruſos laribus, ipſum Thomam adire compulerat, ſi fortè qui ad propria damna infractus perſtiterat, miſero illorum conſpectu molliretur; Id & ipſi Thomæ negatâ ferociter colloquij copiâ palàm ſonabant. Ad hæc veluti calamitatum pondera infractus Præſul, palmæ inſtar in altum magis eluctabatur. Atque ſub anathematis & interdicti pœna; quam, ſuâ etiam ex parte, ſignificatam Regi voluit Alexander; expreſſit tandem, vt ſuæ Eccleſiæ 1170

*Minatur interdictum.*

*Infamatur.*

redderetur. Maluit Henricus virum piiſſimum Regni ſacris præeſſe; quàm Regnum ſine ſacris pati. Mirùm quo vbique plauſu, quibus gratulantium vocibus, Athleta nobilis exceptus fuerit. Ei quippe triumphi debebatur pompa; qui reuertebatur ex victoria: quamquam illuſtriorem multò, non diu poſt obtinuit, dum verba quæ contra ipſum; cuius iterum innocentia à perfidis traducta fuerat: commoto Regi exciderant; mortis ſententiam interpretati ſatellites; eum obtruncarunt ad altare. Vbi enim melius caderet, Deo ſacra victima? Ita mori omni triumpho glorioſius fuit: vel Rege teſte. Mortuum enim tam demiſsè coluit, quàm ſuperbè viuum horruerat. Vt parricidium exemplo memorabili expiaret; non tantum quæ, in pœnam inconſulti ſermonis Legatus Pontificius iniunxit, executus eſt; ſed tergum inſuper virgis cædendum piè ſubdidit: quod Virgæ Paſtorali ægre ſubdiderat.

*Redit in Angl.*

*Necatur.*

*Regis pœnitentia.*

## CAPVT IX.

## *Noua turba Anglica ex Regum audacia in ſacra.*

DIſſidia non diu poſt in Angliâ recruduerunt, Ioannis Regis, qui fratri Ricardo ſucceſſerat, auſu nefario. Quippe vt idoneâ viâ ad ſacrilegia eniteretur, parricidium fecit, Arturo Britanniæ Duce manu propriâ cæſo: vt cui Regnum rapuerat (erat enim eius nepos, ex Gaufredo fratre maiore natu, ac proinde Ricardi ante ipſum

1199 *Ioannes ſine terra nepotem necat.*

hæres) vitam quoque auferret. Inde Philippus Franciæ Rex, propriis iam ſtimulantibus iniuriis, in parricidam Principis Regni Beneficiarij incenſus, eum ad Parium Tribunal ritè vocatum, nec comparentem, prouinciarum, quas habebat in Galliâ iure excidiſſe pronunciat, ac ipſum armis ex Normanniâ, & Aquitaniæ parte pellit. Ille vero vt illatas à terreno Principe iniurias, vt ab impio expectandum erat, vlciſcatur; in Deum inſurrexit. Nempè vt re ſine cœlo eſſet; cui *ſine terra* cognomen erat. Ideo cum, Ioanne Noruicenſi Epiſcopo, quem in Eccleſiæ Cantuarienſis ſolium intruſerat, excluſo; Innocentius III. Pontif. à Monachis Cantuarienſibus, qui Romam ad ſuæ cius Eccleſiæ tuendum conceſſerant, eligi curat Stephanum Langtonum Anglum ex Doctore Pariſienſi ob eximia merita Cardinalem, & ipſum Stephanum, & Monachos Angliâ abſtinere iuſſit: & tùm in Præſules alios, tùm in Eccleſias regni truculenter deſæuiit. Inualuit impietas, vbi ob non reparata ſacrilegia, Regno ſacris interdictum eſt: ac poſtea, ob exaggerata facinora, anathemate ipſe percuſſus, ac Regni iure excidiſſe declaratus decreto Pontificis, Philippo Franciæ Rege in eius locum ſubſtituto. Ad metum amittendi terreni Regni reſipuit, qui de cœleſtis damno parùm curauerat; & potentiam iam labefactatam à Franciſ, vt retineat, nouo eam ſacramento Eccleſiæ vectigalem facit: ac imminutam habere maluit; quàm nullam. At non eſt diuturna pietas, quam timor expreſſit. Rediit ad ſa-

*Normānia exuitur.*

*Intrudit Epiſcopos.*

1207

1209

*Excommunicatur, &c.*

1211

*Sacris mouetur.*

*Fit vectigalis Romæ.*

crilegia, ſimul ac ſacrilegiorum pœna non incubuit. Quo impietatis æſtu abreptum eum fuiſſe oportuit, quando &[de eiurandâ Chriſtianâ Religione, & de Mahometanâ amplectendâ, miſſis ad hoc, ad Miramolinum Saracenorum in Affricâ, & Hiſpaniâ Principem, clam nunciis, deliberauit. Inde paſſim defectio, & aſſenſu Procerum Ludouicus Galliæ Princeps aſſumptus in Regem, fruſtra reclamante Pontifice. Iam ſub ſignis erant Franci: jam malè an datum ſibi, an retractatum à Pontifice munus, armis vindicabant: cum opportunus tyranni obitus pacem fecit. Angli metu ſoluti iuratum externo Principi obſequium exuunt; vt defuncti ſe filio Henrico III. ſubdant. Quippe non Regem in Ioanne: ſed tyrannum horruerant.

## CAPVT X.

### *Turbæ Gallicæ è ſacrorum prædis.*

TVrbarunt etiam Galliarum Eccleſias: ſordidus Principum, è ſacris diſtractis, quæſtus: & indignorum ad Infulas Epiſcopales promotio. Itum quidem obuiam malo in Synodis, per decreta: At quid hæc in eos arma, quibus in manu eſt, vi tueri, quod vi
846 patrant? Inde non Meldenſis, non Pariſinæ
850 Synodi monitis, & decretis adduci potuit
*Carolus* Carolus Caluus, vt quæ bona Eccleſiaſtica
*Caluus* prophanis dederat, reddi curaret. Docilior
*ſacra* quidem fuit Ludouicus Bauariæ Rex: at ver-
*vſurpat.* bis tenus: quippe nihil aliud quàm promiſit, facturum ſe quod Moguntina Synodus, ſub-

Rhabano Præſule, poſtulauerat. Nec ſe-
gniùs Proceres licitum rati, ad quod exem-
plo Reges præiuerant: ſacris etiam opibus
ſe liberaliter implebant. Eò demùm licentiæ
ventum eſt: vt in prædam paſſim cederent
morientium Epiſcopia. Quid vero ſacris
opibus parceretur: quando nec perſonæ in
tuto erant? Inde à Balduino Flandriæ Co- *Balduini*
mite Fulconis Rhemenſis juſſum parrici- *Flandri*
dium, quaſi ſitim vellet ſacro extinguere *impietas.*
ſanguine, quam eo viuo ſacris opibus non
potuerat. Athletam inclitum, ſi minùs mor- 900
tis genus, & cauſa proderent: verba quibus
ab impio cum Normanis fœdere Carolum
Simplicem abduxit, abundè probarent. *Ni* *Liberè*
*meo*, inquit: *dicto ſis audiens, nec ego tuo:* *dictum.*
*& ſi me Præſulem non agnoſcis obſequio ſen-*
*ties anathemate.* Dubites an plus animi
morte: an verbis arguerit. Quam procul
ab illà conſtantià Abbo Sueſſionenſis, &
Bonno Catalaunicenſis: qui Hugonem quin- *Quin-*
quennem puerum in Eccleſiæ Rhemenſis *quennis*
Epiſcopum inunxerunt. Id honoris filio *Præſul.*
emerat Heribertus Comes Aquitaniæ, ex
Rudolphi Regis, & Ioannis X. Pont. aſſen- 925
ſu, à Seulpho Archipræſule. Oſtentum, poſt
homines natos, inauditum! vt nondum ſui
arbitrij, Doctorum etiam Arbiter fieret:
& crepundiis nondum poſitis, ad miniſte-
rium omnium diuiniſſimum proueheretur.
Quid quod iuit vltra ambitio: & ex ſacri-
lega, cruentam ſe fecit! Seulpho per vene-
num ſublato. Verebatur, opinor, impius
Comes: ne ſeneſcente intereà Prȩſule, in-
fans ad maturitatem Infulis dignam ado-

leſceret: & quam dignitatem emerat rapere
1107 maluit, quàm expectare. Nec maior apud Normannos proceres erga ſacra reuerentia:
*Præſules duodenes.* cum ibi pueri vix duodennes præfecti etiam duabus Eccleſiis, ex hęreditate Chriſti, ſuam fecerint: & ad Nepotes, auitum quaſi patrimonium tranſmiſerint. Meritò igitur illo Ducatu Robertus excidit, ab Henrico I. Angliæ Rege victus, & captus, penes quem Maieſtas Eccleſiæ impunè conciderat. Pœnam ſimilem iam ante redemerat pœnitentià Regnerius Lotharingiæ Dux: dum quid-
913 quid in Treuerenſe quoddam Cœnobium, &
*Pœnitentia.* in alias Eccleſias auarè peccauerat, liberaliter expiauit. Neceſſarium tunc exemplum: ſed quod plus admirationis habuit,
1073 quàm imitationis. Impegit enim & in hunc lapidem Philippus Franciæ Rex, ſui Regni non ſemel Eccleſiis venditis. Sed hic etiam, dum timet, ne authoritate Gregorij VII. Pont. (qui Reo diademàto minabatur anathema, ni reſipiſceret:) commoti Franci, ſibi negent obſequium, obſequentem ipſe ſe Pontifici fecit. Nec defuerant antea: aut poſt hac defuere Pręſules, (inter quos Fulbertus & Iuo Carnotenſes eminent) qui & cenſuris proceres, & monitis Pręſules, & ſcriptis omnes officij admonerent.

## CAPVT XI.

## *Turbæ in Eccleſià Gallicanà ex Regum polygamia.*

NEc minores ex obſcœnis Regum amoribus turbæ Gallicanas Eccleſias miſ-

euerunt. A Philipo I. cæpere motus. Quippe abjectâ Berthâ coniuge, Bertradam Fulconis Andegauenſis ſponſam vi rapit; eamque, Fulcone mortuo, ex pellice, vxorem facit, approbante, nefas! laſciuiam Syluanectenſi Synodo. Hoc deerat in malis Regi cœco, vt ſub ſpecie ſanitatis medici morbum alerent. Quantò ſapientius Iuo Carnotenſis ſubire maluit indignationem Regis, damnatâ Polygamiâ; quàm Dei, approbatâ? Quantò ſalubrius Vrbanus II. Pont. ſua iuſſa, Epiſcoporum ignauiâ, deluſa videns in Synodis; in contumacem dixit anathema, tùm in Oſtonenſi Concilio, per Hugonem Lugdunenſem: cùm in Claromontano, per ſeipſum? Profuit ad ſalutem acre remedium; ſed temporariam: nimirùm, vt nouo à Paſchali II. in Synodo Pictauienſi percuſſus anathemate, bonà demùm fide reſipiſceret: agnouit enim tum bonus Princeps, deplorati eſſe, non admittere medicinam, niſi quæ placeret: & nihil ſæpè magis ægrotum perdere; quàm medicum, qui parcit. Errantem ſequi non puduit Philipum alterum; qui ſequi diu noluit pœnitentem. Nec defuere tunc etiam Præſules, quibus probaretur culpa, quę concepta eſſet in purpurâ: quaſi ex Rei magnitudine crimen decreſceret. Inde quaſi iure dimiſſa Engerberga Daniæ Regis filia, & alia ſuperinducta. Accreuit ex pertinacia flagitium; & dum ex perſuaſione innocentiæ, Celeſtinum III. & Innocent. III. Pontif. non audit; magis ſe Reum prodit. Actum erat de ſalute Regis, ſi Innocentius timuiſ-

*Philippus I. Polygamus.*

1094

*Excommunicatur.*

1096

1100

*Pænitet.*

1193

*Philippus II. Polygamus.*

ſet irritare pœnâ, quem admonitione non flexerat. Quamuis enim ex anathemate, quod in ipſum; & ex interdicto, quod in Regnum, Diuionenſi in Synodo, dictum eſt, aliquandiu furioſius exarſerit; profuit tamen ſeueritas vel reluctanti. Ex grauitate pœnæ non ſolùm agnouit culpam; ſed etiam pœnitentiam per Legatos promiſit. Inde Octauianus & Ioannes Cardin. Pontificis nomine ſacra Regno, Regem ſacris reddidere, in Sueſſionenſi Præſulum, & Procerum cætu; & tunc, euaneſcente, quo dementabatur, amoris impuri faſcino miſer Princeps verus Eccleſiæ filius haberi meruit; vbi ſe, pellice dimiſsâ, veræ ſponſæ maritum exhibuit. Non diſpari ſe culpâ infecit Ludouicus Iunior, dum in alio fouit. Indignatus, ab Innocentio II. Bituricenſi præfectum Eccleſiæ, quem ipſe noluerat, maluit perire iuſtitiam, quàm vindictam: nec iniquum putauit Rodulphum Veromanduorum Comitem, ſuperinductæ coniugis Reum, contra Pontificem iuuare præſidio, quem premere imperio debuiſſet. Ac Rudolphum anathematis afflatum igne, ſuumque Regnum ſacris interdictum, ex Iuonis Legati Pontificij decreto, noſcens, vt de Theobaldo Campaniæ Comite, qui ſtabat à Pontifice, vindictam ſumeret, nec à ſacris quidem abſtinuit, & Victriaci vt multitudinem perderet, Eccleſiam ipſam incendit, iam non impius tantùm, ſed etiam inhumanus. Quamquam non viſus eſt exaggeraſſe crimina; niſi vt magis ex merito pœnitentiam amaret: ac ex Bernardi Cla-

*Margin notes:* 1198 — *Excommunicatur.* — *Pœnitet.* — 1201 — *Ludou. Iunior excommunicatur.* — 1142

rauallenſis arbitrio emendaret, quæ pec- *Pœniten.*
cauerat; qui, ex effræni malè conſultæ
mentis impetu admiſerat per quæ periret.
Enituit in his Francorum Regum indoles
ad bonum planè facta. Admonitionibus
Pontificum maluere tandem obſequi,
quàm irritari. Peccaſſe dicas, vt ex
caſu ſe meminiſſent homines; ex pœnitentiâ
ſe ſupra Reges ponerent.

## CAPVT XII.

## *De Normanno-Siculis aduerſus Pontifices.*

QVàm exilis eſt terrena magnitudo, vix vllius vmquam animo ſatis fuit. Quippe Cæleſtium & æternorum capaces, infima 1002.
iſta, eaque temporaria non implent. Nortmanni teſtes; quibus, pulſis Græcis, & Saracenis, Apuliam occupaſſe, votorum ſumma fuerat; nec ea pœnitenda vagis, & extorribus; & iis primò paucis. Quadraginta omnino fuerunt: ſed quos, excuſſis ab obſidione *Normanorum*
Salernitana Saracenis, virtus ſupra plures *virtus in*
millenarios extulit. At Victoribus adepta *Italiâ.*
potentia, gradus fuit ad ampliorem. Hinc affectatâ Siciliâ: tentatâ Græciâ: nec parcitum ditioni Pontificiæ. In Audaces accingitur Leo IX. Pontif. quem nuper ex Germaniâ reuerſum, copiis iuuerat Henricus II. Imper. At qui ſua recuperaturus in Apu- 1053.
liam venerat; præda ipſe fuit: copiis amiſſis. *Pontificem ca-*
Sed portentum? illum inermem & captum *piunt &*
venerati impij ſunt, quem armatum con- *venerantur.*
tempſerant. Nec ipſe indignum ſe cultu, vel infelix præſtitit: vt qui prædones ab ana-

thematis nexu ſoluere recuſauerit, non redditis ante, quæ inuaſerant, à quibus ipſe tamen vltro dimiſſus fuerat. In gratiam tamen paulò poſt à Nicolao II. qui ad hæc
1059 *Fiunt Duces Apuliæ & Siciliæ.* in Apuliam progreſſus Malphiæ Synodum conuocauerat, recepti; non Apuliam tantùm, quam ſubegerant: ſed Siciliam quoque, quam breui ſubacturos ſe ſperant, in *Feudum*, ſub Ducatus nomine obtinuerunt, Roberto Guiſcardo Duce: redditis tamen antea Beneuento, & aliis, quæ Pontificiæ ditionis erant. Sic ſalutari conſilio ſatiùs eſſe credidit non imprudens Pontifex alienę illos prouinciæ Principes dicere, quàm Tyrannos pati ſuæ. Nec tantùm Romanæ illi Eccleſiæ vectigales facti ſunt, eà pace, ſed prætereà vindices. Eorum enim ope cū alij, tum Tuſculani Comites, exciſis Arcibus in ordinem redacti ſunt. Nec reſiliit aliquādo Robertus ab obſequio, niſi vt Gregorij VII. Romanâ in Synodo repreſſus anathemate, fidum ei magis, aduerſus Henricum Imperat. Guibertum Antip. & gregales ſchiſmaticos obſequium præſtaret, adducto in Apuliam ipſo Gregorio. Nec in fratre Rogerio minor erga Vrbanum II. reuerentia: nempe vt in pietatis præmium augeretur Regnum priuilegiis cui pietas fundamentum dederat. Si tamen ea vera priuilegia, quæ ex Principe Pontificem faciunt, & nexu non bene ſociabili, ſacra prophanis miſcent. Id iuris, an iniuriæ, nec tam pius vnquam Pontifex in-
*Obtinent priuilegia* dulſiſſet: nec Princeps adeo religioſus accepiſſet. Fuit id opus potius Petri Leonis, cui ſub Anacleti nomine in Pontificatum intru-

ſo, aduerſus Innocentium II. Pont. Rogerius alter iſtius filius adfuit. At immani ſacrilegio nomen Regium, & ius quaſi Pontificium in Eccleſias, ab eo adipiſci, qui adeo Pontifex non erat, vt nec verè Chriſtianus: quid aliud fuit, quàm ab omni iure excidere? Inde tamen quaſi ſuo iure, tumultus agere; vaſtare Campaniam: & nec finito ſchiſmate, abſtinere à prædis: donec tandem ab ipſo quoque Innocentio II. quem ad Caſſinum interceperat, nomen Regium extorſiſſet. Guillelmus, ne cognomine ſolo malus eſſet, patrem expreſſit. Eum tamen ſacris, quæ per latrocinia in ditione Pontificia violauerat, eiectum eò compulit Hadrianus IV. Græcorũ ſubſidio: vt pacem ſupplex fruſtra petierit. Nec iniurià videretur negata impio, qui turbas diu fouerat: ni ex deſperatione factus audacior, profligatis ad Beneuentum hoſtibus, adegiſſet obſeſſum Pontificem: vt ſe ſacris reſtituto, Siculis remitteret ius appellationis ad ſedem Apoſtolicam. Sic dum acriùs aliena proſequitur Hadrianus, de ſuo cedere coactus eſt: & triſti experimento didicit, nunquam ita vrgendum acrem aduerſarium, vt nullam ſpem habeat, niſi quam ferro faciat. Viſus tamen breui poſt, aut ſarciſſe quam fecerat iniuriam: aut quod acceperat beneficium compenſaſſe: quando tùm ipſe, tùm ipſi cognominis filius, Alexandro III. aduerſus Fridericum I. Imp. ſtrenuè adfuerunt. Iſte tamen auxilium corrupiſſe dicitur, dignitatum ſacrarum nundinatione. Bonus tamen audiit. Nimirùm, vt à malo patre, ita ſaltem diſtin-

*Fiunt Reges.* 1130

1139

*Dum pacem non impetrat Pontif. vincit.*

1156

1161

1167

gueretur, non melior filius. Haud impunè ceſſerunt impiis ſacrilegia. Luêre tandem poſteri, & quæ maiores mala patrauerant.

*Pœna facinorum.* Adoleuêre in Guilhelmo malo criminum pœnæ, qui coniectus in vincula locum facere coactus eſt Rogerio filio; vt eum poſtea ſibi redditus, maiori facinore, an calamitate trucidaret. Adde quod tota Inſula, ad tot ſcelerùm ſenſum, velut inhorreſcens, inſolitis conuulſa motibus, ſuas ipſa vrbes hauſit, quaſi ad alias migraturam manus, priſcorum ſcelerum puderet, ſeque nouam, atque aliam vellet. Quamuis enim contra fortunam aliquandiu luctatus Tancredus Nothus; Clementis III. Pont. patrocinio, ruentis Principatus molem ſuſtinuerit: Henrico tamen VI. Imp. qui Conſtantiam Guilhielmi Boni filiam duxerat, Inſulà demùm ceſſit.

## CAPVT XIII.

## *Pontifices vndecimi ſæculi.*

*Sylueſt. II cxxxxvi.* 999 GErbertus aulæ melior, quàm cænobij cui ſe deuouerat, cultor, in Rhemenſi primo Eccleſiæ ſolium ab Hugone Rege intruſus, abdicato Arnulfo; tùm poſt ignominioſam abdicationem in Rauennatis, ab Ottone, quem Hugone poſthac inutili deſerto, aulicis artibus ſibi totum addixerat in Romanum demùm eiuſdem Ottonis ſtudio euaſit, aſſumpto *Sylueſtri* nomine. Tametſi Mathematicus melior, quàm Theologus, obſeruationibus Aſtronomicis &

*Aſtronomus.* Geometricis, quibus ſupra coætaneos e

celluiſſe dicitur, otium ſacris potius à viro ſacro impendendum contriuiſſet, haud pœnitendo tamen ſucceſſu Eccleſiam rexit annos 4.m.2. d. 22. Nam & Eccleſiæ leges latè in Borealia propagatas nouit; & ad comprimendos Mahometanorum in Oriente progreſſus, claſſicum primus in Occidente occinuit; & diadema Regium, quod Poloniæ Duci parauerat, Schephano Hungarorum Duci ab Angelo monitus vnà cum Regio nomine tribuit; & Chriſtianà morte decedens, quæ olim durante Rhemenſi litigio contra Romanam ſedem ſcripſerat, emendaſſe ſe prodidit, & inane de ipſius magià, & exitu diabolico ab ſchiſmaticis diu poſt inuectum commentum, in anteceſſum diſcuſſit. *Eccleſia vtilis.* 1003 12. *Mai.*

*Ioan. XVII.* dictus *XVIII.* quod quidam Antipapæ in Pontificum albo adſcripti ab ſcriptorum vulgo ſint, ad menſes quinque Syluestro ſuffectus locum fecit *Ioanni XVIII.* ad an. 5. m. 7. d. 28. nullo quod ſciatur regiminis operæpretio relicto. Nec celebrior ei ſuffectus *Sergius* ad an. 2. m.8. d.13. niſi quod cum antea Petrus Buccaporci, vt perhibent, diceretur, vel ob reuerentiam nominis, vel ob pudorem cognominis, Sergius dici voluit. *Ioa.XVII* CXXXXVII *Ioa.XVI:* CXLVIII. *Serg.150.* CXLIX.

Aduerſus *Benedictum VIII.* ritè Sergio ſuffectum, Tuſculanorum comitum factio, rurſus poſt Ottonis mortem præualens Gregorium intruſit. Sed eum Henricus Germaniæ Rex, quem profugus adiuerat, Turbonibus coërcitis ſuam in Eccleſiam reduxit, ac ab eo ad Imperii inſignia, in cele- 1012. *Bened. VIII.* CL. *Schiſma.*

berrimo conſeſſu, globo aureo, quem vna
*Henric.* crux è gemmis ambiret, altera aurea ſuper-
*& Cuneg.* ſtaret, donatum in Imperatorem vnà cum
*Imp.* ſponsà Cunegunde, dictus Imperator; quæ
Imperatores alii Eccleſię Romanæ conceſ-
ſiſſent, diplomate nouo, rata vt eſſent edixit:
& non diu poſt, vt Bamberga, quam à ſe
conditam, & à Benedicto in Germaniam ad
id regreſſo ſolenni ritu conſecratam Epiſco-
*Symbolũ* pali ſede inſigniri curauerat, eidem eſſet
*Romæ ca-* obnoxia conſtituit; Romæ cum eſſet, vt
*ni cœptum* Nicænum ſymbolum etiam illic inter miſ-
ſarum ſolennia caneretur, obtinuit. Cum
enim Eccleſia Romana in ſanà ſemper fide
perſtitiſſet, iuxta promiſſum Petro à Chri-
ſto factum; quid credere oporteret huiuſ-
modi ſymbolo admoneri non indigebat: Vt
ab ipſo Pontifex obtinuit ne Græcos Apu-
liam ſibi rurſum eſſerere pateretur armis eò
illatis, captàque Troià, quam nuper con-
diderant. Ipſe Saracenos littora infeſtantes
ſtrenuè profligauit. Sponſa principis Sara-
ceni in acie captà, & ob atrocem audaciam
capite mulctatà. Obijt anno Pontificatus
duodecimo iam definente.

1024 *Ioan. XIX.* in Benedicti fratris locum,
*27. Feb.* emptis ſuffragiis, cum laicus adhuc eſſet,
*Ioa. XIX.* euaſit. Ex infrementium vbiuis præſulum
*Simonia-* metu à concedendo, an vendendo *vniuer-*
*cus.* *ſalis* cognomine, Præſuli Byzantino abdu-
*CLII.* ctus, Conradum Germaniæ Regem ad Al-
pes exceptum in Vrbem adduxit, & adſtan-
tibus hinc inde Canuto Anglorum, & Ru-
*Conrad.* dolſo Burgundionum Regibus, qui ex pie-
*Imp.* tatis inſtinctu Romam venerant, Impera-
torem

torem coronauit. Aquitanos Præſules, an D. Martialis Apoſtoli elogio inſigniendus eſſet, inuicem tamquam de re magna comtendentes compoſuit, ac id elogii eximiis fidei præconibus non eſſe negandum edixit. Vim denique ſub vitæ finem à perduellibus 1004
paſſus, ac à Conrado iterum reſtitutus, obiit 8. *Non.*
an. 9. m. 8.

Ioannis Albericus frater Tuſculani comes ægrè ferens dignitatem ſacram, duorum jam fratrum continuato regimine ſuæ familiæ quaſi aſſertam, aliò transferri, vi, prece, pretio *Benedictum* filium vix duodennem ſubſtitui curat. Hic Bretiſlaum Bohemiæ Ducem ab euaſtandâ Poloniâ ſacriſque *Bened.*
diripiendis cohibuit, ac ni direpta redde- *CLIII.*
ret, anathematis pænam intentauit. Sed Cardinalium, quos ſacrilegus pretio corruperat, ſtudio perſuaſus, ſacrilegum ſine pænâ eſſe ſiuit. Aliquandiu verò poſt, vt Caſimirus, quem regno pepulerant, dimiſſo habitu monaſtico, quem Cluniaci induerat, ipſis præeſſet, indulſit. Sed hoc alibi, vt 1044
& ſchiſma quod huius Pontificis tempore *Lib. 6. 32*
Eccleſiam diuulſit. Sacra autem diſpenſauit, an inquinauit ad annos decem.

*Gregorius VI.* antea Gratianus de quo *Greg. VI.*
alibi, vſque ad dictam in ſe Sutrii ſententiã *CLIV.*
duos annos Eccleſiam rexit. Eamque quan- 1046
tum licuit, tum internis purgatam ſordibus, tum externis latronibus, qui eius *Clem. II.*
oppida inuaſerant, liberam reliquit *Cle-* *CLV.*
*menti II.* ad nouem menſes, qui Henricum *Dam. II.*
Imperatorem inunxit. Huic in Germa- *CLVI.*

nia defuncto ſubſtitutus eſt Damaſus II. ad dies 23.

*Leo IX.* *CLVII.* 1049. Leo IX. antea Bruno Dagspurgenſis Comes, ex Tulli in Leucis Epiſcopo,poſt annum interregni, vel tyrannidis Benedicti, Damaſo ſuffectus eſt. Ex quo cum Henricus Imper ex attributo ipſi iure Pontificem deſignauit, ſumptâ purpurâ, Romam verſus iter inſtituit. At Cluniaci ab Hildebrando commonitus illicitam eſſe à laico inſtitutionem ad ſacra, ſine cleri ſuffragio, purpuram exuit, vt eam Romæ clero

*Zelus in deſeſſus.* aſſentiente rurſus indueret. Statim Romę, Ticini, Rhemis, Moguntii in Synodis quibus ipſe interfuit, tùm alia ad morum integritatem pertinentia conſtituit, tum in clericos ſimoniæ & impudicitiæ reos anathema dixit: Anno poſt tum Romæ, tum Vercellis in Synodis quibus & præſens in-

*Berengarius hæreſiarcha.* terfuit hæreſim Berengarii damnauit; vt & poſtea Romę Gregorium Vercellenſem Epiſcopum ſacrilegi cum affine commercii Reum. Germaniam reuerſus in componendâ diſcordiâ,quæ inter Imperatorem & Andream Hungariæ regem exarſerat, multùm deſudauit: Imperatori ius temporale Pontificium Fuldi, Bambergæ & alibi in Germaniâ ceſſit, pro Beneuentano in Italiâ Ducatu, qui juris erat Imperatorii. Reuerſus in Italiam cum Germanicis copiis

*l. 7. c. 12.* in Nortmannos Siculos,exitu alibi memorato bellum mouit. Eccleſiæ doctrinam aduerſus Michaëlis Cerularii Byzantini Patriarchæ, & Leonis Bulgarorum Metro-

politani calumnias, ſcripto Apologetico tutatus eſt; eoſque per Humbertum, & Fridericum Cardinales ad vnitatem, in quà reliqui patriarchæ perſtabant, hortatus eſt. At quam in terris pacem ſchiſmaticis perſuadere non potuit, adeptus ipſe tandem eſt in cælis, vt miracula per ipſum, & dum viueret, & poſt mortem edita probant, & publico ipſi delato cultù 19. Aprilis declarat Eccleſia ſedit annos 6. m. 2. d. 7. 1054 19. Apr.

*Benedicti*, quem ſæpius intruſum eiectumque vidimus, conatu coërcito, ad Hildebrandi ad Henricum in Germaniam miſſi preces, impetratus eſt in Pontificem Gebehardus Aiſtatenſis Epiſcopus, ac anno poſt Leonis obitum Romæ conſecratus *Victoris II.* nomine accepto: ſtatim & per ſe in Florentina Synodo; & per Hildebrandum in Turonicà; ſimoniacis, impudicis Clericis, & rurſus Berengario damnatis, Eccleſiæ dignitati ac fidei conſultum voluit, per Legatos Turonicà ex ſynodo, ex Pontificis ſuffragio in Hiſpaniam miſſos à Ferdinando Caſtellæ Rege euictum eſt, ne poſthac Imperatoris ſibi nomen, preter ſolitum, & reuerentiam Henrico debitam arrogaret. Tum ex Germanià poſt Henrici, quem conuenerat, obitum reuerſus, Florentiæ occubuit, cum ſediſſet an. 2. m. 2. d. 13. Cum non diu ante vim veneni in vinum Euchariſticum à Subdiacono infuſi miraculo euaſiſſet. *Victor. II.* CLVIII. 1055 13. Apr. *Simoniaci pereunt.* 1057 28. Iul.

Fridericus Godefridi Thuſciæ Ducis frater, & Caſſinenſis Abbas victori ſuffe- *Steph. X.* CLXIX.

ctus ſub Stephani X. nomine in m. 7. d.
2. *Aug.* 27. cum ante Petrum Damiani Cardinalem Epiſcopum Oſtienſem creaſſet, nec paſſus eſſet Caſſinenſi Cœnobio Abbatem ſibi ſubſtitui; vt duo priores Pontifices Eccleſiarum, quas ante Pontificatum rexerant titulos ad mortem vſque non dimi-
1058 ſerunt.
29. *Mai.*

*Nicol II.* *CLX.* 1858 *Schiſma.* Gerardus Epiſcopus Florentinus ſub *Nicolai II.* nomine, Senis electus Romam non ante adiit, quàm Sutrij in Synodo Mincium, quem ſchiſmatici redintegratâ poſt Imperatoris obitum ferociâ ſub *Benedicti* nomine intruſerant, diris deuouiſſet: eum poſtea Romæ infulas ſponte ponentem recepit in gratiam. In Romana 113. præ-
*Simoniaci.* *Berengar. reſipiſcẽs.* ſulum Synodo, dicto anathemate in clericos impudicos, & ſimoniacos, & Berengarianum dogma, ipſum Berengarium errores eiurantem ſacris reſtituit, & Henrico Germaniæ Regi delatum iam ante Patri ius deſignandi Pontificem aſſeruit: tum Nortmannis-Siculis, modo alibi dicto in gratiam acceptis, & eorum auxilio Romanorum procerum excisà potentia, futuræ paci libertatique proſpexit. Sedit annos 2. m.
1061 6. nullum dicitur prætermiſiſſe diem, in
1. *Iun.* quâ duodecim pauperum pedes non abluerit.

*CLXI.* *Alex. II.* 1061 1. *Octob.* Anſelmus non dimiſſo Lucenſi Epiſcopatu in Romanum promotus eſt, ſub *Alexandri II.* nomine, abſque Regis conſenſu, quem Guibertus Parmenſis Cancellarius exclusis legatis, negare curauerat. Nec ſegniùs aduerſus Cadolaum, quem ſub

Honori inomine, Concubinarii & ſimoniaci præſules obſcæniſſimum, in Longobardià Papam dixerant, Eccleſiæ cauſam ſuſtinuit, & variis in Synodis de quibus alibi, victricem fecit. Inter hæc Petri Damiani zelus imprimis enituit. Licet enim cum Pontificis venià, quàm Nicolaus ante negauerat, dignitatem poſitis inſignibus, ſuo ſe rurſus in cœnobio abdidiſſet; Epiſtolis tamen ad multos ſcriptis, & legationibus Mediolanum, Florentiam, & ad Henricum in Germaniam obitis impuros, ſimoniacoſque præſules perterruit, Henricum ab improbo ſponſæ repudiandæ conſilio abduxit, & Eccleſiam ſuis tunc vix benè malis parem, vnà cum Pontifice à caſu prohibuit. Denique Alexander fide in Danià & vlterioribus, per Adelbertum Hamburgenſem propagata, & firmiùs ſtabilità; diſcordià, quæ Pragenſem & Olmucenſem præſules commiſerat, compoſità; Guilhelmo Normaniæ Duce ad aſſerendum ſibi Regnum Angliæ, quod poſt Eduardi mortem Heroldus Regiæ Magiſter vſurpauerat, animato: Henrico Rege ad eluenda ſacrilegia, quibus eum Saxoniæ proceres accuſauerant, Romam citato; exceſſit anno regiminis 11. m. 6. d. 22. miraculis claruiſſe dicitur.

*L. 7. c. 5.*

*Petrus Damiani*

1073

*21. Mai.*

*Greg. VII CLXII.*

1073

*Gregor. VII.* ante Hildebrandus, humili in Thuſcià loço natus, Alexandro nondum ſepulto, omnium conſenſu, nec ipſo Rege Henrico, rei per nuncios commonito, improbante ſuffectus eſt. Statim vt abominationem exturbaret à loco ſancto: hoc eſt,

*Laicales inueſtituras damnat.* Pellicatum & Simoniam ab Eccleſiâ, in Laterana Synodo & Laïcos promouentes ad Infulas, & à Laïcis promotos ſacris interdixit. Nec multis nominatim pepercit, quos vel ſuarum Infularum emptores, vel vt ab Henrico Impuris venderentur Authores fuiſſe nouerat. Simile ſtatim præſtitum à Moguntino Archipræſule in Synodo Erfordienſi; Cum Legatos à latere à cogendâ generali in Germaniâ Synodo Bremenſis Archipræſul, cui alij paſſim, ex conſcientiâ ſcelerum, & abdicationis metu, aſſenſi ſunt, quaſi id ſui potiùs iuris eſſet, prohibuiſſet. Non multò igitur operæ pretio Legati, poſt nonnullam pœnitentiæ ſpeciem, reſtituto ſacris Henrico, cuius ante conſortium reſpuerant, Romam rediere. At Henricus relapſus ad ſacrilegia adeò Romam ad cauſam dicendam non venit, vt monitus & iuſſus fuerat, vt in præſulum ſacrilegorum cætu Gregorium ſuo indignum gradu declarauerit. Hinc ſacris motus, vnà cum Sequacibus regno abdicatur. Ad hæc ille furere, & poſtea cum ad vota res non fluerent, pœnitere, exitu alibi memorato. Nec valde mitiùs alios erga Principes ſe tum Pontifex imperturbatus geſſit. Nam Guiſcardum Siciliæ Principem, ob violata Eccleſiæ iura, ſacris interdixit. In Philippum Franciæ Regem acriter increpitum, ni à ſceleribus, & inueſtiendis præſulibus abſtineat, attrociora intentat. Cincium vrbis præfectum anathemate percellit. Nicephorum ob vſurpatum Orientis

*Henricum citat. L. 7. c. 5.*

*Abdicat.*

*Alios Principes arguit.*

Imperium, communione priuat. Regem Regnumque Poloniæ titulo regio mulctat, ob Staniſlaum præſulem impiè cæſum. In Alfonſum Hiſpaniæ Regem intentat anathema, quod ordinem Romanum non reciperet, & vxoris defunctæ conſanguineam ducere attentaret. Reges Bohemiæ, Hungariæ, Hiſpaniæ, & alios, ad ſoluenda quæ cenſus nomine Eccleſiæ Romanæ debebantur, hortatus eſt. Non mirum itaque ſi qui cenſurà ſeueriori tot principes exacerbauerat, vim & calumniam multorum non euaſerit. Nam eum Cincius, in Natalis Domini peruigilio interceptum cuſtodiæ tradidit: Sed vt illuceſcente die, exciſis à furente populo ſacrilegi ædibus, & familià dirè cæsà, liberaretur. Impuri etiam cum Mathilde Comitiſsà pietatis caſtigatiſſimæ fœminà commercij, accuſatus eſt ab obſcœnis ſchiſmaticis; ſed abſurdam calumniam explorata vtriuſque pietas facilè diſcuſſit. In ipſum ab Antipapà Guiberto, de quo alibi, dictum eſt anathema; ſed à tali, & ſimilibus damnari, ſupra omnem Apologiam fuit. Romà demùm, in quam Victor Henricus Antipapam intruſerat, à Cincio, & Guiſcardo, quos ſacris reſtituerat, Salernum abductus eſt; ibidem non diu poſt migraturus ad cœlites, vt cultu publico Eccleſia atteſtata eſt. Obijt anno Pontificatus 12. m. 1. d. 3. 1085 24. *Maii.*

*Victor III.* antea Deſiderius Cardinalis, & Caſſinenſis Abbas Infulas diu recuſatas, ac tandem vi collatas, vltrò au- *Victor III.* CLXIII.

*Pontificatum recuſat.* fugiens ſeque ſuum in cœnobium recipiens poſuit, vt iterum precibus & Cardinalium & præſulum, & principum expugnatus reciperet. Saracenos littoralia deprædantes, indictâ expeditione, centum circiter millibus cæſis, ſuam in Affricam repulit. Beneuenti in Synodo in ſchiſmaticos renouauit anathema. Caſſini, quò ſe infirmus receperat, obijt à morte Gregorij anno 2. m. 3. d. 22.

*Vrban. II.* CLXIV. 1088 *12. Mart.* *Vrbanus II.* antea Otto ex Monacho Cluniacenſi Cardinalis Oſtienſis, Victori Terracinæ ſuffectus in ſchiſmaticos renouauit anathema, in Synodis Romanâ, Melfitanâ, Beneuentanâ, Troianâ, & Placentinâ. In hac Philippo Regi Franciæ *Rex excommunicatus ob pellicatum.* induciæ datæ ſunt, quòd Synodo ſe ſiſtere vt iuſſus fuerat nequiuiſſet. Sed non diu poſt in Claromontanâ generali ſynodo, anathema in ipſum iam Oſtone in præſulum cætu dictum, quòd viuente adhuc ſponsâ alteram duxiſſet, redintegratum eſt; ac *Expeditio in Syriam* ſacra in Orientem aduerſus Mahometanos expeditio ſtatuta. Romam à ſacris militibus perductus, Antipapam Rauennam ad fugam egit. In Apuliam digreſſus pro re-*Anſelmus* ducendis ad vnitatem Eccleſiæ Græcis in Synodo Barenſi multùm deſudauit, vbi & Anſelmi Cantuarienſis, quem Rex Angliâ eiecerat, doctrina mirè reſplenduit. Euicitque vt per Græcos expeditio in Siriam decreta non retardaretur. Romæ demùm habitâ Synodo generali aduerſus ſchiſmaticos, & pro expeditione Syriacâ, cum ad
1099 *29. Iul.* obſequium paſſim ſchiſmatici redijſſent,
obijt

obijt, cum ſtrenuiſſimè ac feliciſſimè Eccleſiam rexiſſet annos 11. m. 4. d. 18.

## CAPVT XIV.

## *Decima-octaua in Fidem Hæreſis Sacramentariorum, ſeu de Berengario Sacrametnariorum præcipuo Authore.*

SI vſpiam; in Euchariſtiæ ſacramento, Deus maxime in homines liberalis. Alibi ſua; hic ſe quoque donat. Parùm ſcilicèt ipſi fuit, pro ſuo in nos affectu, nobiſcum eſſe; niſi & idem eſſet. Immenſa bonitas! quæ ſuâ magnitudine laborat. Maius plurimis viſum munus; quàm vt verum eſſet. Hinc Berengarij & gregalium incredulitas; qui dum minus Dei beneficium credunt; totum amiſerunt: ſeque à tanta excluſere beneficentiâ, dum ei poſuere metas. Porro Berengarius Andegauenſis Archidiaconus, dum poſthabitis Fulberti Carnotenſis, quem Magiſtrum habuerat, placitis, Ioannis Scoti libros auidiùs legit; vnde ſe, & alios inficiat, haurit. Id verò quàm mortiferè; dum Antidoto, in omne venenum præſentiſſimo, ſubmoto: *pro vero Chriſti in Hoſtia Corpore, eius imaginem ſubſtituit:* quaſi qui legis vmbras impleturus venerat, nos vmbris ipſe paſceret. Impium diu continuit metus à Roberto Rege, qui blaſphemiam ſubnaſcentem in Leutherico Senonenſi Præſule compreſſerat. Sed eo mortuo ſpirans liberiùs lues, Bru-

*Hæreſis.* *Bereng.* *Hæreſis.* 1035

none Andegauenſi Præſule corrupto, majoris damni metum fecerat: ni Henricus Rex, impiis cohibitis, patris haud ſe degenerem probaſſet. Admouerunt & vlceri
1050 manus Leo IX. & Victor II. Pont. dum
1055 ille, in Romano & Vercellenſi Conciliis, hic in Florentino membra putria ſano è
*Damnatur.* corpore abſciderunt. Animari vltrà non debuerunt Eccleſiæ ſpiritu, quam ſubtracto diuino pabulo, quantùm dabatur, exanimauerant. Nec ipſe Berengarius, eiuratâ Turonibus, & Romæ, in Conciliis blaſphemiâ, firmiter ſurrexit, quem vmbris diu
*Bereng. relabitur.* paſtum, vires defecerant. bis pœnitens fuit; vt iteratæ culpæ conſcientiâ ſceleſtior, ſuſpectam & tunc haberet pœnitentiam, cùm veram & ex animo voluit. A Durando quidem Leodienſi, Lanfranco Cantuarienſi, Petro Damiani & aliis expugnatus in Romanâ Synodo, ſe Catholicum profeſſus eſt: eum-
*Impugnatur.* que Gregorius VII. myſtico Chriſti cor-
1079 pori tùm reddidit, cùm de reali benè ſentire vidit. Nec tamen inde morituro ſecuritas. Verberabat animum tunc, Fulberti
*Vaticinium.* Magiſtri Vaticinium; quando moriturus, eum à cubiculo ejici curauit, quòd ei dæmonem aſſiſtere, multoque blandiente ma-
1028. nu ad illum pellicere videret. Nec ſe bonâ fide ſectatorem eſſe Chriſti credidit; quando ſibi à dæmone quęſitos, quærendoſque ſectatores cogitauit. Ideo tremens in lectulo:
1088 *Hodie*, inquit, *apparebit mihi Dominus, pro-*
*Pœnitentia ſuſpecta.* *pter pœnitentiam, vt ſpero, ad gloriam, vel propter alios; vt timeo, ad pœnam.* Quippe ille ſine peccato ſemper non eſt, qui quam-

quam in ſpeciem innocens, aliis peccandi occaſio eſt.

## CAPVT XV.

### *De Tenchelino, Petro de Bruis, & aliis Berengarij ſectatoribus.*

FVit cur ſuæ pœnitentiæ non planè fideret Hæreſiarcha, per quam non planè peccatum deſiit. Quod excitauit incendium, nec extinxerunt riui ſanguinei; nedum pœnitentis lachrimæ. Nam *Tenchelini*; *Petri de Bruis*, *Henrici*, *Vualdi*, atque adeo *Zuinglij*, *Caluini*, & aliorum parens in dogmate de Euchariſtiâ, non iniuriâ, dici poteſt, quamuis ſuis ipſi quoque placitis innotuerint. Quid verò non auſi illi *Tenchelinus* eò dementiæ ſectatores apud Belgas adduxit, vt ſuas eis lotiones bibendas pro nectare, & pro ſacris adorandas perſuaſerit. Digni qui ſordibus cultum deferrent, qui Deo negauerant, & purgamentis paſcerentur; qui Deum nolebant in pabulum. Suſtulit & Sacerdotes, quid enim facerent, ablato ſacrificio? Nec voluere templa *Petrus & Henricus*: vtpote ſine ſacris ſuperuacanea. Adultos ſolos admiſerunt ad baptiſmum: quaſi ſacramentum rationis res eſſet, non fidei. Suam in perduelles eduxit aciem Eccleſia, ducibus Norberto Premonſtratenſi, Bernardo Clarauallenſi, Petro Cluniacenſi, Alberico Cardinali Oſtienſi, Eugenii III. Pont. nomine, & aliis. Nec dubitatum de victoriâ, cum nec dubitaretur de causâ, & tales pugnarent. Ten-

*1126 Tonchelini hæreſes.*

*Impugnantur.*

conſtat *Siſcidenſes*, *Ortlibenſes*, *Catharos*, *Patarenos*, *Bagnolenſes* & alios : Nam vnico nomine vt dicerentur æquum non fuit ; qui nullos erroribus fines poſuerant. Ne mendacij poſſent argui ; Summum Pontificem, ex veri arbitro, in errorum vindicem ; & Romanam Eccleſiam, ex veritatis normâ, & ſponsâ Chriſti ad Apocalypſeos meretricem deſiuiſſe delirabant ; quaſi excidiſſet ab innocentiâ, ex quo ſub Syluestro exiit ab inopiâ. Inde ſanctitatis nouæ figuli Clericos magis volebant addictos ſtiuæ, aut trullæ, ad parandum victum; quàm precibus ad Deum exorandum. Nullus ipſis ordo ſacer probabatur in Eccleſiâ, niſi quem propria cujuſque innocentia feciſſet. Sic pœnitentiâ ex laico ſacrum ; & ex ſacerdote prophanum peccato fieri ſomniabant. Quidni ſacrum Ordinem deieciſſent è gradu ; qui nec Diuis locum in cœlis reliquerunt, eorum abrogato cultu, abiectis imaginibus, ſacris quibuſque ritibus reſciſis, & ſacramentis abdicatis ? Iurare vel in iudicio volebant illicitum ; qui priuatim tegendo ſecreto periurium probabant. Quibusdam tamen, qui *Populicani*, ex tenerioris conſcientiæ ſcrupulo, dogma tam crudum minùs placuit. Breui ( nec enim omnia ſomniantium deliria colligere liber ) qui brutum occidiſſet ad eſum, habebant pro homicida : nec Iudicibus mortis ferre in Reos ſententiam licitum arbitrabantur. Ex iis & ſimilibus dignos credas ; quos ex ſe genitos *Manichæi* agnoſcerent ; è quibus ſe ge- *Hæreſes.*

nitos *Caluiniſtæ* faterentur *Credentium* tamen nomine illorum plurimi ſe venditabant. Enimuerò, multùm in eis de fide ineſſe oportuit; quibus tam parum erat de ratione. Per Gallias afflatu peſtifero graſſata diu peſtis; remota corripuit; ac ſuperatis Alpibus, & Pyrenæis, traiectoque Rheno, longè latequè virus effudit: ſed non alio demùm euentu, niſi vt illuſtrior eſſet Eccleſiæ victoria, quæ ſe diffudit ad
*Damnantur.* plura. Quia verò non profuerunt anathemata in Turonenſi, Albienſi, Tholozanâ, & Lateranenſi Oecumenica Synodis ſub Alexandro III. contorta in impios; acrioribus armis vti placuit; vt quos Paſtorali pedo Antiſtites ad ouile non reuocauerant; enſibus & haſtis principes reuocarent: perdendi fuerunt armis aliqui, ne vniuerſi perirent hæreſi.

## CAPVT XVII.

### *Bellum primum in Albigenſes.*

ALbigenſium fœda lues Chriſtiani corporis vitalia iam carpebat, nec ſpes vlla ſanitatis affulgebat, niſi pars aliqua præcideretur, Regum etiam gladio. Itaque
1209 Innocentius III. Pont. Milone Legato, & Simone Monfortio Cruce-ſignatis copiis præfecto aſſenſus tandem eſt vt ferro perderentur, quos nec ſuis; nec Ciſtertienſiū; nec Didaci Oxonienſis Epiſcopi; nec, qui vnus omnium inſtar fuit, D. Dominici monitis
*Bellum.* ſeruare potuerat. In Raimundum ſtatim Tholozæ Comitem illata ſigna: vt ſub-

acto capite faciliùs transfigeretur de membris. At is infrementem procellam, & fulminibus grauem, excantatione præſentiſſimâ ſedat; dum pœnitentiâ, & virgarum apud S. Ægidium publicâ pœnâ, culpam expiat..Nec dum tamen repreſſa arma; cùm nec à rebellione oppidani deſiſterent. At poſt exciſas Biterras,& Carcaſſonem direptam,nihil pręterea fuit quod reſiſteret.Celeri cuncta obſequio; quod vnum in malis remedium fuit, victoris iracundiam exarmarunt. Nec valuere interim Raimundi, apud Pontificem, & Philippum II. Regem, aduerſus Milonem, & Monfortium querelæ. Bonâ fide innocens credi non potuit; quandiu ſubditi durabant in culpâ. Et inde rurſus bellum: & ad partes accitus Petrus Aragoniæ Rex: vt quæ nec pœnitentiæ laruâ, nec ignauo queſtu retinuerat; fortiori armorum præſidio recuperaret. At nouus impii conatus, in nouum Monfortii decus ceſſit; eoque illuſtriùs; quò minori militum numero (mille omnino erant) maiorem hoſtium; qui centies millenarium exceſſerant, non tantùm ad Muretum, ignobile prope Garumnam oppidum, ſuſtinuit; ſed etiam Rege ipſo cæſo penitùs profligauit: quaſi è ſacro & cœna Domini prodiiſſet, non tam ad pugnam, quàm ad victoriam. Debetur & pars gloriæ Præſulibus, & D.Dominico, qui dum in hoſtium cruorem manus immergebant in caſtris milites; ſuas intra oppidum, attollebant ad cœlum; & noui Moyſes à Deo impetrabant victo-

*Raimundi pœnitentia.*

*Rebellat.*

1213

*Sternitur ad Murerum.*

*D. Dominicus.*

riam ; qua pugnantes inclareſcerent. Ne pia Monfortii, pro re Catholicâ; militia ſine præmio eſſet ; quas ipſe prouincias ; profu-
1216 go in Hiſpanias Raimundo ; Eccleſiæ red-diderat; eaſdem ipſi Eccleſia ex Monſpelienſis & Lateranenſis Concilii ſententiâ ſubdidit. Nec Pontificis ad hoc bellum ſeu curæ, ſeu impenſę fuere gratuitę : eius tum ditioni , attributo ex exauctorati opibus comitatu Veneſſino.

*Comitatus Veneſſinus adiudicatur Pontifici.*

## CAPVT XVIII.

### *Bellum II. in Albigenſes.*

Extorrem Comitem pudor ad hæc ſubit ; & conſilium vel recuperandi perdita , vel in conatu pereundi. Hinc rurſus bellum, & Prouinciæ noua rebellio ; & Monfortij, qui Pariſiis ad præſidium accurrerat ; dum Tholozam tentat, interitus : vt
1217 vel victus & cadens cognoſceret , cuius ope viciſſet. Quippe , cui nihil non fauſtè ceſſit totam Chriſto impendenti militiam; nutauit, & cecidit, dum & ſibi impendit. Patre mortuo , de alieno fit liberalis filius Amalricus; & qui ſe recuperandis perditis ſenſit
1226 imparem ; ea Ludouico VIII. Francię Regi ceſſit. Stimulauit & pium Regem Honorii III. Pont. adhortatio ; vt quę militia poterat amplificandæ rei ſtudio tribui; fieret opus obſequij , & pietatis. Ad crucis igitur per Euangelicos præcones promulgatę ſignum ; delectu habito , ad hoſtem accingitur. Primum armorum premium Auenio fuit , quæ diuturnæ pertinaciæ

*Monfortius vincitur.*

pœnas luit, mœnium ruinâ. Inde progreſſu facili ſubacta reliqua, viam ad Tholozam aperuerant; ni cœptas à patre victorias, reſeruatas filio Deus voluiſſet. Nimirùm vt à bello ſacro auſpicatus victorias, iam tum à teneris proderet, quantus ad impietatis perniciem adoleſceret, Regum ſanctiſſimus. Nec in hoc mora. Vix Roberto Belloiocio Duce, belli ſignum inſonuit, cum Raimundus filius (nam ſenior interea exceſſerat) ſe victum prodidit: quæ prima belli cauſa fuerat, impietate eiuratâ; &, quæ altera, Alfonſo Regis fratri aſſertâ Prouinciâ in poſterum, in dotem filiæ, quam ei Raimundus vnicam ex pacto dedit. Inde pax nullis diu turbata motibus. Adeo illa demùm certa victoria eſt, de qua ſibi quoque victi placent.

*Nouum bellum.*

*D. Ludouicus.*

1228

*Pax.*

## CAPVT XIX.

## *Decimum-ſeptimum in Eccleſiam ſchiſma, Petri Leonis.*

A Calliſti II. morte non leuius excitabatur diſſidium, quàm quod viuens pacauerat; ni Theobaldo, in quem iam omnium vota conſenſerant, poſthabito, in Lambertum Cardinalem Oſtienſem, collata ſuffragia eſſent. At ab exceſſu Honorij; quod nomen Lamberto inditum fuit; dirum ſchiſma Chriſtianum Orbem in partes ſcidit; quando Innocentio II. ritè promoto intruſus eſt à turbonibus Petrus Leonis ſub Anacleti nomine. Hic aduer-

1124

*Metus ſchiſmatis.*

*Schiſma inter Anacletum Antip. & Innoc.*

ſario pulſo, Romà potitus eſt; vt quam ſacrà ſupellectili diſtractà emerat, tunc verè venalem, quia emptor non defuit. Potitus eſt etiam Siciliâ, quam dicto Rege Rogerio, & in alterum quaſi Pontificem conſtituto, ſibi addixit. In ejus etiam partes Aquitaniam traxit Gerardus Engoliſmenſis Epiſcopus, in pretium ſibi ab ipſo creditæ legationis, quam Innocentius negauerat. Orbis reliquus pro Innocentio fuit. De ipſius cauſa dubitari non potuit, poſtquam in Galliis, quo vrbe pulſus euaſerat; Claromontano, Stampenſi, & Rhemenſi Conciliis approbari conſtitit. Detonuere pariter vtrimque anathemata; ſed euentu tàm diſpari, quàm authoritate. Verum anathema non intorſit Anacletus; qui non erat Pontifex, niſi in imagine. At ex Gallicanis Conciliis eum fœdè perculſum Innocentius, ſecuturæ mox victoriæ opor-
*Antipapa perc̃ellitur* tunum fecit. Nec mora Lothario, Ger-
1133 maniæ Rege, cuius auxilio vrbem victor intrauerat, in Imperatorem inuncto; Piſas digreſſus in Synodo perduelles nouo anathemate proſcriptos, citra ſpem reſtitutio-
1134 nis exauctorat. Durauit tamen Mediolanenſibus pertinacia, vt ex iis mox ſubactis
*Bernardus pro Innoc* illuſtrius inclareſceret Bernardi Clarauallenſis induſtria. Obnixius reſtitit Guil-
1135 helmus Aquitaniæ Dux, vt ex eo prodigiosè domito, nouum Bernardo trophæum exurgeret. Nam oſtenſâ minaciter Euchariſtiâ, ſic obſtinatum perculit, vt fœdè proſtratus, oculos atrociter rotans, & ſpumas ore turpiter agens, facturum ſe quæ

iubebatur tremens ſpoponderit. Mirabilis planè ac, de Deo mutatio, quæ de lupo fecit Agnum; de Orci ſatellite, non Dei ſolum militem, ſed noui Auguſtinianorum Eremitarum Ordinis vel inſtitutorem, vel reſtauratorem. Nec dum tamen obſequi Rogerius didicerat, quamquam à Lotharii copiis totâ pulſus Calabriâ. Nempe vt id etiam monſtri Chriſtianus tùm Hercules Bernardus obtereret. In Salernitano vtriuſque partis Cardinalium colloquio ea cœpta victoria; ſic, poſt abdicationem voluntariam Victoris, quem perduelles Anacleto ſuffecerant; & per contortum in obduratos anathema, in Lateranenſi Concilio, inualuit; vt eam demùm ipſe Rogerius, de ſe magis quàm de Innocentio, ad Caſſinum, intercepto triumphans, impleuerit. Ibi ſe victum in victoriâ confeſſus, quem habebat in vinculis, adorauit vt Pontificem, dum collatum à Pſeudopapâ inanem titulum, ſuo ipſe ſuffragio verum faceret: vt iure poſthac nomen Regium præferret, quod iniuriâ comparauerat.

*Innocentius captus* 1139

*Pax.*

## CAPVT XX.

### *Anacephalæoſis de iure Politico Eccleſiæ Romanæ, & de Politicis inde natis.*

TRanſlato per Conſtantinum ad Orientem Imperio, & nouâ è ruinis Byzantii excitatâ Româ; non continuò veteris politicum dominium penes Papam fuit. Ad

aliquot ſęcula durauit in aliorum manu, ſub Ducatus etiam nomine: Vrbium illa Regina, victrixque populorum, quam totus nuper orbis adorauerat: vetus, inquam, illa Roma, nouæ diu fuit vel prouincia, vel prouinciæ appendix: Vt non Roma ſolùm, ſed & Exarchatus, ius vtriuſque Siciliæ, Sardinia & alia, Francorum munus fieret, atque poſteà Mathildis. Magnificum ſanè, & ex dignitate dantium, dubium an ob id vtile, & commodo recipientium; Nam & iſthuc fortaſſis aptes illud aureum, *aureos præſules in vaſis ligneis, ligneos in aureis ſacra feciſſe.* Plurimis enim fortè eò minor de cœleſtibus cura, quò maior de terrenis incubuit. Certè inde Pontificum frequens anxietas, tumultuum non rara occaſio, & excitata ambitio *Politicorum*, quorum & cura præcipua, & Religio vna eſt, rem priuatam augere, Eccleſiaſticæ damnis. Denique Politica illa Eccleſiæ magnitudo; ex eo humana fuiſſe conſtitit, quòd vacillauit aliquando, atque adeo non ſemel intercidit: cùm non ſolum Tuſculani Comites, ſed Galerii quoque, Creſcentii, aliique Proceres, nec non Henrici, & Friderici Imperatores, & ipſe etiam aliquando populus ſupremum ſibi ius in Vrbe ſæpe aſſeruerint; & ſub repetendæ ditionis temporariæ ſpecie, diuinam in Pontifice authoritatem violauerint.

*Munus.*

## CAPVT XXI.

### *Decima-nona in Fidem Hæreſis Politicorum, ſeu de Arnaldo Brixiano Politicorum Hæreſiarcha.*

INter prædonum illos proceres locum iure vendicat Arnaldus Brixianus, vt qui ſcelerum audacia natalium obſcuritatem nobilitauerit. Quippe nouus Heroſtratus, dogmatum quaſi flabris ea excitauit incendia, quibus Epheſino templo multò celebrior, Eccleſia Romana diu conflagrauit. Nam quem ordinem ſacrum vitæ ſordibus clericus ipſe dehoneſtauerat, conuitiis proſcindere nunquam ceſſauit. Quippe prophanorum demerendæ gratiæ, cui totus velificabatur, non melior ratio, quàm ſacros laceſſere. Id verò qua iſte impudentia? cum non prærogatiuis eos tantum omnibus imminutos voluit, ſed & exhauſtos bonis, vt eis proceres, an prædones, implerentur. Magiſter felix! qui in Longobardis, Germanis, Normannis, & aliis diſcipulos ante habuit, quàm doceret: qui tam dociles multos habuit, poſtquam docere cœpit. Quot enim videas, quibus non tam videtur ex animo, quod bonis creſcant; quàm quod Eccleſiaſticis? Nempe vulgaria pertæ ſi crimina, palmarium attentant; & minùs eſt eis eſſe latrones, niſi ſe quoque ſacrilegos prodant.

*Arnaldus de Brixia* 1139

*Hæreſis.*

## CAPVT XXII.

### *Commotiones Romanorum in Pontifices ex iure Politico.*

INter illos locum ita Tiburtini habent, vt ſi quam inde ignominiam contraxerant, fidei poſtmodum obſequio purgauerint. Illi nec ſopitis ſchiſmatibus dedidicere aliquandiu turbas, quibus aſſueuerant. Pax ipſis placere non poterat quę tumultuandi ablata licentia, iuberet obſequium: Auſi etiam Romanorum incurſare agros, eos accurrentes ad præſidium fœdè profligarunt. Sed demùm vtriſque territos armis Innocentius II. Pont. adegit ad obſequium, ſed quo non erubeſcerent Tiburtini. Indignati ob id Romani, qui vltionem maluerant, ipſi rebellant: & occupato Capitolio; Senatoribuſque creatis ſub Patricio præſide, Reipublicæ veteris imaginem excitant: & bellum in Tiburtinos redintegrant, oleum ſemper ad incendium infundente Arnaldo. Quæ tùm Romæ facies? quæ latrocinia? cum defuncto, dubium an ictu lapidis è Capitolio à perduellibus miſſi, ſaltem rebellionis tædio, Lucio II. Eugenius III. ei ſuffectus Viterbium ad fugam adactus eſt. Nec Eugenio profuit exarmaſſe perfidos Tiburtinorum auxilio, excuſſo capite Patricio, qui tùm Iordanis erat, Reipublicæ nouæ corpus diſſoluiſſe, niſi vt ex caſu ad noua reniterentur impij. Prætextus, vt antea, Tiburtinorum incolumitas. Supereſſe nolebant, per quos perfidis impunè eſſe non

*Tiburtini Romam vexant.* 1141

*Pacantur*

1144 *Roma rebellat.*

1145

licuerat. Eos igitur dum ſaluos cupit Eugenius, vix ipſe ſe ſeruat, Angelicæ primùm Arcis præſidio, tùm in Gallias perfugio. Hinc inſtaurata liberiùs latrocinia, & Arnaldi nouus, in ſacra furor: dum; quaſi parùm eſſet à Clericis diſtraxiſſe laicos, Clericos à Cardinalium obſequio diuulſit. Reuertitur inter hęc Eugenius, & Vrbem ancipiti feſſam bello ad pacem agit, Turbone pulſo: melius ſi occiſo. Poſthæc Hadriano IV. recenter promoto ad infulas ij ſunt excitati motus in Vrbe, vt lethali vulnere læſo iam Cardinale, eis ſe comprimendis Hadrianus imparem nouerit, & inde ſalus. Adeo nec in vltimis ponenda fiducia eſt. Hadrianus quippe ex quadam quaſi deſperatione animoſior, Vrbem, quam ſine turbis facere non potuerat, ſine ſacris eſſe iuſſit. Mirùm! quos nulla Dei, nulla hominum reuerentia hactenus mouerat, ſacrorum intermiſſio perculit. Inde fremere populuŝ, pacem apertè velle, & primores adigere, vt abolita noua Republica, & Hereſiarchâ pulſo, Pontificem exorarent. At qui poterat ſperari pax diuturna, illo ſuperſtite, quî furialibus diu conſiliis, bellum accenderat? Proditus igitur ab Ænobarbo, & in vrbem reducto, ſui conflagrantis ſpectaculo populum aliquandiu pauit, quem diu paſtum mendaciis, ſeditionum flammâ corruperat.

*Arnaldus rurſum turbat.* 1143 *Pax.* 1152 1552 *Interdictum.* *Arnaldi Nex.*

## CAPVT XXIII.

### *Commotiones Romanorum in Pontifices ex iure Politico.*

ROmanorum motus in Pontificem, Arnaldi flamma ſopiverat; ſed vt breui recrudeſcerent. Nec enim ita pereunt impij, vt alumnos ſuperſtites non relinquant. Conſulatus, qui Turbonibus relictus fuerat ad ſolatium, paciſque præſidium; fuit ipſis ad nouos turbines incitamentum. Dum enim illum, quo abutebantur ad illicita, reſcindere tentat Lucius III. mirùm quo in ipſum furore ciues exarſerint. Quid non auſos credas? qui Pontificem vrbe pulſum, & Chriſtiani Moguntini Præſulis ſubnixum viribus, mœnibus incubantem, noui Aquilij contra fas gentium, corruptis veneno fontibus, peremptoque inde Chriſtiano, ſummouerint. Quippe ad facinus, vel ipſis inauſum barbaris, & à Romanis adhuc impiis in ſuo Duce, aduerſus barbaros, minus probatum inhorreſcens Pontifex, pacem eis dedit; ne longiori bello perderet, qui ex deſperatione iam perierant.

*Roma noua rebellio.*

1183

*Bellum.*

*Fontes infecti.*

## CAPVT XXIV.

### *Commotiones Romanorum in Pontifices ex iure Politico.*

ROmana diſſidia quæ deſinere viſa ſunt in Lucio III. recrudeſcere ſub Innocētio III. vix dum enim ſedere in ſolio Pontifex cœperat, & ditionem Eccleſiaſticam à Marculdi,

culdi, Conradi,& aliorum, præſertim Teu- *Roma*
tonicorum tyrannide feliciter liberare, cum *noua re-*
ex Vrbe pulſus eſt: quaſi ei minùs ex eo eſſet *bellio.*
iuris, quòd eſſe dominus cœpit. Euicit ta- 1198
men patientiâ & minis; vt ſuę rebelles feroci-
ciæ citò puduerit, & vnico Senatori, quem
volens ipſe daret, ſubeſſe maluerint: quàm
pluribus quos expreſſiſſent ab inuito. At ille *Pax.*
vnus plus ſatis fuit ad inſtaurandas diſcor- 1202
dias. Hannibal enim; Romanis infauſtum
nomen; ex Hannibaldâ tunc perilluſtri fa-
miliâ, Senator: vt ab Annibale tandem Ro- 1228
ma capta dici poſſet; Gregorium IX. Pont.
eiecit: & iis vrbem tumultibus miſcuit:
(per Frangipanes & alios, furtim ſtimulos
Turbonibus admouente Friderico Imp.) vt
non aliâ manu comprimi potuerint, quàm
diuinâ. Vſa eſt illa peſte; quæ vix decimo 1231
cuique pepercit, & inundatione Tiberis, *Roma*
quæ ad Vrbis edita; ingenti omnium pauo- *peſte fra-*
re, peruaſit. At quis vnquam; ex Vnius pœnæ *datur &*
ſeu metu, ſeu ſenſu; ex animo reſipuit? Non *inunda-*
diutiùs in perduellibus durauit promiſſa fi- *tione.*
des, quàm iracundiæ diuinæ flagellum de-
ſæuiit. Ac, vt fit in relabentibus; priorum
ſcelerum pœnitentiam, maiori nouorum cu-
mulo obruunt. Nec iam inſurgunt in Pon-
tificem, vt vrbis principem tantùm; ſed
etiam vt præſidem ſacrorum. Nec ſatis ha-
bent ipſum vectigalem ſenatui facere; niſi
præterea facultatem dicendi in ciuem Ro-
manum anathema, & vrbem interdicto ſup- 1234
ponendi; ipſi adimant. Quo verò tandem *Renoua-*
exitu? niſi vt tùm alibi, tum ad Viterbium *tur im-*
magnâ clade fracti ediſcerent, noui Encela- *pie.*

1257 di., tentari authoritatem Dei, cum viola-
tur Pontificia: & ei demùm parendum, qui
adeo ſuis ſubditis tributum non debet, vt ei
totus orbis ſit vectigalis.

## CAPVT XXV.

### *Commotiones Romanorum in Pontifices ex iure Politico.*

NEc dum tamen amare pacem ex ani-
mo perduelles didicerant; quippe Fri-
dericus eos ſtimulare ad turbas; & vnde
*Rebellio noua.* vſurpatam tyrannidem firmiùs vendicarent,
continuò ſuggerebat. Inde cum in ſuis tutò
1244 eſſe non liceret, euaſit in Gallias Innocen-
tius IV. ac poſt ſexennium regreſſus tan-
dem in Italiam, rebellium ſe fidei credere
1251 coactus eſt, ne Peruſio aut Aſſiſio; ſi iis in
vrbibus diutiùs moraretur, intentati exci-
dij eſſet occaſio. Volebant impij habere
præſentem Pontificem, vt repetitis ab eo
damnis, quæ ipſius ex abſentiâ; intermiſſo
commercio paſſi fuerant; ſuæ illum veſaniæ
teſtem oculatum facerent. Qui tunc erat in-
nocentiſſimi Præſulis animus? quando ſum-
1258 mus Paſtor lupi fidem implorabat: & Bran-
*Brancaleo tyrannus.* caleonem ſuæ dignitatis vindicem faciebat;
qui tragœdiæ primarius Actor erat. At &
iſte ſuas demùm vices ſubit: & qui dignita-
tis alienæ tyrannicus vindex erat; ſuæ dam-
num paſſus eſt: & vinculis eſt addictus à
plebe; quæ ipſi Madium Brixianum ſubſti-
tuit. Nempe vt exaſperatus ex caſu, poſt
1258 adeptam rurſus potentiam, atrociùs vlciſ-
ceretur æmulos; & Alexandrum IV. ſuffe-

ctum Innocentio vrbe pelleret, cum vitâ non poſſet: & Manfredi Siculi ſubnixus viribus nobilium Romanorum arces, ac ædes ad centum & quadraginta disjiceret: vt redeundi deſiderium exuerent, cum non ſupereſſent domus, quas repeterent. Nec ſegniùs exules tyranno mortuo in Catellanum ei ſuffectum inſurgentes, ex vrbe lanienam faciunt. Nec antè cædibus, & latrociniis finem ponunt, tyrannidem ſtrenuè vindicante Catellano; quàm Carolus Andegauenſis ad Regnum Neapolitanum accitus authoritatem Pontificis præſidio juuit: & factus Senator ſpem tunc tandem turbandi perduellibus abſtulit; cum vim ademit. 1259 *Cædes Romæ.* 1268 *Pax.*

## CAPVT XXVI.

## *De Abailardo hæretico.*

DIu ante impiorum dogmatum auſu Gallias infuſcauerant Abailardus, Porretanus; & Eon. Primus ſagacis erat ingenij, & in argutiis philoſophicis exercitati: inde contumax. Arij, Pelagij & Neſtorij venena in ſe collegerat: inde formidoloſior. Denique omni ex parte hæreticus: & inde impudens. Quàm celebri id documento probatum, cùm in Rhemenſi Præſulum, atque adeo Procerum percelebri; cui & ipſe Francorum Rex Ludouicus VII. aderat, cætu; Bernardum Clarauallenſem, contra omnes vel ſolum veritati vindicandæ parem; in publicum diſputationis certamen prouocare ſuſtinuit. At qui fallaciarum ambagibus cætum ipſum, quæ ipſius erat con- *Abailardus.* 1140

fidentia, nedùm Bernardum implexurus venerat, mirabiliter obmuteſcens, inſperato implexum ſe prodigio prodidit. At nec propterea, nutu ſaltem, iure ſe damnatum confiteri voluit. Prouocauit ad Pontificem, vt ab itinere nec ægrè retractus Cluniacum, ac detonſus in monachum pœnitentiæ deberet innocentiam, quam repetita damnatio non dediſſet.

*Obmuteſcit.* *Damnatur.* *Fit monachus.*

## CAPVT XXVII.

### *Porretanus & Eon.*

PORretanus verò Pictauienſis Epiſcopus in hoc impegit, quòd Regulas Dialecticæ aptare ad diuinitatem, aut diuinitatem ad Regulas voluit: & dum diuinam eſſentiam eſſe Deum, eſſe incarnatam, vel negat, vel ambigit; ſe prodit impium, vt ſubtilis audiat. Diu argutiarum clypeo eluſit anathema intortum ſæpius in Synodis: vt Rhemenſi tandem in Concilio ab ipſo damnatus Eugenio III. Pont. pœnitentia confiteretur, trepidè loquendum eſſe de Deo, etiam cum vera dicuntur, & ſolita: nec ad humani modum ingenij cogendam infinitæ maieſtatis amplitudinem; cui proprium eſt, eſſe ſupra omnem modum. Eon quatenus ſagacitatem ingenij, aut doctrinæ copiam iactare non potuit; ſe transformauit in Deum. Nec ſtolidæ perſuaſionis argumenta deerant: vt cui ad nutum lauta opſonia, ſectatores ſplendidi, opes magnificæ, occulta dæmonum arte, velut ſponte adeſſent. Accedebat, quòd ſe mo-

*Hæreſes.* 1148 *Damnatur.* *Eon.*

mento ab hominum aſpectu ſubduceret, ſe variis ſimul in prouinciis pręſens ſiſteret; *Praſtigia.* tanti fuit ad ſpecioſa prodigia Dæmonis ſe obſequio mancipaſſe: At quanti ſuprà in manus veniſſe Præſulum; & ſtolidum innotuiſſe. Ab hominibus pœnam non tulit, vt celeri morte raptus ſubiret æternam à Deo. In multos eius diſcipulos ſæuitum igni, vt *Pœna.* qui deliria pœnitentià finire noluerant, pœnâ finirent.

## CAPVT XXVIII.

### *De Almerico hæretico.*

ALiquandiu poſt inuidiam rurſus Règno nobili fecit Almericus, Pariſinæ Academiæ non tam Doctor; quàm vomica. 1204
Cùm per alia non poſſet, per inſana dogmata ſupra ſocios innotuit. Quæ vero illa? tam fatua, vt vix ab homine; tam impia, vt vix à Dæmone concepta diceres. Quid magis abſonum, quàm pro hauſtis è cœlo placitis, obtrudere generationes hominum, aut ſexus diſcrimen, ex Adami peccato eſſe: Reſurrectionis fidem inanem eſſe: non alium paradiſum, quàm Dei notitiam: nôn alium infernum, quàm quem quiſque ſibi delinquendo facit: creata quæque in Deum ita *Hæreſes.* conuerti, vt idem cum ipſo fiant; fideles ita Chriſti membra eſſe, vt illos quondam patientis cruciatus ex vero ſenſerint; Chriſtum non eſſe in Eüchariſtià: Diuorum cultum eſſe impium: & id genus alià, quæ non à è ſuis deprompta ſcriniis agnouit Academia nobilis, quia nec è ſuis cœlum. Vltra

tamen iuerunt nonnulli eius diſcipuli: quaſi magiſtri vellent errores obtegere, per ſuos. Iſti in Triadis ſacræ perſonis ſucceſſionem temporis admiſeruut; Patris potentiam aduentu Filij, & iſtius ſapientiam delapſo in Apoſtolos Sp. ſancto deſiiſſe: Sacramenta eſſe ſuperflua. Vnam gratiam interius acceptam ad ſalutem ſatis eſſe. Charitati vim adeo efficacem ineſſe, vt quidquid in ipſa vel ſceleſtiſſimum fieret, pro virtute haberetur à Deo, quem primam eſſe materiam delirabant. In hos tum in Pariſinâ Synodo Præſules, tum in Lateranenſi Innocentius III. dixerunt anathema: vt qui tam ſtolidè de Deo ſenſerant, Dęmonis in manus inciderent. Aggrauata & pluribus ex igne pœna, vt nec dum mortui alium ſupereſſe infernum, quàm quem ſibi per peccata fecerant, præſentirent. Nec parcitum Ariſtotelis de natura libris: vt in innoxios deriuaretur pœna, quam interpretum vel ignorantia, vel iniquior explicatio meruerat.

*Hæreſes noua.*

*Damnantur.*

*Ariſtoteles quoque.*

## CAPVT XXIX.

### *De Bongomilis hæreticis.*

BAſilij verò, qui Bongomilos condidit, impietas non intra vnius nationis fines conſtitit. Quippe collectis vndequaque hæreſeon ſordibus, multis ſe inficiendis parem nouerat. Quaſi parùm eſſet Manichæum ſe prodere, Anthropomorphita, Iconomachus, Sacramentarius inſuper audiit. Cum tot inquinaretur ſor-

1118

*Hæreſes.*

dibus, vni tamen ſibi commiſſam à Deo curam delirabat, qui Ioannis abrogato baptiſmate, quo ſolo hactenus eſſet vſa Eccleſia, illud Chriſti introduceret. Diu impunè Chriſtianum orbem ludificatus Impoſtor, quo debuit exitu deſiit. Nam Conſtantinopoli deprehenſum Alexius Comnenus Imp. igni addixit; vt qui flumineum baptiſma Chriſti primus introduxiſſe videri voluerat, flammeum experiretur. *Pœna.*

# FLORI CHRISTIANI LIBER OCTAVVS.

## CAPVT PRIMVM.

### *De Turcarum Primordijs.*

VTILI prouidentiâ Turcas ab
amœniori orbe, ad latus Bo-
reale Caucaſi, rerum natura
diſcluſerat : ni eadem viris
fortibus omnia eſſe peruia vo-
luiſſet. Nec ad portas Caſpias, ferratas tra-
bes objeciſſe viſus eſt Alexander Macedo,
niſi vt conſcij non obſtitiſſe ſibi illas, auda-
ciùs molliores impeterent. Erupiſſe iam
olim conſtitit ex captiuis, quos Narſes
Mauritij Imp. nomine reducens in Perſi-
dem Coſrohem in manu habuit. Miraculo
591 tum Chriſtianis fuit, ſalutis humanæ ſi-
gnum, eorum Paganitatem adhuc profi-
tentium frontibus impreſſum, ex Chri-
ſtianorum inter ipſos degentium conſilio,
ad peſtis remedium. Agnouiſſe illos bene-
ficium crederem, dum breui poſt, aduerſus
Coſrohem

Coſrohem Heraclio militauerunt : ni Perſis poſtea & Saracenis militiam vendidiſſent. Nimirùm, vt irroboratis aliorum ſub ductu viribus ; ſuo demùm, & quos juuerant inuaderent. Aliquandiu tamen quieuerunt in Hircaniâ, quam vagis, & extorribus Arabes Perſide potiti permiſerant : qui enim interea ſub Copronymo vexauerunt 763
Armenias, è portis Caſpiis tunc primùm eruperunt ; Eccleſiæ maiori metu, quàm damno. Nam cum Hyrcaniæ accolæ ritus Ethnicos Mahometicis mutaſſent ; iſti maluere Chriſtianos. Author Geila ipſorum 958
Ductor, qui Conſtantinopoli Chriſti fidem amplexus ; id boni ſubditis communicatum voluit, ducto Hierotheo, qui nouam illam gentem Eccleſiæ legibus informaret. At, nefas ! fidem admiſiſſe viſi non ſunt ; niſi vt abjicerent. Et inde magis impij, vt ſæpe pars eſt innocentiæ, innocentiam neſciuiſſe. Nam ſimul cum aliis juncti ; Saracenis Oriente toto domitis, in eam creuere potentiam, quà & Chriſtiana vel rueret, vel tremeret. Quamquam cladium non pœnitet, quæ virtutum fuerunt vel occaſio, vel pabulum. Latinos pios fecit, & magnanimos Græcorum calamitas, & oppreſſus Oriens Occidentem ad ſui præſidium exciuit. Hinc expeditiones variæ, quibus ſi non victi tandem barbari, victa certè rerum natura, & cœlum cadentibus aſſertum. Eas ibi ordine placet attexere.

# FLORI CHRISTIANI LIBER OCTAVVS.

## CAPVT PRIMVM.

### *De Turcarum Primordijs.*

VTILI prouidentiâ Turcas ab amœniori orbe, ad latus Boreale Caucaſi, rerum natura diſcluſerat : ni eadem viris fortibus omnia eſſe peruia voluiſſet. Nec ad portas Caſpias, ferratas trabes objeciſſe viſus eſt Alexander Macedo, niſi vt conſcij non obſtitiſſe ſibi illas, audaciùs molliores impeterent. Erupiſſe iam olim conſtitit ex captiuis, quos Narſes Mauritij Imp. nomine reducens in Perſidem Coſrohem in manu habuit. Miraculo
591 tum Chriſtianis fuit, ſalutis humanæ ſignum, eorum Paganitatem adhuc profitentium frontibus impreſſum, ex Chriſtianorum inter ipſos degentium conſilio, ad peſtis remedium. Agnouiſſe illos beneficium crederem, dum breui poſt, aduerſus Coſrohem

Coſrohem Heraclio militauerunt : ni Perſis poſtea & Saracenis militiam vendidiſſent. Nimirùm, vt irroboratis aliorum ſub ductu viribus ; ſuo demùm, & quos juuerant inuaderent. Aliquandiu tamen quieuerunt in Hircanià, quam vagis, & extorribus Arabes Perſide potiti permiſerant : qui 763
enim interea ſub Copronymo vexauerunt Armenias, è portis Caſpiis tunc primùm eruperunt ; Eccleſiæ maiori metu, quàm damno. Nam cum Hyrcaniæ accolæ ritus Ethnicos Mahometicis mutaſſent ; iſti maluere Chriſtianos. Author Geila ipſorum 958
Ductor, qui Conſtantinopoli Chriſti fidem amplexus ; id boni ſubditis communicatum voluit, ducto Hierotheo, qui nouam illam gentem Eccleſiæ legibus informaret. At, nefas ! fidem admiſiſſe viſi non ſunt ; niſi vt abjicerent. Et inde magis impij, vt ſæpe pars eſt innocentiæ, innocentiam neſciuiſſe. Nam ſimul cum aliis juncti ; Saracenis Oriente toto domitis, in eam creuere potentiam, quà & Chriſtiana vel rueret, vel tremeret. Quamquam cladium non pœnitet, quæ virtutum fuerunt vel occaſio, vel pabulum. Latinos pios fecit, & magnanimos Græcorum calamitas, & oppreſſus Oriens Occidentem ad ſui præſidium exciuit. Hinc expeditiones variæ, quibus ſi non victi tandem barbari, victa certè rerum natura, & cœlum cadentibus aſſertum. Eas ibi ordine placet attexere.

## CAPVT II.

## *I. in Orientem ſacra Expeditio.*

EX Turcarum progreſſibus inarſere Latini ad bella Orientalia. At vt innoteſceret cui deberetur operis perfecti gloria, ab infirmiſſimo cœptum eſt. Fuit hic Petrus Ambianenſis Anachoreta; cuius quaſi ad claſſicum Vrbanus II. Pont. in Synodo Claromontana expeditionem indixit. Conſtitit eſſe de cœlo perſuaſio, quæ pariter atque ſemel Galliæ præſertim proceres accendit. Hinc ſumpta paſſim ſacræ militiæ teſſera, (ea erat crux ex rubro veſtibus adſuta.) Ad ſumptus, cùm oppigneratæ prouinciæ, tum etiam venditæ. Nouis ſiquidem Alexandris, qui noua moliebantur imperia, auita pro nihilo erant: & electo in Ducem Godefredo Bolionio non difficilius putant noua Regna condere; quàm vetera vendidiſſe. Fuit hic Euſtachij Bononienſis filius, & ex Idà matre Godefredi Lotharingiæ Ducis Nepos, atque adeo Heres. Primos conatus euentus non deſtituit; quippe non deeſt Deus hominum laboribus, qui vnum ob Deum imprimis laborant. In Aſiam igitur per Germaniam, Hungariam & intermedia, ad ſexcenta peditum, centum equitum millia, traiecti, veſtigia paſſim victoriis ſignant: & dum ad Paleſtinæ victoriam tendunt, Nicomediam, Niceam, Antiochiam, & finitima, hoſtibus ſæpe cæſis, & Præſulibus ad ſacra conſtitutis, vincunt. Quid non ſperes ab illis, quorum iter ad victoriam, victoria fuit? Iudæam

*Occaſio.*

1095

*Godefredus Dux expeditionis.*

*Victoria.*

fandem ingreſſi, Terram proni venerantur oſculo, quam diuinis Chriſtus veſtigiis conſecrauerat:& ad eius quaſi præſentis memoriam animati; pro eo ſanguinem ibi fundere geſtiunt, vbi ſuum ipſe pro omnibus fuderat. Reliquis ſubactis, aliquandiu reſtitit Hieroſolyma; vt interea noſtri, quos diuturnis iam præliis exhauſtos Genuenſium recentes copiæ erexerant, cum rerum, & aquæ præſertim penuriâ luctati, ſe priùs, & rerum naturam vincerent; quàm vrbem. Ceſſit enim tandem Godefredo, ante alios, in effracta machinis mœnia euadente. Barbaris nullibi parcitum; quippe expiandæ ciuitati pollutæ nulla placabilior victima; quàm ſanguis impiorum. Statim renunciatur Patriarcha Daibertus, ex Piſano Præſule, & ab eo; cum aliæ aliis prouinciæ ceſſiſſent; Godefredus Hieroſolymæ Rex innungitur. Et quia Chriſtianum principem puduit auream ibi habere coronam, vbi Chriſtus ſpineam tuliſſet, iſtam ipſe ſibi maluit. Sic proludebatur ad ſolemniorem multò inaugurationem. Non poterat ad coronam immortalem gloriæ, ad quam anno poſt accitus in cœlis eſt, meliùs diſponi; quàm præferendo in terris ſpineam.

*Pietas.* *Hieroſ. expugnatur.* 1099 *Godefredus eius Rex.*

## CAPVT III.

## *II. In Orientem ſacra Expeditio.*

GOdefredum Balduinus frater, ex Edeſſeno Comite, excepit. Huic in tuendis prouinciis non laboratum minùs, quàm in ſubigendis. Nam interea; vt timor ab

externo domeſticæ concordiæ incitamentum eſt, cum Saracenis & Ægyptiis Turcæ coëunt: & nouam feſtinant exſcindere potentiam, quam irroborari non poſſe vident, niſi ſuæ caſu. Et inde triumphi noui occaſio. Nam ad Aſcalonem à paucis, (vix decem millia impleuerant, aliis ad prouinciarum
*Victoria.* præſidium digreſſis) ad centum millia cæſi ſunt, vt diſcerent nihil in eos humanas poſſe
1105 vires, quibus pro vexillo Crux eſt, pro Duce Deus: quando ſigni, ac Ducis reuerentiam vitæ probris milites non dedecorant. Ab Alexio Comneno Orientis Imp. maius diſcrimen incubuit; vt qui ſub ſocietatis velo hoſtilem animum regens, barbarorum amicitiam noſtrorum clade mercaretur.
*Græcorum fraudes.* Quis credat? Nouas Cruce ſignatorum copias, quas ex Galliis Hugo Philippi Regis frater, Stephanus Burgundiæ, Guilhelmus Aquitaniæ Comites, & alij etiam ex Italiâ, ſupra trecenta millia adducebant, magnam partem, cæſas eſſe à barbaris, Græci perfidiâ, à quo vindicatas fuiſſe oportuerat. Inde hoſtis ad noua audacior. At non alio demùm euentu; quàm vt à noſtris, quibus à Danis, Anglis, & Italis vires accreuerant, ſæpiùs vincerentur, & latè circum vrbes domitas, Ægyptumque à Balduino direptam
*Noua copiæ in Orientem.* cernerent. In Rogerio tamen vulnus accepimus. Indignus nimirùm, qui Chriſti hoſtes vinceret, cuius ſe ipſe hoſtem cùm per alia ſcelera, tum per vſurpatam Antiochiæ tyrannidem prodiderat. Cladem ad Antiochiam, cæſis barbaris, vltus eſt Balduinus II.
1120 qui primum exceperat, ſed ita vt in nouam

cladem victoria verteret. Dum enim ab hoſte ſępe victo ignauiùs cauet, intercipitur; & à Baldac Sultano captiuus abducitur. Inde inſultare acrius hoſtis: nutare Chriſtianitas: & in certum exitium ruere, ni ſuppoſuiſſent humeros Veneti victâ claſſe Ægyptiâ, & Tyro demum expugnatâ. Hinc rurſus Chriſtianis fiducia, ſed quam per preces, & indicta etiam paruulis ieiunia Deus inuocatus felicem fecit. Quippe ter mille omnino illæſi, innumeram barbarorum multitudinem proculcarunt. Adeo & hoc genus hoſtium, non aliis armis facilius vincitur, quam *oratione*, *& ieiunio*. At non tam facilis de procellâ victoria fuit, nec debuit, ne queramur: ſacramenti diuturnioris impatientiam, & intemperans repetendi patriam deſiderium auerſati fluctus, nauium trecentarum naufragio vindicarunt. Quippe & illi, ſi expediat, Deo militant, vel in Dei milites.

*Clades Chriſtianorum.* 1123

*Veneti vincunt.*

## CAPVT IV.

## *III. In Orientem ſacra Expeditio.*

EX Occidentalium diſceſſu audaciores barbari Edeſſa & finitimis occupatis, in alia imminebant: & inde noua Latinorum expeditio, non minùs famoſa cladibus, quàm prima victoriis. Erat tamen cur feliciora præſumerentur; nam Eugenij III. aſſenſu, & hortatu, ille claſſicum inſonabat 1145 ſpondebatque victoriam, cui prophetæ authoritatem prodigia dabant. Nemo credebat difficiliùs eſſe Bernardo Clarauallenſi *Bernard.*

præſtare victoriem, quàm promittere. Inde cum alij plurimi Cruce inſigniti, tum Conradus II. & Ludouicus VII. ille Germaniæ; Franciæ iſte Rex. Conrado, qui

*Conradus & Ludou. Cruce ſignati.*

prior Conſtantinopolim cum ingenti exercitu acceſſit, Pontificis nomine Legatus aderat Theodorus Portuenſis Cardinalis: Ludouico, qui ſumpto apud Sandioniſium vexillo ſacro (*auriflammam* vocant) breui poſt ſecutus eſt, Guido Florentinus Cardinalis. Imperator, traiecto Boſphoro, dum Iconium tendere ſe putat; in inſidias perductus

*Conradus profligatur. Græcorum perfidia.*

eſt. Ideo ab impiis magis cæſus, quàm victus, cum infelicis exercitus reliquiis ad Regem, qui interea traiecerat, deflectit. Et inde à ſuis, quos ex inultâ clade deſperatio inceſſerat, deſtitutus; Byzantium repetiit.

1147 Ibi Emanuelis Imp. qui per gypſaceos primò panes, tum per viarum indices, exercitum prodiderat, perfidiam diſſimulat, cui vindicandæ non eſt: & veterem non agnoſcit iniuriam, ne nouam accerſat. Tranſactâ hyeme

1148 me Hieroſolymam, non iam vt princeps ad bellum; ſed vt priuatus ad votum contendit. Eò Ludouicus, victis magnâ ſatis clade, fructu non magno, hoſtibus, ad Meandrum,

*Damaſcus fruſtra obſeſſa.*

illicò aduolat, & Damaſcum ſaltem expeditionis operoſæ monumentum eſſe cupit. At & ibi ſcopulus, ex perfidiâ Orientalium Chriſtianorum; qui maluerunt perire à barbaris; quàm ab Occidentalibus ſeruari. Hinc feſtinatus omnium in propria regreſſus; & Chriſtianitas, in Syria conclamata. Nec immeritò periere cæci, qui ſeruari noluerunt.

## CAPVT V.

### *Hieroſolymitanum Regnum amiſſum.*

QVi ſupererant in Oriente Chriſtiani poterant non timere barbaros, quamuis pauci. Quippe non magnopere curandum eſt de numero, vbi Deus, cui pronum eſt infirmiſſimis dare victoriam, & cauſa belli eſt, & finis. At quam pax domeſtica datura palmam erat, prodidit hoſti diſcordia. Iam equidem elanguerat virile robur Imperij, ſub Melizendô Fulconis Turonenſium Comitis, qui Balduinum II. exceperat, viduâ, cum Balduinus filius nondum eſſet imperio maturus. At omnino concidit; cum Balduinus IV. Almerico patri, Balduini III. fratri, ſuffectus, deſperatâ ob lepram ſobole Balduinum V. Guilhelmi Longueſpatæ Eporedienſis filium, hæredem inſtituit. Nam Guido Luſignanus ductâ Sybillâ matre noui Regis, & filiâ defuncti, quam Guilhelmus Longueſpata viduam reliquerat, regimen primò; tùm defuncto Rege, Regnum vt ſponſæ debitum ſibi arrogat. Nec iniuriâ; ni dum ſuum acriùs tuetur, ius diuinum violaſſet. Satiùs erat Raimundum Tripolitanum, quem Balduinus IV. nepoti tutorem dederat, Regnum permittere: quàm Saladinum Ægypti Sultanum in auxilium aduocare. Quid enim fuit illud, niſi ad exturbandum è ſolio æmulum, ſe exauctorare? Nam occaſione non ignauè vſus Barbarus, dum alteri pugnat, ſibi vin-

*Regnum Hieroſol. perit ex diſcordiâ.*

cit; & circumiacentibus latè occupatis vrbibus, Hieroſolymam tandem inuadit, abducto inter alios in captiuitatem ipſo Guidone. Sic tandem conſtitit diſcordiâ & impietate regna concidere, quę Religione & concordiâ ſurrexerant. Heu quibus tunc ſacrilegiis? quibus ludibriis polluta Religio? quando & ipſum triumphale Crucis archetypæ ſignum traductum ignominioſè per compita, & virgis fœdè cæſum eſt. Pœnas in imagine tunc Chriſtus ſubiit, quas olim eſt paſſus in corpore, impietatis humanæ vtrobique victima. Eccleſiis alicubi parcitum eſt, vt atrociùs ſæuiretur, & expiandarum quas polluit, ſpes adimeretur. Nec enim paſſus eſt peragi ſacra ſuis in ditionibus ritu Gręco, niſi vt Chriſtianos à ſe per Chriſtianos auerteret, & Latinos per Græcos. Fuit hoc pretium perfidiæ Principum Byzantinorum. Quippe Iſaacius Comnenus, excluſurum ſe Latinos ab Oriente Saladino promiſit, dum ipſe ſuis in regnis Latina ſacra non permitteret. Pudebat ignauos ab aliis recipi, quæ ipſi perdiderant, & Latina virtus, vt Grecæ ſocordiæ opprobrium erat, ſic incitamentum perfidiæ fuit.

*Hieroſ. capitur ab hoſte.*

1187

*Impietas & perfidia græcorum.*

## CAPVT VI.

## *IV. In Orientem expeditio ſacra.*

LAtinos non ita vſſerũt acceptæ à Gręcis iniurię, vt à vindicandis, quæ Mahometani intulerant propterea ſibi ceſſandum crederent. Sumptum itaque expeditionis nouæ conſilium: nec omiſſum quidpiam,

quod cœptis eſſet promouendis. Milites Europâ totâ acciti. Oblatum militaturis ſacrum Indulgentiarum ſtipendium; vt Chriſti ac Diuorum ſanguinis pretium, ſtimulus eſſet proprij effundendi. In ſumptus indictæ decimæ, ab hoſte dictæ *Saladinæ*, à quibus nec Clerici eximerentur. Ad quid enim meliùs inſumas ſacras opes, quàm contra ſacrorum hoſtes? Adhæc inuocatum de cœlo præſidium per indicta ieiunia, & inhibitum etiam Cardinalium luxum à Gregorio VIII. & Clemente III. quippe nihil ad victoriam de Barbaris efficacius, quàm victoria de vitiis. Currentibus additum calcar ex visâ in aëre Cruce, cum Philippus Franciæ, Henricus Angliæ, Philippus Belgij Principes, & alij Giſortij de bello deliberarent. Chriſtianis Heroibus mirùm quantum inde animorum accreuerit. Diligentiæ tamen laudem Frider. Ænobarbus Pontifici reconciliatus præripuit; qui elapſus, atque adeo clade vltus perfidiam Iſaacij Comneni Imp. Byzantini, centum & quinquaginta armatorum millia in Aſiam traduxit. Introiſſe victoriæ fuit. Statim ad Iconium ductu D. Georgij Martyris, qui Germanos & in acie, & in itinere ſæpè præcedere viſus in equo eſt, bis fuſi barbari, & ad ducenta millia cæſi, quam nuper Conrado furtim victoriam rapuerant, palam reuomuere. Nec proderat annonam corrumpere, vrbes incendere, & quidquid nec ab hoſte timeretur, vt quem vis non poterat, penuria retardaret. Aucta inde magis victori gloria, ad quam non itur meliùs & celeriùs, quàm per

*Indulgentiæ.*

1187

1188

*Æno-Barbarus vincit.*

1190

difficilia. Sed, nefas! ſpes nobiles caſus
*Demergitur.* abrupit. Id ipſi tamen in malis indultum,
vt eo mergeretur in flumine, à quo ægrè
Alexander euaſerat. Nec diu patri ſuperfuit Conradus, qui cæptas ſtrenuè proſecutus victorias Acram peruenerat. Dicas noluiſſe illos Deum de hoſtibus Eccleſiæ planè in Oriente victores, qui hoſtes Eccleſiæ diu in Occidente fuerant. Nec feli-
*Acra capitur.* ciùs Francis & Anglis ceſſit expeditio. Tot laborum pretium Acra vna expugnata fuit. Poſt hæc, quaſi poſt Vrbem vnam nihil ſupereſſet in Oriente, quod vinceretur; Franci primùm rediere. Tùm Germani, ac Auſtriaci Anglis infenſi, à quibus Au-
*Angli Auſtriacis iniuriam faciunt.* ſtriaci captæ ciuitatis decus, disjectis, quæ ad mœnia primi fixerant, ſignis, negatum ſibi nouerant. Non excidit iniuriæ memoria: nec Leopoldus Dux concoquendæ fuit ante vindictam, quam demùm ad libidinem expleuit. Pro ſatisfactione fuit, hoſtem Anglum primò apud Hadriaticum nouiſſe naufragum in reditu, quaſi ſui vltionem fluctibus Deus mandaſſet: tùm dum priuati habitu Germaniam penetrat, illum intercepiſſe. Sic famoſus ille Rex; Æmuli virtutibus parùm æquus; aliquibus de Saladino, poſt Francorum, & Germanorum diſceſſum, victoriis clarus,
1911 qui regnum Hieroſolymitanum Nepoti ſuo Henrico vt pacatum relinqueret, fœdere cum Saladino ad triennium ſtatuto;
*Cyprus Luſinianorum.* Cyprum Inſulam Byzantino Principi ereptam, Guidoni Luſiniano, ex Saladini indulgentià libertati reſtituto conceſſerat.

& ideo Regnum liberalitatis ſuę pretium fecerat : iam nec ſui Dominus ambitionis inconſultæ pœnas luit. Adeo & nulli ſæpè minùs licet impunè iniuriam facere, quàm quibus videntur omnia licere.

## CAPVT VII.

### *V. In Orientem ſacra Expeditio.*

INter illa Orientalium improſpera non defuere tamen, qui de integro tentarent, & qui clades mallent auctas, quàm inultas. Quamquam ſi non hæreamus in cortice, nullus in tam bonâ causâ labor ſine palmâ fuit. Apud Deum ſæpe triumphatur ſine pompâ, eique ad victoriam conatus, pro victoria eſt. Volebant Heroës Latini aſſertum Eccleſiæ Oriens : & hoc ſatis fuit, vt ipſos Deus cœlo mallet. Ne *Conatus* queramur igitur Henricum VI. dum per *irriti.* Ludolphum Auſtriacum, Conradum, Hildeſemenſem præſulem, Archiepiſcopum Moguntinum, & alios vtriuſque ordinis 1197 proceres auſpicatur in Paleſtinâ victorias, Maſſanæ, in ipſo trajiciendi procinctu, obiiſſe : Ad cæleſte præmium ſatis fuit, voluiſſe in terris vincere, & ſæuitiam ac auaritiam, quibus diuinam iracundiam exasperauerat, non ingenti tantùm cordis gemitu expunxiſſe; ſed ampliſſimis inſuper eleemoſinis. Animum tamen à terrenorum affectu prorſus alienum Ciſtertienſes Monachi tunc prodiderunt, vt qui pecuniam ſibi, ad argentea, per totum ordinem, thuribula conficienda legatam reſpuerint, piè rati non eſſe verè ex Deo munera, quæ

etiam ad Dei cultum offerri videntur, ſi ea ex alieno eſſe parta conſtiterit. Nec ſegniùs aliquandiù poſt excitatus eſt Religionis ardor: & in Lateranenſi Concilio decreta ex-
1215 peditio; (Nam qui interea deflexere Byzantium, vt Latinum facerent, ſeorſim memorabuntur) quæ ad certum triumphum deſineret, ſi tam ſtrenuè tractaſſet arma Fridericus II. quàm altè claſſicum cecinerat. Sed ipſi ſatis fuit ventilare, & minari: aliis, vt ex animo agerent, reliquit. Quid verò ſerij, in difficilibus ſuis rebus ſperaſſet ab eo Eccleſia, qui Eccleſiæ non erat, niſi in ſpeciem? Semichriſtiani illius fucus, Chriſtianorum progreſſus non retardaſſet, ſi Duces Auſtriæ & Bauariæ, Niuerni, & Bari Comites, Coloniæ, & Treuerorum
*Confidentia res pereunt.* Præſules, & alij captâ ad Nili oſtium Damietâ, vti victoriâ voluiſſent. Chriſtianos omnes redemerat, & Paleſtinæ Regnum
1218 recuperauerat, victa vna ciuitas, ſi pax iis
1220 ab hoſte petita legibus placuiſſet. Sed dum incertis de Regni Mahometici fine deluſus vaticiniis totum mauult Pelagius Albanenſis, Honorij III. Legatus; & quod habebamus amiſit. Non exciſa ad Cairum Saracenica potentia, vt futurum diuulgabatur,
1221 ſed Chriſtiana. Quippe effractis aggeribus, Nilus ſuperfuſus, ſic obſedit obſidentes, vt
*Caſi Chriſtiani.* in manus hoſtium ſine pugnâ venerint, qui de hoſtibus ex pugnâ, prædam ſperauerant. Adeo temeritatis eſt, incertorum ſpe in diſcrimen certa objicere. Sic ad id vnum videtur Damieta capta, vt reddita libertatem
1228 captis redderet. Cautior, ſi Diis placet, Fri-

dericus II. ne poſſet abuti victoriâ pacem
fecit ante pugnam. Iudæam ob id vnum 1229
videtur profectus, vt in ſpeciem accepto *Frider.*
Regno; Meledino Sultano non rediturum *II. in*
ſe promitteret. Quid verò ſperet in Oriente *ſpeciem*
ab eo Eccleſia, qui tùm etiam in Italiâ Ec- *Rex*
cleſiam vexabat? Propudioſæ pacis ignomi- *Hieruſ.*
niam vltum ibant Theobaldus Rex Nauar- 1238
ræ, Hugo Burgundiæ, Petrus Britanniæ,
Henricus Bari Comites, & alij ex Galliâ *Chriſtiani*
Proceres validis ſuccincti copijs, ad Grego- *victi.*
rij IX. monita, tunc Palæſtinam appulſi;
ni dum Britannus, felicitate improſperâ, 1240
ſolus vicit, effeciſſet vt omnes vincerentur
ad Gazam. Hinc nouæ induciæ annitente
Ricardo Angliæ Principe, qui recèns adue-
nerat. Nobis tunc relicta, velut ad ſola-
tium, Iudęa: nempe, vt quam ipſi per ſe
Saraceni non inuaſerant, per Barbaca- *Chriſtiani*
num Choraſmenorum Principem, è Per- *cæſi.*
ſide à Tartaris pulſum occuparent cæſis ite-
rum, vel captis omnibus fermè Chriſtianis, 1244
quos ad præſidium Ordinum militarium
Magiſtri exciuerant. Obſtitit Ioppe tamen:
vel ſuo Duce Gualtero de Brienno capto,
capi non potuit. Maluit Heros nobilis, du-
rare in pœnis, quas tùm ad mœnia, vt *Conſtantia.*
triſti ſpectaculo flecterentur Incolæ, tùm
in Ægypto, ad immaniſſimam vſque mor-
tem pertulit, quàm ſuam libertatem emere,
vrbis captiuitate.

## CAPVT VIII.

## *Byzantinum Imperium Francis aſſertum & ademptum.*

BAlduinus Belga, Ludouicus Allobrox, Bonifacius Eporregianus, Henricus Dandulus Venetiarum Dux, & alii proceres, cooptato in Ducem Bonifacio, ſacræ militiæ nomen dederant; vt Chriſtianorum in Syriâ clades vlciſcerentur: Cum Deus per ipſos Græcorum in Thraciâ perfidiam vltam maluit. Itaque dum claſſem, quâ Syriam traiiciant, Venetiis expectant;
1201 & Iaderam, quæ à Venetis ad Belum Hungariæ Regem defecerat, intereà ſubigunt, aduocantur in Græciam ab Alexio Angelo, cuius patrem Iſaacium excæcauerat, & è ſolio deturbauerat, patruus Alexius. Partem voti eſſe, adeſſe miſeris, rati proceres, exorari ſe ſinunt, tantò facilius; quòd & in Græciâ Eccleſiæ Romanæ transfugas vlturi eſſent, & compoſito ſchiſmate fidem promoturi. Iam Cretam igitur inter eundum captam Bonifacio dederat Alexius: iamque aliis Ægei ſubactis Inſulis, ventum erat ad Boſphorum; cum intra mœnia retruſo Theodoro Laſcari, Tyranni genero,
1203 terra marique per biduum impugnata ciuitas, tandem expugnatur, & diripitur. Quis credat eius famæ, ac potentię Vrbem, à tam paucis (non vltra viginti millia erant,) tam breui tempore ſubactam fuiſſe? Sed fruſtrà humanæ potentię fiditur, cum Deus ex aduerſo eſt. Tyranno profugo; ty-

*Conſtantinop. expugnata.*

rãnidis reliquias victores exſcindebant; cum ecce Nicolaus Canabus vix dum benè repoſitos Auguſtos exturbat. In ſcenam quoque prodiit Alexius Ducas, ex iunctis & eminentibus ſuperciliis, *Murtzuphlus*. vt ſpecie auxilii Alexio Iuniori ſtrangulato, 1204
( Iſaacius pater interea exceſſerat ) purpuram Protoueſtiarius ſibi indueret. Ad nouas tragædias, ad Vrbem Latini redeunt; vt prioris Victoriæ decus, per nouam ſibi aſſerant. Nec inani fiduciâ: nam Murzuphlo poſt cladem, ex ſcelerum conſcientiâ, extorri: & duobus Theodoris, Laſcari, & Ducâ, intra mœnia de imperio, quod neutrius futurum erat, ſtolidè concertantibus; expugnatur tandem à duobus menſibus obſeſſa ciuitas: & fœdiùs quàm ante diripitur. Grecis non vltra creditum, ne fierent iterùm proditores. Viſum meliùs, Balduinum Belgam ornare purpurâ, qui promoto in Patriarcham Thomâ Mauroceno, Græcam Eccleſiam Latinæ iungeret, & diuulſum olim membrum ſuo corpori ſociaret. Irroboratum ibat Græca potentia, ſi qui diu malè præfuerant, ſubeſſe potuiſſent. Sed maluerunt inter alios Theodorus Laſcaris, & Alexius Comnenus, Niceæ, & Trapezunte nouæ tyrannidis excitare arces, quàm Latinis iungi contra Mahometanos. Laſcaris ex Irenè filiâ Ioanni Ducę nuptâ nepotem cognominem, Tutor ei à patre morituro datus Michaël Palæologus oppreſſit, ut imperium inuaderet; & Byzantium demùm per inſidias interciperet, Balduino II. qui à primo quintus regnabat, in

*Relapſa in tyrannidem.*

*Rurſum expugnacur.*

*Noua Imperia excitata.*

1259

1260

*Paleologus Conſtantinop recipit.* fugam acto. Adeptam ſcelere potentiam; vt juſtam, & perennem Tyrannus faceret, pronum ſe ad Romanam fidem per Legatos ad Vrbanum I V. profeſſus; eam de-
1263 mùm Lugduni in Synnodo Oecumenicà am-
1274 plexus eſt.

## CAPVT IX.

## *VI. In Orientem ſacra Expeditio.*

REbus Eccleſiæ interea Oriente toto afflictis deſtinatur ſubſidium D. Ludouicus in Lugdunenſi Concilio. Pium Regem graui morbo premi tunc contigit, vt poſt
1244 votum expeditionis ſuſcipiendę conualeſ-
1245 cens, barbarorum excidio animoſiùs incum-
*Occaſio expeditionis.* beret. Vt ſe ex nobili æquitatis ſpecimine dignum redderet, qui de Barbaris triumpharet, antequam itineri ſe daret, vbiuis per Concionatores ſignificatum voluit, paratum ſe reſarcire, ſi quid cui damni à ſuis miniſtris illatum eſſet, idque non ad inanem ſpeciem, ſed ex intimo juſtitię inſtinctu dictum fuiſſe effectus vbique promiſſa ſecutus monſtrauit. His & ſimilibus Chriſtianæ virtutis operibus præmunitus, iter aggreſſus eſt; & in Ægyptum cum fratribus, & magno Procerum comitatu, claſſe delatus; hoſtes primùm à litore armis, tum à Damietà terrore nominis abegit. Nec barbaris profuit ſalutem quæſiuiſſe fugà; niſi vt non diu poſt iterum ad Maſſorem Vrbem fœdè
1249 cæſi, ignominiam clade obruerent. Fuiſſent illæ ſine luctu victoriæ; ni Robertus Arteſius, Regis frater dum hoſtem intemperan-

tiùs vrget, cum delecto nobilium, & Templariorum numero, in inſidias incurriſſet. Fuit hoc alternantis fortunæ, & in peiùs mutatæ triſte præſagium. Nam interim, ſeu ex aggeſtis cadaueribus; ſeu ex circumfuſis latè paludibus 1250
efflata lues inuaſit exercitum; & quem non mare turbatum ventis, non hoſtis armatus ferro perculerat, miſerè confecit. Non ſibi de Victoriâ Melechſala Sultanus placeat: Non ipſe nos armis domuit, ſed Deus peſte. Cæſi igitur paſſim cum gregariis nobiles. Nec ipſi, nefas! Regi; eiuſque captiuis fratribus Carolo Andegauenſi, & Alfonſo Pictauienſi parcitum eſſet; niſi quam humanitas veniam datura non erat, auaritia, & ſpes recipiendi pro libertate pretij promiſiſſet. Miraculo tum fuit Herois Chriſtiani fiducia; in alienâ manu ſui ſemper arbitrij fuit; tam ſubitas fortunæ vices nihil mutatus excepit, & qui ſui terrore victor Saracenos perculerat, admiratione tantà captiuus defixit; vt cæſo interea Sultano, ipſum ſibi Principem voluerint. O Regem verè maiorem ex caſu, de quo tam æquè, vel iniquos judices, virtutum fulgor ſentire compulit. Comportatâ interea pecuniarum ſummâ, & redditâ, vt conuenerat, Damieta, dimiſſus eſt captiuus nobilis & in Palæſtinam deportatus; vt quatenus Eccleſias inſtaurare per victorias datum non eſt; earum reliquias ad quadriennium per pietatis exempla ſuſtineret. Nec ad ſuos poſtea rediiſſe viſus eſt; niſi vt arma rurſum ad Barbaros pararet. Itaque ingenti militum

*Peſtis Chriſtianos affligit.*

*Sed magis hoſtis Rex Captiuus.*

ſubnixus numero; vnà cum tribus filiis, & fratre Alfonſo, & aliis deflexit in Affricam; & captâ Carthagine, fugatiſque paſſim barbaris, iam Tuneto imminebat; cum Deo ad eius gloriam ſatius viſum, illum cum peſte committere, quàm cum hoſte. Vt glorioſiùs triumpharet, ſæpiùs eum vincere voluit: ſic Triſtanni filij mortem, ſic multorum Procerum paſſus fatum, ex morbi ſæuitiâ, vltimæ victoriæ proluſit. Quàm illuſtris illa! nam media inter tot ſuorum funera, iam viuum ipſe funus, durauit impauidus. Eadem ſemper illi non animi ſolùm, ſed frontis etiam firmitas fuit, donec in terris tot paſſus moleſtias, & toties victor, vel dum cecidit, euolauit ad cœlos, vt ſine hoſtium metu perenniter triumpharet. Conciderat animus Francis ex Regis caſu, niſi quo die cœlos ipſe, Carolus eius frater aduenilſet ad caſtra. Senſere tunc barbari fœdè profligati, ſupereſſe poſt Regem, à quibus vincerentur. Maluere itaque tributo promiſſo, & captiuis redditis, pacem emere, quàm hoſtem fortiorem ex cladibus apud ſe diutiùs pati.

*D. Ludou. in Affrica.* 1270

*Peſte moritur.*

## CAPVT X.

### *De Paſtorellis hæreticis.*

EX D. Ludouici in Oriente caſu intremuit in Occidente Francia, mirùm quòd ſtare potuerit, ſuo non nixa fulcro, cum inſuper illam *Paſtorelli* concuſſerint. Horum author Iacobus quidam Hungarus,

Ciſtercienſium transfuga, dum Eccleſiæ ſe vindicem ſpondet, & captiui Regis paſſim crepat auxilium, perditos quoſque in ſuum cœtum legit. Ei pro teſſera fuit Agnus vexillis impreſſus. Inde *Paſtorelli.* Inter eos, (ne parùm ſacros crederes,) fuere Magiſtri, qui ſe intromitterent in ſacra, & Epiſcopalia attrectarent. Eos Galliam aliquandiu graſſatos oppreſſerunt apud Biturigas indigenæ. Sic tamen vt aliquantò poſt non minori fremitu exurgerent, & Gallias iterum diuexarent. In Iudæos præſertim explicuere rabiem. Quaſi quibus non dabatur Saracenos in Oriente exſcindere, in quoſcumque Chriſti hoſtes, licitum illis eſſet, in Occidente ſæuire. At qui in plectendis pertinacibus juſtitiæ diuinæ inſtrumenti fuerant: cæſi demùm à præfectis Regiis, eiuſdem, ſuo ipſi ordine, fuerunt exemplum. 1250

## CAPVT XI.

### *Anacephalæoſis de fructu Orientalium expeditionum.*

MAlum ſemper non eſt euenire mala, per quæ bonorum in terris maximum, virtus & naſcitur ſæpe, & creſcit. Id ſi vſpiam, ex Mahometanorum in Oriente progreſſibus probatum eſt. Per eos vt ipſi ſibi ad imperia, ſic Chriſtianis ad pietatem, & virtutem, quæ ſupra imperia eſt, aperuere aditum. Documento ſunt, inter alia, Hoſpitalarij, Templarij, & Teutonici Equites, de quibus, vt & de aliis quæ

cladibus lenimento eſſe poſſint, hic ordine memorandum eſt.

## CAPVT XII.

## *De Equitibus Hoſpitalariis.*

HOſpitalarios peperit Amalphitanorum Mercatorum pia liberalitas. Nam hoſpitio peregrinis, quibus loca illa ſacra inuiſendi fiebat à Saracenis copia, excipiendis magnificè conſtructo: quod ipſi voluerant eſſe peregrinantium diuerſorium, Deus voluit vt eſſet gymnaſium bellatorum. Siquidem quibus hoſpitij cura erat, poſt noſtrorum victorias, opibus aucti, noluerunt excipiendis hoſpitibus toti incumbere, qui ſe jam eſſe crederent, & vindicandis. Hinc relictâ ignobilioribus hoſpitij curâ, maluerunt arma nobiles, ex Gaſtoni, Girardi, Raimundi, & aliorum ex Gallia Procerum conſilio: & Innocentij II. Pont. aſſenſu. Fidem ſuperat, quæ pauci ſæpe aduerſus ingentem Barbarorum multitudinem fortitudinis miracula ediderint. Quippe ad victoriam non valdè requiras numerum; vbi plurimùm virtutis eſt. Nec Oriente pulſi, à fatigandis ſubindè impiis deſtiterunt. A terris tranſgreſſi ad maria, vt omnium locorum virtutem eſſe probarent. Hinc expugnata Rhodos, & Amedei IV. Sabaudiæ Comitis auxilio ſtrenuè propugnata. De illâ ſibi adeo vtrique placuere victoriâ, vt Rhodij poſthac equites dici voluerint: cum anteà illis, ex hoſpitio Hieroſolymæ D. Ioanni ſacro, nomen eſſet. Co-

*Quæ orti occaſione.* *Rhodon tenent.* 1309

mes verò nomen non mutauit, ſed auxit, aſſumpto *Magni* cognomine, ac decus inde ſtemmati quæſiuit, appictà *Cruce candidà*, & circumpoſitis ad oram initialibus his litteris F. E. R. T. quæ *fortitudinem eius Rhodum tenuiſſe* commonefacerent. Eà tandem inſulà à Solymanno Turcarum Principe excuſſi, Melitem ſeceſſere: Vt inde maiori ſemper animo laceſſentes impios, documento eſsent, è loco pelli poſſe fortes viros, vinci verò non poſse. 1522 *Nunc Melitem.*

## CAPVT XIII.

## *De Equitibus Templariis & Teutonicis.*

PEr eadem tempora inſtituti Hieroſolymis Templarij ex Honorij II. Pont. in Trecenſi Concilio ſuffragio, & Ptolemaide Teutonici, aſſenſu Celeſtini III. per omnia Hoſpitalarijs ſimiles, niſi quod non Crucem ex Albo, ſed ex rubro *Templarij*, ex nigro *Teutonici*, in profeſſionis ſymbolum, veſti aſſuerent: & Teutonici Germanorum præſertim miniſterio addiicerentur: Templarij omnium, & Templi cuſtodiæ; vndè ipſis nomen. Per multas vtrique de Barbaris victorias ſe conſignauere faſtis: & Templarij ſe dignos præſtiterant, quorum vitijs ignoſceretur, in virtutum gratiam. Philippo tamen Pulchro Franciæ Regi datum eſt à Clemente V. Pont. in Viennenſi Concilio, vt & innocentes exſcinderentur ob reorum ſcelera; vt qui Eccleſiæ vltra 1118 *Templarij.* 1309

*Extincti.* non proderant virtutum actis, prodeſſent exemplo pœnæ; & opes quibus diu abuſi fuerant ad flagitia, relinquerentur alijs,qui *Tantonici.* eis vterentur ad virtutum decora. *Teutonici* prævalentibus in Aſiâ Turcis, in Germaniam deduxere Colonias, vt fidem, quam in Oriente tueri non poterant, Occidentem verſus & Septentrionem protenderent. Hinc Boruſſos, Liuonienſes, & alios ad Boreã populos vi domitos fidei legibus imbui curant. Cum *Liuonienſibus* equitibus, quos ad fidei præſidium Albertus Rigenſis gentis illius Apoſtolus inſtituit, per ſocietatem in perpetuum initam, par-
1205 titi victorias ſunt. Durauit Imperium do-
*Linonienſes.* nec virtus. At vbi pro æquitate crudelitas, pro juſtitiâ injuria inualuit, collapſa potentia eſt. Quippe non ſtat ædificium, cui fundamenta ſubduxeris. Hinc populo-
1454 rum ab Ordinis Magiſtris ad Polonos defectio: inde bellum, & bello pax non melior, per quam ditionis pars in priſcam tyrannidem rediit, vt aliquantò poſt, grauiori multo ruinâ, in Lutheranam hæreſim laberetur.

## CAPVT XIV.

### *De fide Latina ad Armenos diffuſa.*

AD Armenos etiam ſtratum Latinis iter à Turcis: quippe dum ſua vel recipiunt, vel luctantur ne perdant, in Syriâ alienos ſibi ſubdunt. Et inde, vt fit, ſuis in damnis nouum Eccleſiæ lucrum. Ce-

terum Armenos ſobolem fuiſſe Iacobi, qui ex diſciplinâ Seueri Acephali Iacobitas quoque condidit, proditum eſt. Ex iis prodiiſſe Georgianos; qui à D. Georgio militum patrono amauere cognomen, viri militares, ipsâ in dogmatum disparitate, nonnulla ſimilitudo probat. Ex Arrij, Apollinaris, Cnaphei, & aliorum deliriis ita ſua conflauere; vt ritus plures Græcanicos, & Iudaicos immiſcuerint: & ſic Græcorum & Latinorum veluti medij, tertiam quaſi condiderunt Eccleſiam, cum aliis de amplitudine certantem. Quis dubitet, cum eorum Patriarcha *Catholicus*, ſeu vniuerſalis dictus in Armeniâ, Perſide, Mediâ & aliis, pluſquàm mille Præſulibus jura daret? O meſſem dignam; quam Operarii Apoſtolci in horrea Chriſti colligerent! Conatus id quidem Nicolaus Patriarcha Byzantinus: at euentu irrito. Indigni quippe ad Eccleſiæ cenſum alios reuocare; cum qua ipſi non planè conſentiunt. Nec à S. Nicone ea in ſtadio deſudatum multò feliciùs. Quippe Latinis præconibus id gloriæ Deus reſeruatum voluerat. Expreſſit itaque ab eorum Generali in Synodo Hieroſolymitanà Albericus Innocentii II. Legatus, vt vnionem Eccleſiæ ſuæ cum Latinà promitteret: atque adeo exequeretur, Eugenio III. non diu poſt, per Legatos, delato obſequio. Sic mirabili Dei conſilio, eum in ſacris principem nouus quaſi orbis tum agnouit; cum illum nec Romæ patiebantur regnare ciues; & multis ex prouinciis Mahometani excluſerant. De cœlo eſſe

*Armeni Haretici qui.*

917

961

1136

*Latinis conſentiunt.*

nouum fœdus miraculo conſtitit, quando
*Prodigiũ.* per fulgorem inſolitum,qui ad Eugenij ſacra
Viterbij facientis caput emicuit; quam
diuina lux, eà die, Orientis tenebras
diſcuſſiſſet; Deus oſtendit. Curatum etiam
ab Alexandro III. per Theorianum legatum, vt firmiori nexu, ſocietas coaleſ-
1170 ceret. Nec dubitatum quin ea eſſet ex
animo; vbi Princeps eorum Leo nomen Regium à Romano Pont. Cæleſt. III.
adeptus; eius quoque nomine à Moguntino
Præſule coronari voluit. Maiori reuerentiæ ſuam dignitatem ſubditis fore ratus, ſi
1197 eam tamquam de manu eius caperet, quem
Deus ſupra mortales omnes reuerendum
voluit.

## CAPVT XV.

## *De ſacra Æde Lauretana in Italiam tranſlata.*

NEc modicum ex Ædis Lauretanæ miraculo ſolatium habuimus. Ex eâ cladium lenimentum ſuppetere Deus voluit: vbi peccati Pharmacum olim miſcuerat. Nec Araffum Ægypti Sultanũ, Ptolemaida, Tyro, & aliis quæ nobis reſtabant in Syriâ expugnatis, potitum planè victoriâ dicas; cum quod multas ſupra prouincias eſt nobis ceſſerit. Diuinum illud ſacrarium, in quo tellus habet, quod cœlo opponat; vt quod hoſpitio Maria, Angelus nuncio, Deus contubernio, cœlum quoddam quaſi fecerant: poſt ſublatum ad ſupera Chriſtum templi vſum ab Apoſtolis acceperat: quippe propha-

prophanorum violari commercio non debuit; quod Chriſtus & Maria incolatu ſacrauerant. Eò Chriſtiani ex orbe toto confluere ſolebant; vt ſacris in laribus diuinos hoſpites venerati, Redemptionis humanæ memoriam, non ſine gratitudinis ſenſu, recolerent. Deo placuit humana Religio; nec eam, vel interclusò in Orientem aditu, voluit interrumpi; miraculo, cui ſola facientis potentia fidem adſtruat. Nam non iam fabuloſo cantu lapides ad mœnia; ſed efficaci manu totum ædificium in Occidentem 1291
tranſtulit. Conſedit illud primùm in Dalmatià, ad oppidum Flumen: deinde quaſi ex Barbarorum eò quondam venturorum 1294
præſagio, tutiora quæreret; in Picenum tranſmiſit: vt quando in manus impiorum Terra ſancta venerat, in eius locū migraſſe Italiam cognoſceremus. Felix Laureta! quam cœlum dignam vel inuenit, vel fecit cœleſti domicilio. Inde quidem iterum haud procul ſedem mutauit; ſic tamen vt in amoris indicium, à primâ ſemper nomen amauerit.

## CAPVT XVI.

### *Pontifices duodecimi ſæculi.*

PAſchalis II. antea Rainerius, ex Cluniacenſi Monacho Cardinalis, Vrbano *Paſchal.* CLXV.
inuitus ſuffectus eſt. E ſupremâ illâ ſede 1099
totius orbis Eccleſias animo adhuc excel- *12. Aug.*
ſiore complexus, in Germaniâ aduerſus perduelles vices ſuas commiſit Gebehardo Conſtantienſi; Eccleſias in Oriente victis

Mahometanis conſtitutas per Mauritium Cardinalem Portuenſem Legatum ſuum compoſuit. Et Pictauis in Synodo per Legatum in Schiſmaticos renouari curauit anathema; & Philippum Regem pellicatus cum Berthâ publicè reum, ſacris moueri. Londini etiam in Synodo pro Eccleſiasticâ libertate aduerſus Laïcorum inueſtituras decreta, pro quibus Anſelmus Cantuarienſis multa pertulerat, confirmari curauit. Quod ipſe Romæ etiam ſtrenuè preſtitit in Henricum Germaniæ Regem dicto anathemate. Ad hoc verò cum & Proceres & Henricus filius rebellaſſent, nec ab Apoſtolicis Legatis ſimulatâ pœnitentiâ veniam potuiſſet impetrare inconſulto Pontifice, Imperij inſignia filio ceſſit, donec ſibi poſt veniam redderentur. Sed eo interea Leodij defuncto, Vvaſtallæ ad Padum receptis in gratiam, Schiſmaticis, niſi ſi quos ſimonia apertiùs intruſiſſet, ius regni Henrico Iuniori confirmatum eſt, & Laïcæ preſulatuum Inueſtituræ iterum damnatæ. Idem ſtatutum Pontifex voluit in Trecenſi Concilio, atque etiam in Beneuentano, vbi & ſub abdicationis pœnâ Alfonſi Arrogoniæ Regis cum Vrracâ conſanguineâ inceſtuoſum coniugium diſſolui iuſſit. Interea verò Henricus Rex Romam profectus, ius Inueſtituræ modo & exitu alibi memorato à deluſo captiuoque Pontifice extorquet. Inde noua in Eccleſiâ ſcandala, & ingens vbiuis aduerſus Pontificem obmurmuratio. Nec enim benè potuit ex vi factâ ſibi, tyranni-

*Regem ſacris mouet ob pellicatum.*

*Inueſtituras laicorum damnat.*

que periurio præuaricationis alicuius culpam eluere, cum attrociſſima quæque ante pati oportuerit,, quàm vel latum vnguem ab officio dimoueri. cætera vide alibi. Piiſſimè obijt. Anno Pontificatus 18. m. 5. d. 11. *L. 7. c. 6.* 1118 *21. Ian.*

*Gelaſius II.* ante Ioannes de Caietâ Caſſinenſis Monachus & Cardinalis, Paſchali, ſtatim ſuffectus, cum ad comitia Henricus qui tum forte Pataùii erat accurreret, intruderetque in Antipapam Burdinum ſub Gregorii nomine euaſit in Campaniam: & cum eiecto Henrico, Romę ob Frangipanum ferociam, tutò eſſe non poſſet, effugit in Gallias, vbi cum indicto Viennæ Concilio incidiſſet in morbum, Cluniaci piiſſimè obiit anno 1. d. 4. *Gelaſ. II.* CLXVI. *Schiſma.* 1119 *29. Ianu.*

*Calliſtus II.* antea Vuido Cardin. & Archiepiſ. Viennenſis, Legatione Pontificiâ per gallias diu ſtrenuè perfunctus, & ex Burgundionum principum ſtirpe ortus, Gelaſio ſtatim ſuffectus, & à Clero Romano poſtea confirmatus, in Synodo Rhemenſi 430. præſulum cum Henricus per Legatos commonitus impio iure non cederet, ſacris motus iterum eſt, nec iis parcitum, qui quacumque ſpecie à laïcis ſe ad ſacra inueſtiri paterentur. Inde ad Viennenſem præſulem ſupra omnes fermè gallias primatu collato, Romam proficiſcitur, & Duci Vvillelmo aſſertà Calabrià, cum ad expugnandum ſutrium, quò ſe Burdinus receperat, euentu alibi expoſito, mouet. Hinc in Romano 300. præſulum cætu, actum *Calliſt. II.* CLXVII. *Henricꝰ damnat.* *Vienna primatus.*

inter alia de pace, quam Henricus ante, agente imprimis Adalberto Moguntino an Vvicerburgenſibus promiſerat, miſſis ad hoc Romam, ex illo cætu Epiſcopo Spirenſi, & Abbate Fuldenſi. Legatus itaque in germaniam Lambertus Oſtien-
*L. 7. c. 6.* ſis Cardin. diſſidium planè compoſuit, vt alibi enarratum eſt. Eximio illo impleto opere, & per Ottonem Bambergenſem
1124 Epiſcopum Pomeraniâ Eccleſiæ legibus ad-
19 *Dec.* dictâ obiit, an. 5. m. 10. d.

1124 Cum poſt Calliſti obitum, promoto ad
21. *Dec.* ſolium Theobaldo ſub Celeſtini nomine, hymnus *Te Deum*, ad gratiarum actionem caneretur. Robertus Frangipanis acclamauit Lambertum Cardinalem
CLXVIII. Oſtienſem; cui, diſſidio poſtea compoſito,
*Honor. II.* ac Theobaldo aſſenſiente;collata ritè ſuffragia ſunt, ſub *Honorii II.* nomine. Præmonſtratenſem ordinem ipſe per ſe Romæ, quò Norbertus inſtitutor ſe contulerat, approbauit; Templariorum verò per Legatum in Trecenſi Concilio, præſcriptâ ipſis à Bernardo Clarauallenſi, qui aderat, religioſè viuendi regulâ. Cœnobium Cluniacenſe diro ſchiſmate ita diuiſum, vt etiam ad arma veniretur, priſtinæ paci ac diſciplinæ per Legatos reſtituit. Rogerium Apulum ſuo iniuſſu Ducis nomen vſurpantem, ditionemque Pontificiam vexantem cenſuris
1130 ac armis ad obſequium adduxit. Obijt anno
14 *Febr.* Pontificatus 5. m. 1. d. 17.

*Innoc. II.* *Innocent. II.* antea Gregorius Cardin.
169 de ſtirpe Papareſiâ, à quâ Matheos ortos
CLXIX. dicunt, Honorio necdum ſepulto ritè ſuffe-

ctus, intruſo à Schiſmaticis Petro Leonis, *Schiſma.*
ſub Anacleti II. nomine, ſe recepit in Gallias; euentu alibi memorato. Leodij à Lo- *L. 7. c 18.*
thario ſubſidij ſpe acceptâ, nec ei, vt petebat, Inueſtiturarum promiſſo vllo facto, cum Bernardus ſacrilegum propoſitum mirâ libertate coargueret; in Italiam iter inſtituit. In tranſitu Genuenſium præſulem *Genua*
Metropolitam creaſſe dicitur. Romæ Lo- *Metropolis.*
tharium cuius auxilio præualuerat, in Imperatorem inunxit, ac per eum poſtea Rogerium Siculum repreſſit: ac tandem modo alibi dicto, pax Eccleſiæ reſtituta eſt. Cum interea Pontifex. Abailardi & Arnaldi Brixiani inſana placita proſcriberet, & per Iuonem Cardinalem Legatum Ludouicum Galliæ Regem, vnà cum regno interdicto ſubijceret; quòd quem Pontifex Brituricenſem Epiſcopũ conſecraſſet Rex abigeret, ſuo aſſenſu non expectato conſecrationem ritè fieri non potuiſſe cauſatus. Tum à Romanis antiquæ Reipublicæ reſtaurationem 1143.
molientibus multa paſſus, quod Tiburtinos 24. *Sept.*
exſcindere noluiſſet. Obijt cum ſediſſet annos 13. m. 7.

*Celeſtinus II.* antea Guido de Caſtello *Celeſt. II.*
Cardin. Pontificatu poſt Innocentium men- *CLXX.*
ſes 5. d. 13. adminiſtrato, locum fecit obiens *Lucius II.*
*Lucio II.* antea Gerardo Cardin. qui *CLXXI.*
inter ciuiles Romæ motus, quos Arnaldus Brixianus excitabat, poſt m. 11. d. 14. obiens *Eugen. III*
locum vacuum reliquit *Eugenio III.* qui *CLXXII.*
ante Bernardus, cognominis Claraualleſis diſcipulus, & Cœnobij S. Anaſtaſij Abbas. Quo euentu cum Romanis dominationem

politicam, æquè ac publica vectigalia ſibi
l.7.c.21. vendicantibus contenderit, alibi dictum eſt.
Inter hæc diſſidia, ei ſe per Legatum ſubdidit Armenus Metropolita, iure *Catholicus* nuncupatus; vt qui latè per Orientem ſupra mille præſules ſacrum imperium exerceat. Nimirùm vt iuxta Chriſti vaticinium, *extranei cum Abraham accubituri venirent, quando filij regni eiiciebantur in tenebras.* Gallias ob Romana diſſidia digreſſus, expeditionem ſacram promouit in Syriam, claſſicum inſonante D. Bernardo, ac ſua verba prodigiis confirmante. Improſperè tamen bellum ceſſit, ad paratam enim ſacris militibus cæleſtem palmam, ſatis fuit omnia, quæ ſacræ in terris victoriæ reportandæ videbantur idonea comparaſſe. Rhemis in Synodo Gilberti Porretani, Eonis, Henrici, & aliorum impia placita proſcripſit; ac Bernardi imprimis miniſterio paſſim profligauit. Angliam interdicto ſubiecit, quod Stephanus Rex Theobaldum Cantuarienſem Epiſcopum Rhemos ad Synodum, ſine ipſius veniâ digreſſum impiè vexaret. Bernardo, vt eximios illos Pontificum ad Apoſtolicam normam gubernio componendo perutiles de conſideratione libros ſcriberet, author fuit. Demùm compoſitâ cum Romanis pace obijt anno Pontificatus 8. m. 4. d. 13.

*Expeditio ſacra.* *Hereticos damnat.* 1153 8. *Iul.*

*Anaſt. IV* CLXXIII *Anaſtaſius IV.* antea Conradus Canonicus regularis Eccleſiâ non ſine facilitatis nimiæ vitio adminiſtratâ, annum 1. m. 4. d. 14.

Locum fecit *Hadriano IV.* qui ante Ni-

colaus, ex mendico Anglo ſeruus cænobij apud Arelatem; tum monachus, deinde Abbas, poſtea præſul Albanenſis, & Legatus à latere in Noruegiam, ſupremus tandem Pontifex. Qua ratione Romanos perduelles exarmauerit, & Guillelmum Siciliæ Regem ad obſequium egerit, alibi enarraui. Fridericum Ænobarbum non ante ad pacis oſculum admiſit, quàm ipſi ex more ſtatoris officium exhibuiſſet; ac Arnaldo Brixiano tradito; aduerſus Romanos auxilium ſibi promiſiſſet. Eum poſtea ob iniuriam Epiſcopo Londinenſi in Germaniâ illatam literis paulo acrioribus exacerbatum; alijs mitioribus lenire, ac in obſequio continere ſtuduit. Sed cum Regalium ſpecie deceſſorum pro inueſtituris ſacrilegia redintegrare videretur, recrudeſcebant diſſidia, quæ in apertum ſchiſma eruperunt, poſt Hadrianum interea piiſſimè defunctum, cum ſediſſet an. 4. m. 8. d. 24. propinquis ne obolo quidem ditioribus relictis, & matri adhuc ſuperſtiti ex Cantuarienſis Eccleſiæ eleemoſinis victu prouiſo. Profitebatur ſæpe ex infimo ſe gradu conſcendiſſe ad ſummum, ſed nullibi tranquillitatis aliquid expertum eſſe, ac primæ conditionis deſiderio teneri.

[Margin: *Hadr. IV. CLXXIV* — *L. 7. c. 12.* — *1159* — *1. Sept.* — *Moderatio.*]

*Alexandro VII.* qui antea Rolandus Cardin. ad ſacras Infulas ritè promoto, ei opponitur Octauianus ſub nomine Victoris, qui Romæ præualens Imperatoris auxilio Alexandrum in fugam egit, euentu alibi memorato. In Turonenſi Concilio anathemate in ſchiſmaticos redintegrato, & Albigenſi-

[Margin: *Alex III. CLXXV.* — *1154* — *4. Sept.* — *Schiſma.* — *L. 7. c. 7.*]

*Thomas Cantuar.* bus hæreſeos damnatis, Thomæ Cantuarienſis Eccleſiaſticam libertatem aduerſus poteſtatem laicam defendentis cauſa, Pontificali ſubſidio ſuffulta eſt, & poſtea emendato ſcandalo, quod aduerſus Thomam exulem, ad iniqua Regis poſtulata nonnihil acquieſcens pepererat, firmius ſtabilita; Ipſeque tandem Thomas impiè eamdem ob cauſam cæſus, Diuis publicè adſcriptus.

*Anti-papa.* Octauiano autem interea defuncto, cui Guido Cremenſis, ſub *Paſchalis* nomine ſuffectus eſt, vt iſti poſtea Ioannes Abbas Strumenſis, ſub nomine *Calliſti*, Romam cum plauſu exceptus eſt. *Imperatorem abdicat.* Inde in Calabriam profugus Fridericũ Imperio abdicat. Tum poſt alia, quæ alibi dicta ſunt, pace initâ Concilium generale Romæ celebrat. In eo ſtatutis quæ auertendo poſt hac ſchiſmati conducere viſa ſunt, in Albigenſes dictum eſt anathema. Tum collato Regio nomine Luſitaniæ Duci, & Rege Scotiæ ob intruſum in Eccleſiam Santandreanum Epiſcopum, contra canonicè electum, ac in contumaciâ perſiſtente, vnà cum Regno ſacris interdicto, & expeditione ſacrâ aduerſus Saladinum promotâ, coactoque Gaufredo Regis

1181 Angliæ filio Epiſcopatum abdicare, cuius

*17. Aug.* non implebat officium. Obijt anno Pontificatus ſtrenuiſſimè adminiſtrati 22. decem diebus minus.

*Luc. III.* *Lucius III.* antea Vbaldus Canonicus

CLXXVI Regularis & Oſtienſis preſul. Scotiæ Regi

1182 & Regno ſacra reſtituit. Romanos à quibus

*29. Aug.* iniuriam paſſus fuerat, vel vi cohibuit, vel manſuetudine mitigauit, ac vbi Veronæ

cum Imperatore de habendo pro decidendis controuerſiis, & promouendá expeditione in Syriam Concilio colloqueretur, abreptus eſt an. 4. m. 2. d. 25. 1185 25. Nou.

*Vrbanus III.* antea Lambertus Cribellus Mediolanenſis & ciuis & præſul, Lucio ſtatim ſuffectus, cum à Friderico Pontificia iura violari non ferret, nec Mathildis patrimonium, præſulum morientium ſpolia, & Vacantium Abbatiarum reditus, quæ Imperator ſibi attribuebat, obtineret, iam ſe accingebat ad anathema. Ad hoc autem, quia Veronenſes, ne id ipſi injuriæ apud ſe fieret, rogauerunt, Ferrariam conceſſit. Sed ante ipſe abreptus è viuis eſt, quàm ſacrilegum à ſacris amoueret. Obijt autem an. 1. m. 10. d. 25. regiminis. *Vrb. III.* CLXXVII. 1187 20. Octob.

*Gregorius VIII.* antea Albertus Cardin. ſtatim ab electione Legatis ad principes miſſis, indictiſque vbiuis orationibus, & ieiuniis ſacræ in Orientem expeditioni promouendæ ſe totum dedit. At Piſis interea altero ab electione menſe abreptus perficiendi operis gloriam *Clementi III.* reliquit. Iſtò rem impigrè promouente, & Imperator & Reges Franciæ ac Angliæ profecti tandem ſunt exitu alibi memorato. Cum interea Pontifex obiens an. Pontificatus 3. m. 2. d. 26. locum fecit. *Gregor. VIII.* CLXXVIII. *Clem. III.* CLXXIX. *L. 8. c. 6.* 1191 10. Apr.

*Celeſtino III.* antea Hiacinto Cardin. qui ſuæ curæ partem reputans res eorum, qui ſacro bello incumberent promouere, Henricum Friderici demortui filium Imperatorem dixit. Leopoldum Auſtriæ Ducem, *Celeſt. III* CLXXX.

ac ipſum poſtea Henricum, qui intercep-
tum in regreſſu Ricardum Angliæ Regem
vel non dimitterent, vel dimiſſi pretium
non redderent; ſacris mouit. Eos, qui in
Vvillelmum Elienſem Epiſcopum, quem
ſui in Syriam profecturi Vicarium in
Angliâ Ricardus conſtituerat, rebellaſ-
ſent, diris vouit. Philippum Auguſtum
Franciæ Regem repudiatę Gerbertę, ac
ſuperinductæ Mariæ reum, nec ad monita
Concilij Diuionenſis reſipiſcentem, ana-
themate plecti, regnumque ipſius inter-
dicto ſubijci curauit. Henricus Imperator
eo annuente Siciliâ tandem potitus eſt,
quæ hactenus priorum Pontificum non-
nullo ſtudio in Tancredi Nothi obſequio
perſtiterat. In huius beneficij præmium,
redditum Pontifici non ſolum Tuſculum,
quod à Romanis funditus exciſum eſt, ſed
plurima etiam, quæ Mathildis Eccleſiaſticæ
1198 ditioni attribuerat. Teutonicorum de-
1. Iann. mùm equitum approbato ordine exceſſit,
cum ſediſſet annos 6. m. 9. biduo dempto.

*Rex excommunicatus ob pellicatum.*

## CAPVT XVII.

## *Anacephalæoſis de Cœnobitis reſtitutis aut inſtitutis.*

ALia quoque clades à Mahometanis ac-
ceptas ſolata ſunt. Accreſcens in Occi-
dente pietas Orientis jacturam reparauit: &
cruentæ in caſtris militiæ damna; pacifica
in clauſtris reſarciit. Elanguerat diſciplinæ
Monaſticæ primus vigor: & quæ recens ex
hominibus faciebat Angelos, ex Angelis

conſeneſcens vix relinquebat homines. Quippe in magnis damnoſior caſus eſt; nec ex alto molliter quiſquam ruit. Nec id ſine aliquâ Eccleſiæ labe, vt in parte conſpicuâ næuus ſine totius corporis deformitate non eſt. At & id in lucris. Excitati inde diuinitus, qui vel antiquos Monachos ad primæuam Regulam reſtituerent; vel per nouos inſtitutos, igne cœleſti primùm Cœnobia; deinde totum orbem accenderent.

## CAPVT XVIII.

### *De Carmelitis.*

Carmelitæ rebus Orientalium proximiùs attexendi, quos Oriens Orbi dedit. Eos ad Eliæ tempus quidam referunt; quaſi præiudicium pietatis eſſet diu fuiſſe: & Chriſtianæ virtuti adderetur, quod ante Chriſtum cœperit. Alij eos ex peregrinorum turbâ, qui hoſpitium ſibi in Palæſtinâ ad pœnitentiam, & pietatem delegerant, Haimerici Patriarchæ Antiocheni ſtudio, coaluiſſe dicunt; & ad Carmelum præſertim montem (vnde ipſis nomen) ſedem *Unde* fixiſſe. Eis poſtea ab Alberto Patriarcha *orti.* Hieroſolymitano, quem ipſi veluti fundatorem agnoſcunt, præſcripta Regu- 1181 la; quam duo Honorij III. & IV. & Innoc. IV. approbauerunt. Dignum germen, quod in Occidentem ramos diffunderet diuini cultoris operâ. Fuit hic D. 1205 Ludouicus; qui quaſi cladem acceptam à Barbaris in Ægypto, reparare vellet in.

1254 Galliis, diuinos in eas milites adduxit. Cum cœlo tandem mutati mores, & procul à Carmelo poſiti, Carmelitas ſe plurimi obliti ſunt, & Eliæ poſteros. Nempe, vt inſigni miraculo daretur locus. Diuino enim igne ſuccenſa Thereſia Hiſpana Virgo: rem non tantùm inauſam viris, ſed & inuiſam diu aggreſſa; per-
1568 fecit tandem, adjuuante Ioanne à Cruce, vt antiquę diſciplinæ ſpiritu reſuſcitato; ſacer Ordo è ſuis veluti cineribus reuiuiſceret. Nec viros tandem puduit doceri à fœminâ, quę ſexus vitia, maſculis virtutibus emendauerat.

*A Thereſia reformantur.*

## CAPVT XIX.

### *De Brigittanis.*

1370 DIu ante nihil minùs mirabile opus abſoluerat in Boreali plagâ nobilis Heroina. Ea fuit Brigitta, quæ è Regiâ Suecorum ſtirpe orta, poſt pium mariti obitum ſic cœleſtia nouit, quaſi intereſſet; & eo ſucceſſu Ordinem etiam virorum, qui ab ipſa nomen habet, inſtituit, quaſi ex quo ſine viro fuit, non fuiſſet amplius fœmina. Sexus tamen meminiſſe viſa, cum, vt Monachi Abbatiſſæ ſubeſſent, edixit: Ne dubitaretur de ſanctitate Regulæ, excepit eam dictante Christo, & ab eius in terris Vicario, Vrbano V. approbatam voluit.

*Religioſi Abbatiſſæ ſubditi.*

## CAPVT XX.

### *De Fontebraldinis.*

FRancia quoque diu ante *Legi Salicæ* vim
fieri paſſa eſt in ſacris, cuius adeo te-
nax eſt in politicis. Author fuit Robertus 1117
de Arbruſſellis Doctor Pariſinus, qui effi-
cacibus facundiæ ſacræ illiciis, cùm alios
plurimos vtriuſque ſexus prope Pictauium,
tùm Ebraldum latrociniis celebrem ad au-
ſterioris vitæ ſtudium adduxit. Iſtius in
prædio conſtruxit ampliſſimum cœnobium,
& quaſi biforme, vt quod eadem intra ſe-
pta virgines ſimul & viros, ſeorſim tamen
diuerſiſque in cellis contineret. Regimen
ſupremum etiam in viros creditum Abba-
tiſſæ. Id prærogatiuæ datum infirmo ſexui,
in gratiam Mariæ. Nam in normam Inſti-
tuti, ſumpta ipſa, & Ioannes Euangeliſta. In-
ter quos poſt Chriſti poſtrema ad eos iſta
verba *Ecce filius tuus, ecce mater tua*, is fuit
ordo, vt vir & Apoſtolus Virgini per omnia
obſequeretur.

## CAPVT XXI.

### *De Cluniacenſibus, Ciſtercienſibus, Clarauallenſibus, & aliis Benedictinis.*

EXſuſcitatæ vitæ Cœnobiticæ laudem multi ſibi ante in Galliis aſſeruerant. Eminet inter eos Berno Gigniacenſis in Occitaniâ Abbas. Hic extructo in Burgun-

912 dià Monaſterio; cui, vt ſuum abderet, nomen ex loco *Cluniaci* dedit; vt in aliis Benedicti Patriarchę ſpiritum renouaret, primus ipſe hauſit. Et melior ipſe factus eſt; vt alios, ſiue per noua condita cœnobia; ſeu per vetera primæuæ pietati reddita, faceret meliores. Aliquantò poſt *Robertus Moliſmenſis Abbas* nouam in Bur-

*Cluniacenſes*

1098 gundià ſanctitatis ſcholam aperuit, *Ciſtercienſi* conſtructo Cœnobio. Quantum ex eo fructum Orbis Chriſtianus acceperit, vnus Bernardus probat, qui tyrocinio ſanctitatis in eo poſito, *Claraualleuſium* author fieri

*Ciſtercienſes.* *Bernard. Claraualenſis.*

1115 meruit; & talem ſe per multa prodigia præſtitit, vt ei populi, Reges, Pontifices, ſeu minaretur, ſeu juberet obtemperauerint. Eum dicas, non Monachorum tantùm, ſed Procerum quoque Abbatem fuiſſe. Sed quàm intimum homini deficere! laxatus tandem reparatæ diſciplinæ vigor, reſtauratore nouo indiguit. Fuit hic parentum noſtrorum tempore, *Ioannes Barrerius*; ad antiquam normam *Fulienſi*, non pro-

*Fulienſes.* cul à Tholozà, reſtituto Cœnobio. Innumeros ſectatores breui adeptus, pertinaci violentià eos armauit in cœlos; nec ei vel in arduis ægrè obtemperatum: facilè enim ad difficillima impellas, ſi primus facias. Id ante negotii ſibi ſumpſerat in Italià *Ludouicus Barbus*, qui à S. Iuſtinæ Patauienſi Cœnobio auſpicatus Congregationem

1429 Caſſinenſem; effecit vt ſe, in ſuis, B. Benedictus agnoſceret. Illud idem feliciter impleuerat in Germanià *Ioannes Radio*, in Burſerdenſi Monaſterio excitato igne,

quo alia per totam Germaniam incaleſcerent.

## CAPVT XXII.

## *De Carthuſienſibus, Grandmontenſibus, & Pramonſtratenſibus.*

NOn ſolùm per reformatos in melius antiquos Ordines reuixit in orbe pietas, ſed per nouos etiam inſtitutos. Supra cęteros Carthuſianis debetur palma. Horum conditor *Bruno*, qui natus Coloniæ, Doctor Pariſiis, Rhemis Canonicus, vt quem diu fouit in corde, ignem latiùs diffunderet in Delphinatu, adiuuante Hugone Gratianopolitano Præſule, horridam ſolitudinem, in Angelorum frequentiam mutauit. Condito Monaſterio, cui à loco nomen *Carthuſii*, vt homines innocentes faceret, ab hominibus ſemouit. Innocentiæ maximam partem ratus, extra peccandi illecebram eſſe. Occaſio Brunoni ad auſteriorem vitam, fuiſſe dicitur Doctor Pariſinus, qui in ipſo ſuo exequiali ſacro vocalis ex feretro, adſtantes perculit; dum feralem de ſe dictam à Deo ſententiam, tertiò pronunciauit. Ex alienâ pœnâ, ſuam cauere ſtatim Bruno ſtatuit, & multis, vt cauerent author fuit. Exemplum non diu poſt ſecuti *Stephanus* & *Norbertus*, nouam & ipſi doctrinæ cœleſtis Academiam aperuerunt, inſtitutis Ordinibus, hic *Grandmontenſi*, ille *Præmonſtratenſi*. Non credidit vterque ſibi ex vero ineſſe virtutis ſtudium, niſi inderent aliis.

*Bruno.*

*Occaſio Carthuſienſium conditorum.*

1102
1126

*Grandmontēſes. Pramonſtraten.*

## CAPVT XXIII.

## *De Camaldulenſibus , Vallombruſenſibus , & Petro Damiani.*

SVam in iſto renouandæ pietatis ſtudio laudem quoque meruerunt Itali. Inter
*Romualdus & Gualbertus.* eos eminent *Romualdus*, & *Gualbertus*, ille *Camaldulenſium* , *Vallombruſenſium* iſte conditor. Vtrumque procella miſit in por-
974 tum : *Romualdus* enim , ex hoſtis occiſi conſcientiâ , Monaſterium *Claſſenſe* ad pœnitentiam ingreſſus , quod aliis piæ vitæ ſupremum eſt, initium ſibi, aut viam fecit. Eremum ex Cœnobio digreſſus, tantùm ſub *Marino* profecit, vt Petrum Vrſeolum, ex Duce Veneto , Anachoretam facere potuerit. Vir nobilis ſub tanto Magiſtro didicit, quam humiliter ſediſſet in throno, vbi curas nobiles in cœlum ſuſtulit. Poſt, *Camaldulenſi* inſtituto Ordine , in Pannoniam ad Martyrium iter inſtituit. At valetudine reuocatus , quia Martyrium non ſubiit à Tyrannis, tyrannus ipſe ſibi per ſæculum fuit. *Gualbertus* verò veniam largitus hoſti , quam impendente iam ceruicibus ferro, nomine Chriſti petierat , meruit vt
1063 ſibi à Cruxifixo in imagine , per nutum ca-
*venia & inde miraculum.* pitis grates haberentur. Inde ipſe vt Redemptori tam benefico ſe magis probaret, Monachus primò factus eſt , tum author Monachorum , quibus à loco *Vallis Vmbroſæ* nomen. Quis in iſtis Dei benignitatem

tem non miretur ? quibus adeo non obfuit peccaſſe, vt profuerit. Nec minùs *Petro Damiani* debuit Italia, in quo habuit vnde Bernardum Gallis non inuideret. Hic ita in Romanæ curiæ frequentia ſolitudinem coluit, vt Præſul, Cardinalis, Magiſter Pontificum, Regum cenſor; & quod plus eſt, Aulæ cultor prodiderit, quod in eremo ſui Monachi ſequerentur. *Petrus Damiani.* 1047

## CAPVT XXIV.

## *De Franciſcanis & Dominicanis.*

NEc *Franciſco* & *Dominico* per nouas leges proferendæ virtutis campus defuit: Nam in vineâ Domini ſemper inuenias, quod induſtrius cultor excolat, quod amputet. Quantum ab vtroque ſubſidii Eccleſia habuerit, viſus vterque ab Innocentio III. Pont. Lateranenſi Baſilicæ pro fulcro ſuppoſitus, oſtendit. Vtrumque diceres fœtum Euangelii, vel exemplar, adeo ad viuum in ſe exſcripſerant, quæ in ipſo leguntur. *Franciſcus*, vt maiori fœnore mercaturam, cui fuerat addictus à teneris, faceret, cœlum emit terræ contemptu. Scriptâ, ad inſtar Euangelicæ, Regulâ, tam arctam Ordini ſuo paupertatem indixit, vt eius arbitrio ipſum vix aërem reliquerit. *Dominicus* verò cum Oxomienſi Præſule Româ rediens, repreſſis Monſpelii Albigenſium Doctoribus, in quo diu fruſtra Ciſtercienſes aliquot deſudauerant, non numero ab hæreticis victoriam ſtare. 1208 *Franciſcus.* *Dominicus.*

docuit, ſed virtute. Ne vnquam Eccleſiæ deeſſent Athletæ in perduelles, Ordinem inſtituit. Diſcipulos ſic pios voluit, vt doctos ſimul. Nimirùm vt *Prædicatorum* partes agerent, faciendo, ſimul & loquendo.

## CAPVT XXV.

### *De Auguſtinianis variis.*

IN Auguſtinianis diu habuit Eccleſia, vnde minùs Auguſtinum ſublatum ingemiſceret. Quippe vix ſublatum putes, quem in alumnis ſpirare etiamnùm videas. Sunt illi *Canonici*, tam moribus, quàm nomine *Canonici Regulares.* digni, qui aliis ad piam vitam eſſent Canones. Decurſu tamen temporum factum vt & nominis & Regulæ parùm memores, à propoſito deſciuerint. Sed eos Bartolomæus Columna, Leo de Carate, & alii ſic priſtinis piæ vitæ legibus reſtituerunt, vt caſus in lucro fuerit. An Heremitarum inſtitutio ſancto Præſuli, an Guilhelmo Aquitaniæ Duci, per virtutes ſimul, ac per vitia famo-
1256 ſiſſimo debeatur; non liquet. Digni ſanè quos, à ſuo cenſu & nomine, nobilis Patriarcha non expungat. Eos Innocentius III. & Honorius III. veluti rediuiuos mendicantibus accenſuerunt. Arctiorem in hoc ſtadio viam ſibi diu poſt eligentes aliqui; dum ordinem in cenſum non trahunt, nouum condunt, Excalceatorum, & oblongioris Caputii ex Clementis VIII. ſuffragio. Idem antea tentatum à multis; At nouos cœtus Heremitis primariis coniunctos.

voluit Alexander IV. quibus, vt aliis quoque eſſent vtiles per exempla, vt intra Vrbes commorari liceret, indulſit. Nec putauit inde virtuti, quę ſolitudinem amat, periculum naſciturum: nam Deo pleni homines, vel in turba poſſunt eſſe ſolitarii. Seorſum tamen perſtitit ordo Seruorum B. Mariæ; quos *Seruitas* dicunt, qui Florentiæ cœperat authore pręcipuo *Bonfilio de Monaldis*, ad cultum Deiparę; ex Innocentii IV. & Alexandri IV. ſuffragio. Ei Alexander nouum cœtum Maſſiliæ, non diſpari fine, excitatum vniit, vt membra, quæ Deiparæ colendæ eodem animabantur ſpiritu, in idem corpus coaleſcerent. Voluit etiam *Ioannes Columbinus* Senenſis ſuos *Ieſuatas*, quos ſacrum Ieſus nomen, impreſſum altè animo & ſæpius expreſſum ore, notos Italiæ præſertim fecit, ſanctiſſimo Patriarchæ addici. Id honoris acquiſitum quoque voluit *Petrus Gambacurta* Piſanus Suis, quos à Regulà, ex ſcriptis D. Hieronymi deprompta, *Hieronymitas* dixit Alios prætereo: quis enim ex vero referat, quot vni vel mortuo parenti ſuccreuerint filiorum Decuriæ! quot vni Duci legiones ſacræ militauerint. Cui nempe victoriæ certiori fiduciâ, quàm cui non difficilius fuit Dei hoſtes vincere, quàm impetere. Quos viros pietate, doctrinà, virtutum omnium fulgore conſpicuos, ad orbis Chriſtiani decus & præſidium, omnes hi, & alii Cœnobitarum Ordines aluerint, non refero, quia multos, non eſt inſtituti, paucos, non eſt æquitatis. Vbi virtus res eſt de popu-

*Seruitæ.*

*Ieſuatæ.*

lo; Heroes ipſi de turbà ſunt. Mirari tamen in omnibus ſubit; quod numquam ſacrà deficiente ſobole multorum ſæculorum res fuerit, populus virorum.

## CAPVT XXVI
## *De ſacris Hiſpanorum Equitibus.*

HIſpanis per hæc tempora vitam exſuſcitare Monaſticam datum non eſt; quibus vix licebat eſſe Chriſtianis. An voluntarium in Cœnobiis jugum induerent, qui vix poterant exuere Saracenicum? Itaque non ordinēs apud ipſos inſtituti, qui vmbrâ gaudeant, ſed qui ferrum tractent in Barbaros. Vt quando in Europà reliquà Cœnobitica vita reparabatur, per nouas leges, ipſa in Hiſpaniâ Chriſtianitas vindicaretur per arma. Inde militares Ordines; qui ad Hoſpitalariorum imaginem tutum iter, ad D. Iacobi peregrinantibus primò facerent; tùm qui Saracenicis in bellis, eſſent veluti ſacra legio & immota phalanx. Ad hoc ſtrenuè deſudatum à D. *Iacobi*, *Calatraue*, *Alcantaræ*, *Chriſti*, *Monteſiæ*, & aliis Equitum ſacrorum Ordinibus. Qui cum ex aſſenſu Pontificum, variis Regibus debuerint originem; & opes præcipuas Templariorum excidio; ea ſæpè fortitudinis miracula ediderunt, vt eis Reges ſuam prope Hiſpaniam; & Chriſtianus orbis Eccleſiæ in Hiſpaniâ ſalutem debuerit. Per ſucceſſus plurimos eò demùm accreuere potentiæ; vt enaſcenti-

bus ( vt ſit, vbi priuata potentia modum exceſſit ) inter ipſos, & Reges diſſidiis, Reipublicæ interfuerit; illam vel decreſcere; vel Regiæ jungi. Hoc vltimum viſum ſuauius: itaque ab Hadriano VI. decretum, vt ſuprema illorum præfectura Çaſtellæ Regibus eſſet impoſterum propria.

## CAPVT XXVII.

### *De Redimentibus & Trinitariis.*

PEr ſacros Equites, non ita conſultum Hiſpaniæ ſecuritati, vt non ſubinde multi in Barbarorum manus inciderent, Hinc Ordo conſcriptus, qui quos armis alij tutos non fecerant; mercede redimeret. Et inde ipſi nomen. Hunc vnum Ordinem; apud quem vitæ ſegregis eſt profeſſio, ſibi tum debuit Hiſpania. At numerum conditor penſat. Habet ex eo gens nobilis vnde ſibi quoque placeat. Nec enim exiguum decus eſt Rex inſtitutor monachorum. Fuit hic *Iacobus Rex Aragoniæ*, vſus adminiſtris *Raimundo Penaforțio Barcinonenſi*, & *Petro Nolaſco* Gallo. Petrus Inſtituti noui, quod Gregorius IX. ratum habuit, ad præſcriptas à Raimundo leges diu rexit. *Raimundus* obſequendi partes imperio præferens, eo in Ordine durare noluit, in quo potuiſſet haberi Author. Dominicanis ſe addixit; vt recens illa ſocietas gloriari poſſet ſubdito Patriarchâ. Poſſent de hoc Hiſpanis facere controuerſiam Gal-

*A Mercede.*

1375

*Raimundus Penafortius.*

*Trinita-rij.* li; apud quos paulò ante, eiusdem habitus & inſtituti Ordo innotuerat, nomine tamen diſſimili, vt quod à *ſancta Trinitate* habeat. Nec iſta ſodalitas alteri ceſſerit, etſi non habeat Regium fundatorem. Fuit hic *Ioannes de Matta*, ex Inalpino prope
1298 Barcinonem ditionis paternæ viculo, cui nomen Falco, ortus, & Pariſienſis Doctor; quem non iniurià fortè Regi æquipares. Nam coram Deo nulla ex natalibus, tota ex meritis differentià eſt. Quamquam vt & hic ordo aliquid Regij haberet in ortu, Philippus Valeſius Regibus Galliæ cognatione proximus effecit, vt cui pluris fuerit Ioanni ad noui Ordinis inſtitutum auſpicandum atque etiam profitendum comitem dari, quàm Regum accenſeri albo. Accreuit Ordini decus ex congregatione Excalceatorum, qui nouis alicubi, atque adeo, Falcone, ad fundatoris memoriam, inſtitutis cœnobijs, inde ſe liberandis ex Barbarorum iugo captiuis Chriſtianis rectè præparant, quòd ſe totos Chriſti jugo perfectiſſimè ſubdant.

## CAPVT XXVIII.

## *De Monialibus.*

IN hoc etiam ſtadio deſudatum à fœminis; ne virorum prærogatiuam putes, ardua conari. Ex quo innocentiæ & in viris author natus eſt ex fœminà, non deſiere, quæ cum viris de virtutum palmà certarent. Tantam infirmo ſexui de ſe fiduciam *vna Maria* fecit! Ab eà, dum in

templo ſe Deo vouit, Monialium jacta ſunt ſemina; quæ ſuis temporibus in ſegetem fœcundam ſylueſcerent. Cæleſte proſecuti opus Apoſtoli ſuarum partium eſſe putauerunt, inſtituere Collegia, in quibus Chriſtianæ Veſtales pro ſuo Chriſto ignem caſtum perpetuò alerent. Inde armati ſæpe ferro in eas carnifices, & hæretici conuitiis. Nec putauerunt Ebion, Elxai, Heluidius, Iouinianus, Vigilantius & alij, vllo ſe magis nocituros Eccleſiæ, quàm ſi ei pulcherrimam ſui portionem, Moniales detraherent. At in aduerſum obnixi Tertullianus, Ambroſius, Hieronymus, Auguſtinus, & alii ſuſcepere virtutis patrocinium, quæ Deum ad terras deduxerat; homines ad cælos. Diuina autem Gynecęa conſtituerunt Auguſtinus, Benedictus, Franciſcus, Dominicus, & alij qui cœnobiticam inter viros inſtaurauere diſciplinam: ſic tamen vt ſingulis Deus cooperatrices fœminas attribuerit: vt & iſtis viris, non iam de luto, ſed de cælo factis, ſua non deeſſent adjutoria; quæ feliciùs fœcundæ quàm Eua, cælo parerent, quos illa terris. Quanta in eis virginitatis cura? quæ ſeptis ſibi, quæ nunquam exiliant conſtitutis, pro ſtupro quaſi habent; ab aliis videri, quàm ab Angelis; vt vnius ſponſi, qui Chriſtus eſt, beatæ commercio, illum ſolum videant; ab illo ſolo videantur, cui ſoli placere cupiunt.

*Hoſtes virginũ.*

*Patroni.*

*Conditores.*

*Valens in Monachos.*

## CAPVT XXIX.

## *De perſecutionibus* Cœnobitarum.

375 AB Ethnicis aut Hæreticis diſcrimen Cœnobitis non ſemel incubuit. Quid mirum? in cæleſtem militiam, an non armaretur inferna? Inde fuit quod *Valens* Imperator viros, qui Chriſto jam ſacramentum dixerant, ad ſuum adigere voluerit. At diuina ſtipendia meriti ceruices carnifici faciliùs dabant, quàm nomen principi. Hinc nec inter ferarum latibula tutæ ipſis latebræ!

*Melania.* Nec Ordinis ſacri reuerentior Lucius Alexandrinę inuaſor Eccleſiæ, qui pulſo
372 Petro, quem Athanaſio fideles ſuffecerant, quarum eſſet partium prodidit, dum cęli
754 militibus bellum indixit. Quę tunc & in ſolitudine; per ſubmiſſos milites, facta ſolitudo! Teſtis *Melania* Romana nobilis, quæ quinque fugientium millia, apud ſe in Ægypto triduo abdidit, & pauit. In Copronymo verò & Iconoclauſtis, quæ barbaries? ſed qui mortuis Chriſti & Diuorum imaginibus, bellum atrox indixerant; an viuentibus peperciſſent? Nec ſine labe fuerunt *Valentinianus III.* & *Mauritius*; ille dum
592 edixit, ne ex omni hominum genere fieri Cœnobitæ poſſent: iſte, dum Iuliani Apoſtatæ inſiſtens veſtigiis; ne ante impletum prophanæ militiæ tempus, ſacram quis auſpicaretur, interdixit: quaſi non plus ad victorias in cellis, per vota preceſque, noui Moſes conferrent, quàm in caſtris milites, per arma.

CAPVT

## CAPVT XXX.

### *Cœnobitæ Iuriſdictioni Præſulum addicti, & exempti.*

MEruere etiam aliquando à piis notam; qui diu tyrannorum impietatem fatigauerant. Et meritò ſacer Ordo Eccleſiæ vindices in ſe laceſſiit, qui pro Origene, Neſtorio, Eutychete & aliis aduerſus Eccleſiam ſtetit. Nec iniuria fuit vocari totum in inuidiam, quando pars maior in culpa fuit. Inde ſtatutum à Calcedonenſi Concilio; vt Epiſcopis obnoxij Monachi, ſine ipſorum iuſſu noua Monaſteria non conderent, & extra ipſa non vagarentur. Sacrilegium enim quoddam eſt viros ſacros prophanis incumbere, & in ſeculum eos redire, qui à ſeculo exierint. At dum eis ſeueriùs Præſules aliqui imperant, imperio omnes excidunt; & Epiſcopalis eos iuriſdictionis liberos dixit *Gregorius Magnus*, cui non pauci ſubſecuti Pontifices ſuffragati ſunt. Inde condendi pro libito Cœnobia facta rurſum copia, quà cum quidam abuterentur, vt Pauperes de Lugduno, Humiliati, & alij, qui ſub ſanctitatis habitu multis præiuerunt ad vitia; & ſub ouinà pelle diu lupos egerunt; in Lateranenſi primum Concilio ab Innocentio III. tum in Lugdunenſi à Gregorio X. cautum eſt, ne citra ſedis Apoſtolicæ ſuffragium nouus in Eccleſiâ Ordo inſtitueretur.

*451 Subduntur Epiſcopis.*

*598 Eximuntur.*

1215

1274

## CAPVT XXXI.

### *De nouis perſecutionibus Cœnobitarum.*

PEr ea tempora vel inſtituti primùm, vel approbati Mendicantes, non ſine multorum etiam Catholicorum fremitu; fit enim ſæpe, vt ſub tuendæ virtutis ſpeciem virtutibus indicatur bellum. Author præcipuus
1253 *In eos Sorbonici.* fuit Guilhelmus à S. Amore; an à prauo odio? Doctor Pariſinus; qui Academiæ ſuæ dignitati conſultum voluit Religionis damno. Nec dubitauit voluntariam mendicandi profeſſionem illicitam traducere, vt à Mendicantibus Sorbonam defenderet. At hoc erat ſpecioſo velo malam cauſam obtendere. An Academiæ detractum voluiſſent viri pij, quam tum per *Thomam* & *Bonauenturam* alioſque Ordinum ſuorum; atque adeo Eccleſiæ vindices maximè illuſtrabant? Inuſſit inde nomini ſuo, vir parùm prudens maculam indelebilem: nam & ipſe ab Alexandro quarto prophani damnatus odij eſt: & per calumnias, quas vibrauit, id tantum præſtitit, vt eorum, quos contumelioſiùs inſequebatur, virtus magis eniteſceret.

## CAPVT XXXII.

### *Bellum Sacro-Prophanum pro Imperio.*

1257 POſt Henrici Aſperi mortem; dum ſibi duo imperium aſſerunt; interregnum

faciunt. Nec enim benè tu quem Imperatorem dicas, cùm duo ſe dicunt. Philippus mortui frater aduolarat in Germaniam, vt relictâ ditione Pontificiâ in Italiâ, fraternam juſtitiis aſſequeretur: quando Fridericum nepotem ætas ab Imperio excludebat. Statim Præſule Salernitano dimiſſo, quem ob motus Siculos in Germaniam Henricus abduxerat, liberari meruit ipſe, Innocentij Pont. nomine, à Sutrino Præſule anathematis nexu; quo eum ob occupatam, ſpecie iuris Imperatorij, Thuſciam; vnà cum Marcoaldo, ob inuaſam Marchiam Anconitanam; & Conrado, ob aſſertum ſibi Ducatum Spoletanum, Celeſtinus adſtrinxerat. Nec tamen ita votorum compos fuit; vt non Suffragatorum aliqui Bertoldum Zaringium; deinde, quia hic ius ſuum Æmulo vendidit; Othonem Saxonium maluerint. Iſti, quod ex ſuffragiis deerat, ſupplebat Innocentij Pont. authoritas. Nec ſegniùs ille parùm moratus anathema Octauiani Oſtienſis, & Vvidonis Præneſtini Cardinalium, quos ad hoc in Germaniam Pontifex miſerat; Aduerſarium paſſim contudit: Adolfum Colonienſem, vt ſibi rurſum ſuffragiis Procerum electo, coronam ſolenni ritu daret adegit; eumque ſacris propterea, & dignitate motum, ſtrenuè deffendit; Brunone, quem illi Pontifex ſuffecerat, vinculis addicto. Coactus demùm Pontifex cum Imperatorem pati; cui, vel contra cælum, fortuna fauerat; dum Othonem generum faceret, & Cæſarem deſignaret. At quæ Humanis firmitas: fortunæ tum inſidiis.

1198

*Philippus fit Imp.*

*Innocent. Pontif. fauet Othoni.*

1205

*Philippus praualet.*

1207 præſertim patuit Philippus, cum ſuprà ſe credidit. Nec viſus eſt obtinuiſſe purpuram Occiditur Imperatoriam, niſi vt proditoriè Bambergæ cæſus ab Othone de Vvitelſpach, eam ſuo ſanguine cruentaret.

## CAPVT XXXIII.

### *Bellum Sacro-Prophanum pro Imperio.*

PHilippo ſtatim ſuffectus Otho nouam potentiam, pro ſcelerum licentiâ habuit; ſub ſpecie repetendi iuris Imperatorij, quæ Pontificis erant, & Friderici in Italiâ Otho à Pontifice excommunicatur. diuexatis. Hinc quia monitis non acquieuit; ſacris & imperio motus eſt à Pontifice, & in eius locum à Proceribus Fridericus ex Siciliâ in Germaniam accitus. Fuſus itaque in 1210 Alſatiâ Otho; & à Germanis paſſim deſertus, Belgas & Anglos vocauit ad partes, & ex eis ad centum quinquaginta millia collegit; At fœdè profligatus ad Bouinas à 1214 Francis, viſus non eſt in vnum collegiſſe Vincitur ad Bouinas. quantum habuit virium; niſi vt ſimul perderet. Adeo fruſtrà viribus humanis fidas, ſi te diuinæ premant. Eo fracto, & aliquanto poſt cum ingenti pœnitentiæ ſenſu defuncto; Fridericus II. Imp. Fridericus Victoriæ ſuæ partem deriuatam ad Eccleſiam voluit, ei, quæ alij ante Im-1218 peratores dederant, per noua ad Innocentium & Honorium diplomata, confirmatis; Bene incipit. & Fundenſi inſuper, in Campaniâ, Comitatu attributo. Et quod ſpecioſius; aduerſus ipſius hoſtes, motum ſe in Orientem, interpoſito ad vtrumque Pontificem ſacra-

mento, promiſit. Quidni verò ferrum ſtrin-
geret aduerſus barbaros in Syriâ, in gratiam Innocentij; qui eius ſtudio parùm æquus & conſtans apud multos audierat? Mediolanenſibus & aliis; qui pro æmulo ſtabant, hoſtibus Eccleſiæ dictis, & per Cremonenſes, Papienſes & alios ſuarum partium populos magnâ clade perculſis.

## CAPVT XXXIV.

## *Decimum-ſeptimum in Eccleſia ſchiſma Friderici II.*

RARò præcocis fructus incorrupta maturitas eſt. Auum cognominem ſequi
maluit Imperator nouus, quàm ſpem de ſe 1222
Candidatus Imperij factam implere. Sacris itaque motus primùm ab Honorio III. deinde, quia, vt conuenerat in Romano colloquio, quò Ioannes Brenna, & Equitum ſacrorum Magiſtri appulerant; non mouebat in Saracenos, à Gregorio IX. Vt redire poſſet in fidelium numerum; arma tandem in infideles expediit iam non publicos tantùm Eccleſiæ; ſed priuatos quoque ſui hoſtes. *Fridericus Imp. cogitur anathemate ad Orientem.*
Quippe ductâ Iole Brennæ filiâ Regni 1227
Hieroſolymitani ius & titulum in ſe poſteroſque Reges Siciliæ tranſtulerat. Quid verò profuit impium egiſſe in impios, niſi vt ſub ſpecie fœderis pietatis cauſa proderetur? vt ſupra memoratum eſt. Nec veniam Victor vmbratilis, & Rex de pompâ, poſt reditum demùm obtinuit; niſi vt commotis 1230
furtim Romanis in Gregorium, cui promiſerat auxilium; pulſis ex Apuliâ multis

*Cius facta impia.* Preſulibus, direptis Eccleſiis, Longobardis, ad Curtem nouam, profligatis; Sardiniâ Eritio notho cum titulo Regis aſſertâ: Italiâ denique vniuersâ per ſuos *Gibellinos*, in
*Factiones.* *Guelfos* ſeu Pontificios, commotos, in lanienam & cinerarium mutatâ; relapſus ad culpam, pœnam rurſus incurreret. Ad hæc execratus, atrociùs exæſtuans, Guelfis molitur vbique perniciem. Sed vbique victus;
1239 in Inſubriâ, cæſis ipſius copiis à Gregorio Montelongo Legato Pontificio: in Apuliâ, ad Garganum disjectâ illius claſſe à Venetis; ad Corſicam Piſanis triremibus à Genuenſibus fugatis: ad Romam cohortibus,
*Vincitur vbique.* quas ipſe non tam ducebat ad pugnam, quàm ad prædam, cæſis; didicit, quàm parùm ſæpe poſſint arma, quæ non roborantur armatorum innocentiâ. Nec poterant non vinci perduelles; in quos Gregorius addito ad certas horas canonicas, hymno
*Preci ope.* *Salue Regina*, & ad confectionem Euchariſtiæ pulſatis campanis, & aliis ſeu precibus ſeu incitamentis ad preces, ac interpoſitâ imprimis Deiparæ gratiâ; Deum acciuerat. Nec in cœlum propterea luctari deſtitit nouus Gigas; Præſulibus, quos Romam ad Concilium Pontifex vocauerat, ad mare Liguſticum interceptis; & ne Celeſtino IV. qui Gregorium exceperat ſucceſſorem darent, Electoribus impeditis; dum Iacobum & Otho-
1241 nem Cardinales liberos non dimittit. At hoc erat vltimam differre pœnam; non
*Nec cedit.* euadere: Electus enim tandem Innocentius IV. (quippe Cardinales intereà, ad

Balduini Byzantini principis preces , di- 1243
miſerat ) in Lugdunenſi Concilio pertinacem , dum vt iuſſus erat , non ſe ſiſtit, abdicat. *Abdicatur.* Vero ſe nimis augurio præſagiſſe tunc nouit impius , in eodem Sinebaldo ( hoc erat nomen Pontificis ) amicum ſe Cardinalem habuiſſe ; Pontificem inimicum. 1245 Quàm triſtibus id experimentis innotuit ! licet enim per Conradum filium Henrico Haſſiæ Langrauio , quem ipſi Electores ſuffecerant , ad Vlmam cæſo ; & Guilhelmo Batauo , qui Henricum exceperat , per fœderatos macerato ; ac 1247
Longobardis Italiſque variè fatigatis ; ruinam partium aliquandiu diſtulerit : à Mediolanenſibus tamen primò victus ; *Obluctatur.* tum à Parmenſibus , quos exciſà Vrbe aliò transferre deſtinauerat , profligatus , incenſà *Vincitur.* *Victorià* , quam Vrbem in caſtris , in futuræ victoriæ præſagium , condiderat ; deinde à Bononienſibus fuſus , Deum & 1248
homines ſimul paſſus eſt hoſtes ; qui nec Deum veritus vnquam fuerat , nec homines miſeratus. Vltimum diſcrimen vt effugeret ; in Siciliam iter arripuit. At eum aſſecuta demùm vltrix Adraſtia , vt digna pœnà plecteret , per Manfredum Nothum 1250
confecit. A quo enim juſtius periret , quàm à filio ; qui diu Eccleſiæ ſe filium factis negauerat ? *Strangulatur.* Sic dum quæ Dei erant impiè inuadit , quæ Cæſaris fuerant , iure perdidit.

## CAPVT XXXV.

### *Fridericianæ ſobolis per parricidia interitus.*

NVmeroſâ nixa prole Sueuica potentia ſupra caſus aſſurrexerat ; ſi quid ſatis firmum eſſet in terris, cùm cælum ex aduerſo pugnat. Inualuiſſe firmiùs viſa eſt, vt clariori diuinæ in ipſam iracundiæ documento rueret. Seu per mutua parricidia ; ſeu per inuſitata ſupplicia exaruere citò infauſtæ arboris rami, cuius ſæpe radix de cælo arſerat. Primus Actor tragœdiæ Fridericus ipſe fuit, Henrico filio, quem in Apuliâ carcere incluſerat, ad mortem acto. Eum poſtea Manfredus Nothus ad Tarentum iniecto in os puluino extinxit ; ne, quamquam ſcelerum pœnitens, placidè quieſceret, qui vitam in turbis egerat. Ex ſuperſtitibus filiis Entium Bononienſes in caueâ ferreâ ad mortem vſque detinuerunt, per viginti tres annos ; nec enim aliter â noxâ prohiberi fera poterat. Henricum Iuniorem frater Conradus, qui Neapoli, Capuâ & aliis vrbibus intereà excifis, Apuliam occupauerat, veneno ſuſtulit ; vt Siciliâ quoque potiretur : extinctus & ipſe â Manfredo, vt Sueuorum etiam eo in Regno potentia in Notho deſineret. Nam vix ponebat in vitio Manfredus, Conradinum Conradi filium adhuc in Germaniâ ſuperſtitem interimere ; cui ludus fuerat patrem fratremque peremiſſe. At

*Parricida*

impuberem morti fortuna eripuit, vt triſtiori fato, vnà cum Conrado Antiocheno Friderici Aui, ex Notho Friderico, nepote reſeruaret.

## CAPVT XXXVI.

### *Bellum Prophano-ſacrum Caroli Andegauenſis contra Manfredum pro Sicilia.*

MAnfredus mortuum in actu Conradinum ratus, quem miſſis in Germaniam, qui veneno inficerent, voluntate peremerat; vnum ſe è fœcundâ ſobole ſuperſtitem credidit, & proinde ſolum, qui ius in Regnum Siciliæ haberet. In illud, vt maiori ſpecie iuris, inuaderet, Regem ſe in comitiis dici curat: nam Innocentio Papæ Neapolis, & alia, poſt Conradi mortem, vt ſubderentur, non aſſenſerat, niſi vt ſecuriùs falleret. Potentiam parricidiis & perfidiâ partam, ſacrilegiis tuetur & armis; Guilhelmo de fliſco, & Octauiano Vbaldino Cardinalibus, in Apuliâ profligatis, & Guelforum, apud Florentiam, acciſis viribus Nec valdé motus eſt diris ab Innocentio IV. Alex. IV. & Clemente IV. in ſe dictis. Ambitioſis enim & impiis nihil ſacra, vel Deus ſunt, præ Regno; nec curant an extrudantur ab Eccleſiâ, modò non à ſolio. Iſtius etiam ius ad Eadmundum Angli ſanguinis Principem primò tranſtulit Alexander: tùm, quia inde non ſuppetebat auxilium, ad Carolum Andegauenſem Cle-

*Manfredus Rex Siciliæ.* 1255 *Vincit Pontificios.* 1255

*Regni ius datur Carolo Andeg.* mens. Parem animo nactus arenam Carolus, Romam benè ſtipatus adit, & nouo quaſi robore ex inunctione auctus, de pace colloquia ita reſpuit, vt reſponſo Victoriam, vel præſagierit, vel meruerit. *Ite;*
1266 inquit ad Caduceatores, *Sultano Lucerino* (ſic Manfredum Saracenorum fretum auxiliis indigitabat) *renunciate, ipſum brevi à me truſum iri in barathra, vel me ab ipſo ad cælos.* *Qui occidit Manfredum.* Dictum, factum: nam cæſo ad Beneuentum hoſte cum copiis, vtraque Sicilia victoriæ præmium fuit. Statim in locum patrui Conradinus ſurrexit; ſed qui ad ſuæ ſtirpis genium monita, & Anathema Papæ contempſerat, fortunam quoque patrum expertus eſt. Ei ruinæ cauſa fuit, fuiſſe felicem: quippe, ex reportatà apud Aretium
1268 victorià factus incautior, ad Sucinum copias amiſit; nec euaſit ipſe cladem, niſi vt eam primò carcere, deinde capitali pœnâ, *Et Conradinum.* vnà cum Friderico Auſtriaco, exaggeraret. Nec actum mitiùs cum Conrado Antiocheno, qui in Sicilià noui iam impatiente iugi victus, oculos atque adeo vitam amiſit. Aſperiùs ſanè pro genio Francico, & germanè Regio. At Rex nouus exemplo aliquo magno ſui metum faciendum eſſe credidit apud indociles, quos nulla ſuauitas Amicos fecerat; & ad ſecuritatem neceſſarium duxit, *timeri*, cùm amari non poſſet.

## CAPVT XXXVII.

### *Veſper Siculus.*

NOn procul eſt à caſu ſolium, cui vnus timor pro baſi eſt. Id in Siculis planè probatum. Apud eos potentiam Carolus perdidit, quam ſeueritate fundauerat. Dum enim ex luctuosâ Principum ſorte, nihil ſibi fauſti populares præſagiunt; inaudito facinore iniurias vel factas vindicant, vel faciendas anteuertunt, omnibus Francis in Siciliâ, eodem ſimul tempore, contrucidatis. Ne ſacrilegium furori deeſſet, die quâ Chriſtus reuixit, tot viros neci dedunt. Campanæ ſignum, quo ad hymnos veſpertinos conuocari populus ſolet, ferale claſſicum fuit. Inde inſcripta tragædia, *Veſper ſiculus*, orbe toto inſonuit. Actor primarius Ioannes Prochyta fuit, qui vlturus opum iacturam, & ſponſæ contumeliam, ſub Franciſcano habitu, Siculos accendit ad audaciam, Palæologum traxit ad partes, ipſumque, nefas! Nicolaum Pontif. conſortem conſilij dicere auſus. At demùm ſpe Regni, ſponſæ Conſtantiæ Manfredi filiæ velut in dotem debiti, Petrum Araganium animauit. In iſtum etiam Conradinum moriturum ius ſuum tranſmiſiſſe dicunt. Sed nihil ad immane facinus efficacius, quàm Indigenarum furor, intemperanti Francorum libidine exaſperatus. Quis credat eò rabiem proceſſiſſe, vt viros ſacros è cellis euocarit; vt cladis ef-

*Occaſio.*

1282.

*Actores tragediæ.*

*Inhumanitas.* ſent adjutores, cuius nec inſpectores eſſe fas erat. Quid quòd, in ipſa prægnantium, ex Gallorum ſemine viſcera, ferrum adegit, vt vitæ præriperentur, qui nondum viuebant? Vni tamen parcitum Guilhelmo Porcelleto nobili Prouinciali, quem vnum innocentiæ cura, ab aliorum intemperantiâ ſemouerat. Næ digni illi non meliori fato, ſi in magno numero, is vnus fuit, quem flagitia non polluerint.

## CAPVT XXXVIII.

## *Bella Prophano-ſacra inter Francos & Aragonios pro Sicilia.*

*Dira in conſcios.* AD immanem ferociam Martinus IV. Pontif. inhorruit, eamque vltus eſt anathemate in conſcios, interdicto in Siciliam, & Aragoniam, & abdicatione
1282 Aragonij à proprio Regno; qui alienum inuaſerat, eius ad Carolum Valeſium tranſlato iure. Nec ſibi Andegauenſis defuit; Meſſanâ iam ad deditionis conſilium redactâ. Vnâ in Vrbe Regnum recuperauerat: ni ferox ex atrocitate perfidiæ animus maluiſſet vltionem. *Vindictæ cupiditas rem perdidit.* Dum enim veniam æquis conditionibus Meſſanenſes non impetrant, victoriâ faciunt impunitatem. Fecit & ad eam Aragonij vafritia, qui intereà cum claſſe Inſulam appulerat: nam
1283 ſpe ſingularis, inter ipſum & Carolum ad Burdegalam, Anglicæ tum ditionis, certaminis iniectâ, ferocientis fregit impetum, & vmbrâ gloriæ paſtum à re ab-

duxit. Nec haſtam propterea Carolus abiecit, Pontifice, & Nepote Philippo Rege Franciæ, ad ſubſidium vocatis: vt in eum cælum, terraque pugnarent, qui diuina humanáque iura violauerat. At ei victoriam Deus negauit, quam non petebat, niſi ad vltionem. Fruſtra itaque ceſſere diræ Pontificiæ, fruſtra Philippi in Cataloniam irruptio, etſi fuſo ad Gerundam Perro, & ex vulnere non diu poſt Francopoli defuncto. Nec feliciùs ipſe cum claſſe repetiuit Italiam. Quin & nouæ ſuperuenere clades, filio ipſius Carolo Claudo, cum nobilitatis flore, à Rogerio Lauriâ hoſtium Thalaſſiarchâ, ad Neapolim victo, captoque, & ipſo vnà cum Pontifice, & Philippo Rege eodem anno defunctis. Nec ſuperfuiſſet captiuus filius; Siculis Regio Conradini ſanguini, non procerum tantùm, qui cæſi ſunt, ſed Regio quoque Caroli ſanguine volentibus parentatum: niſi vitam ex eo meruiſſet à piâ Reginâ Conſtantiâ, quod eâ ſe die paratum mori, quo Chriſtus eſſet mortuus, feralis adminiſtris ſententiæ dixit. Pio ad mortem aſſenſui vitam dedit pia Regina Conſtantia, digna quæ meliorem patrem haberet, meliorem maritum, & fruſtra reclamantibus Siculis, eo in Cataloniam miſſo; Clementiâ ſibi ſuiſque regnum aſſeruit, quod hoſtis ſeueritate perdiderat.

*Aragonij prævalent*

1284

1285

*Regina humanitas.*

# CAPVT XXXIX.

## *Bella Prophano-ſacra inter Francos & Aragonios pro Siciliâ.*

PEtrum Regem Aragoniæ, ex accepto ad Gerundam vulnere, defunctum
1286. *Nouæ diræ in Aragon.* Francopoli Cataloniæ, exceperant filij Alfonſus in Aragoniâ, Iacobus in Siciliâ. Eorum Legatos adeo non admiſit Honorius IV. Pont. Martino ſuffectus, vt vtrumque
1287 diris deuouerit: & pacem, quæ intereà Olorone eâ lege ſancita erat, vt Valeſius Aragoniæ iure cederet, Sicilia Iacobo remaneret: & donec libertatis pretium daretur à Claudo, tres ipſius filij cum ſexaginta
*Pax.* Prouinciæ Proceribus eſſent obſides; irritam dixerit. Eam tamen mitigatis nonnihil conditionibus, Taraſcone inter Legatos tum ſuos, tum Franciæ, Angliæ &
1291 Aragoniæ retractatam approbauit Nicolaus Honorio ſuffectus. At Siculi pacem, quæ Francorum reducebat Imperium, ſeruitutis pactum rati; rebellandum quoquo
*Siculi eam nolunt.* modo ſtatuunt. Nec anxios conſilii fortuna deſtituit: Alfonſo interea defuncto, cuius erat inſulam Francis reddere; ſub ſpem recipiendę Sardiniæ. Cum enim Iacobum Aragoniâ hęreditariâ potitum ad pacem in-
1295 clinare cognoſcerent; à qua, Alfonſo viuo, alienum ſe prodiderat, præficiunt ipſi ſibi Fridericum ipſius fratrem. Hinc nouæ in
*In eos diræ.* eos diræ à Nicolao, & Bonifacio VIII. & marte aliquandiu vario nouum bellum à Iacobo Aragonio, & Carolo Valeſio in de-

uotos geſtum. At poſt varia demùm experimenta conſtitit; ſcopulum eſſe Siciliam, ad quem reliquæ propemodum Europæ vires allidcrentur. Viſum itaque tandem pacem dare miſeris, quibus certum erat ante perire, quàm ſubdi Francis. Ad hoc Eleonora Claudi filia Friderico nuptum data, cum dotali Sicilià, donec ipſi Sardinia, quam Bonifacius, in pretium opis datæ, Iacobo dederat, aut Regnum aliud, eiuſdem ope Bonifacii, obtigiſſet. Sic demùm ſacris redditi Siculi ſunt; & quod ipſis potius, iugo Francico exempti. In hoc vno damnum paſſi; quod Sicilia donec in Aragonii manu eſſet, non Sicilia diceretur ſed *Trinacria*: quaſi curaret ille de nomine, qui rem tenebat, aut ob id vnum per tot bella, tantum ſanguinis, variis in regnis, terra marique fuſum eſſet, vt ſuum Inſulæ nomen adimeretur, non vt ipſa prędonibus. *Pax.* *Sicilia Trinacria*

## CAPVT XL.

### *Celeſtinus abdicans.*

SIcula diſſidia Cardinales ipſos traxerunt ad partes, & poſt Nicolai IV. mortem, ex Peruſino conclaui, militaria propemodum caſtra fecerunt. Dum enim Columnenſes illinc, iſthinc Vrſinii ſuę factionis Pontificem volunt; vltra biennium nullum faciunt. Nimirùm, vt tam diuturnà contentione, ille tandem præficeretur omnibus, qui omnium minimè voluerat. Fuit hic Petrus à ſeceſſu Murhonius, à di-

*Celeſtinus.* gnitate, an à virtutibus, *Celeſtinus*: adeptis Inſulis percelebris, vt quas nolens induerit: relictis mirabilis, vt quas volens exuerit. Eremiticæ, quam ex Gregorii X. ſuffragio in Lugdunenſi Concilio inſtituerat (inde *Celeſtini*) innutritus vitæ, vix Pontificiæ potuit aſſueſcere. Et quia eremum non licuit, ex Aula facere, nec Eremitas ex Cardinalibus; quod maius eſt, fecit ex Pontifice. Onere tam graui ſolutus, ſolitudinem repetebat; cum juſſu Bonifa-
1295 cii VIII. qui eum, dubium an fraude, exceperat, ad carcerem reuocatus eſt. Tunc primùm in ſolitudine ambitionis alienæ reus ingemuit, donec libertatem, quam hoſtis negauerat, mors indulſit. Quando qui palatium carcere, infulas vinculis mutauerat, viam præmonſtrante mirabiliter Cruce, euolauit in cælum; & litem, quæ diu
1236 curioſos anxit, an licitè abdicaſſet, diremit. Nec enim Tiarâ grauis aureâ, tam expeditè euaſiſſet ad ſidera.

## CAPVT XLI.

### *Diſſidium inter Bonif.* VIII. *& Philippum Pulchrum Franciæ Regem.*

VVlpem egerat in aſſequendo Pontificatû Bonifacius, in adminiſtrando Leonem egit, vt Celeſtini vaticinio fides conſtaret. Hinc in Gibellinos ita ſæuus, vt duos Cardinales Columnios exauctorauerit; Saram ejuſdem familiæ principem excisis ejus oppidis

oppidis, in exilium egerit; & ad Prochytum Spinolam Genuenſem Archiepiſcopum, injecto, in ſacris Cineralibus, in os cinere dixerit, *Memento, quia Gibellinus es, & cum Gibellinis in puluerem reuerteris.* Quid erat hoc; niſi abuti ſacris, ad ſacrilegia? In Gallias quoque diſcordiarum ſemina tranſmiſit. Occaſio injuncta minaciter Regi (is erat Philippus Pulcher) ſacra in Orientem expeditio, per Bernardum Apameenſem Epiſcopum. Hinc enim ad carcerem miniſter importunior; & Boni- 1298
facij, qui nihil quàm Regis culpam maluerat, conqueſtio, & anathema, per Iacobum de Normandis Narbonenſem Archi- 1299
diaconum. Vt haberet quem hoſti exacerbato opponeret, Albertum Auſtriacum Imperatorem ſuffragio dixit; eique inſuper Franciæ Regnum adjudicauit. Non difficilè nempe credebat facere Exregem, qui tam facile fecerat Expontificem. Libe- 1300
ralitatem de alieno Albertus riſit, & Philippus vltus eſt; ſeu dum ne Romam deferrentur è Regno pecuniæ, edixit; ſeu dum per Saram Columnium (quem à Pyratis 1302
interceptum, & actum ad Remos redemerat) & Guihelmum Nogaretium, ipſum Pontificem Anagniæ intercepit. Eâ contumeliâ ita concidit animo acer Pontifex, vt breui poſt, ex concepto mœrore, Romæ ob- 1303
ierit. Facti audaciam excuſaret Bonifacii in Regem potentiſſimum, & nunquam malè de Eccleſiâ meritum temeritas; ſi ſacra, vel in indigno, dignitas violari poſſet ſine ſacrilegio. Præſtitiſſet injuriarum aliquid

ab imperioſo pati; quàm majeſtatem tueri ſacrilegio.

## CAPVT XLII.

### *Sedes Pontificia translata in Gallias & Romam reducta.*

1304 MOrtuo Benedicto, qui Bonifacium exceperat, ſucceſſoris electio diu Cardinales diſtinuit. Dum enim Matheus Rubeus, & Neapoleo Vrſinus, partium Duces, è ſuis quiſque Pontificem cupiunt, ſino Pontifice diu Eccleſiam ſinunt. Conſtitutum itaque vt è tribus Gallis, quos propoſuiſſet Mathei pars; quem mallet altera, intra diem quadrageſimum, Papam diceret. Re per internuncium cum Rege Philippo communicatà, eligitur, ſub Clementis VI nomine Bertrandus Agutius Burdegalenſis Archiepiſcopus, ſpe dignitatis propoſitâ, in verba Regis prius adactus. Haud gratam Deo fuiſſe prophanam negotiationem ſpectaculo triſti probatum: quando Lugduni vbi, nouo more, Pontifex inauguratus eſt, ex caſu muri multitudinis onere collapſi, vix euadentibus Franciæ, Angliç, & Aragoniæ Regibus; Ioannes Dux Britanniæ, inter alios, obrutus eſt; ipſe Pontifex excuſſus equo, incolumis quidem euaſit; at magni pretii gemmam è Tiarà triumphali, quæ ipſa ceciderat, euulſam eſſe, nec repertam indoluit. Quanto ſæpe oneri eſt magnus honos! Promiſſa quæ præter Religionem fecerat nouus Pontifex, magnam partem, religioſè impleuit. Hinc exigen-

*Contentio pro Pontificatu.*

1305 *Eius nundinatio.*

*Ruina.*

dì ab Eccleſiis tributa, facta copia; & violatores Bonifacij in gratiam recepti: eius tamen damnare memoriam, & facta reſcindere auſus non eſt; ne ex ſuâ in Deceſſorem iniuriâ, jus in ſe poſteris faceret. Nec id, opinor, quamquam promiſſum, vehementiùs Philippus exegit: humanitatis enim eſſe credidit parcere ſaltem defuncto, quem viuum, ſpecie quadam juris, violauerat. Enixiùs vrgebat Rex, vt ex pacto, dignitas Imperatoria Carolo Valeſio deferretur: quaſi crederet licitum eſſe Clementi alienum ſibi dare; qui non licitum Bonifacio putauerat, ſuum ad alios transferre. Nimirùm hæc vna ſæpe primatum æquitas eſt, omnia ſibi in alios, nihil aliis in ſe permittere. Rei difficultate Clemens territus, Henricum Lucemburgium clam Alberto ſuffici curat; Regis ambitionem quieturam ratus, ſi ambitionis præmium alterius in manu cerneret. Sed qui Germaniam non auſus eſt facere Francam; quod maius eſt, Romam fecit, tranſlatâ Auenionem Sede Pontificiâ. Sic paria cum Rege fecit, ſacrâ ſede eius in arbitrio poſitâ; cuius ex arbitrio ſacram dignitatem acceperat. Ad illam tranſmigrationem, quam Itali dixere Babylonicam (nam & ſeptuaginta annorum fuit) Orbis Chriſtianus inhorruit. Dederat equidem Vrbanus V. cum aliorum, tum Petrarchæ precibus, vt Vrbem repeteret; ſed vt triennio poſt, in Galliam remearet. Maluit feſtinatæ mortis ſubire periculum; & ſchiſmate ſcindi Eccleſiam, ſe ſublato; vt nimis vero va-

*Sedes Pontificia Aueniòne.*

ticinio D. Brigitta & Petrus Aragonius præſagierunt, quàm conceptæ ſemel libidini non acquieſcere. Eius pœnam vt effugeret Gregorius XI. DD. Brigittæ & Catharinæ Senenſis monitis obſecutus, Italiam repetiit: nec vltra paſſus eſt Romam eſſe ſine capite; ſine quo, Caput Orbis Roma eſſe non poteſt.

## CAPVT XLIII.

### *Pontifices ſæculi decimi-tertii.*

*Innoc.III.* CLXXXI. *L.1.c.31.* INnocentius III. antea Lotharius, de Comitibus ſigniæ, Cæleſtino, ipſo die obitus, ſuffectus ab Othone, aduerſus Philippum Henrici demortui fratrem, Imperium ambiente ſtetit, ſucceſſu alibi dicto. Tum ei ob ſacrilegia abdicato, Fridericum II. Henrici filium ſubſtitui curauit. Dominio Eccleſię magnâ ex parte recuperato, ad fidei & obedientiæ ſacramentum Imperatori hactenus præſtari ſolitum, Vrbis Præfectum admiſit. Nec ante Friderico Siciliæ Regnum ſuo ſuffragio aſſeruit, quàm priuilegiis à deceſſoribus, non ſine magno ſacræ dignitatis opprobrio expreſſis, renunciatum eſſet. Vt Philippus Rex Franciæ, vnà cùm Regno ſacris interdiceretur, in Viennenſi Concilio juſſit; donec dimiſſâ pellice, ſponsâque receptâ reſipuiſſet. Legionenſem & Luſitanum Reges anathemate perculit, ob inceſtuoſum filiæ Regis Luſitani cum Legionenſi conjugium. Sacram in Orientem expeditionem promouit, ſed quam

Venetis ad expugnandam Iaderam, & Imperatori Byzantino aduerſus Alexium tyrannum, impenſum auxilium aliò diuertit, ſucceſſu alibi memorato. Calojoannem Bulgarorum Regem per legatum coronâ inſigniuit: ipſe per ſe Romæ Petrum Aragoniumqui ſe poſthac Eccleſiæ futurum Beneficiarium profeſſus eſt. Ioannem Angliæ Regem ſe etiam vnà cum Regno Eccleſiæ Romanæ obnoxium fore ſpondentem, aduerſus rebelles & Francos fouit: cum tamen ipſum antea, ob ſacrilegia, vnà cum regno, ſacris interdixiſſet; & Philipum Franciæ Regem, eiuſque filium Ludouicum aduerſus ipſum, tamquam aduerſus exceratum, tranſlato ad ipſos regni dominio concitaſſet. Raimundum Tholoſæ Comitem Albigenſium patrocinio reum ſacris moueri, tum pænitentem apud S. Ægidium reſtitui juſſit: denique relapſum per legatos, & Simonem Monfortium ditione ſpoliari. Ordines S. Trinitatis, SS. Dominici & Franciſci. Hoſpitalariorum S. Spiritus, approbauit. Cœnobitas alios paſſim priuilegiis auxit; non prætermiſſis Præmonſtratenſibus, qui ſoli ad ea petenda non induxerunt animum.

*L. 1. c. 1.*

*Aragonia Eccleſiæ obnoxia.*

*Item Anglia.*

*Ordines Sacri approbati.*

*Moderatio.*

Plurimos paſſim ſortis diuerſæ, ad Chriſtianæ vitæ leges & officia hortatus, ne Eccleſiæ in Oriente iura prorſus intercideret per vim Saracenicam, & in Occidente per hæreſes deſudauit, indicto generali apud Lateranum Concilio. In eo plurimis aduerſus hæreſes, & pro Eccleſiaſticâ diſciplinâ ſapientiſſimè conſtitutis, ſacra in Orientem

expeditio decreta eſt. Ne verò contumax inter Piſanos & Genuenſes bellum intercederet, ad pacem inter illos conciliandam enitendum ſibi eſſe cenſuit. Sed ex laborum improſperè cedentium tædio, dum Piſis re infectâ regreditur, Peruſii extinctus eſt, anno regiminis 18. m. 6. d. 9.

1216 16. *Iul.* *Honor. III* CLXXXII. *Honorius III.* antea Cenſius Sabellus, Canonicus Regularis & Cardin. proximâ ab Innocentii obitu die, Pontifex dictus, nequid prophani primas dignitatis ſacræ curas pollueret, ſtatim ſacrum Dominicanorum Ordinem approbauit, & vt ex ipſo ſacri palatii magiſter aſſumeretur inſtituit. (*Dominicani.*) Nec diu poſt Ordines S. Mariæ à *Mercede*, & Auguſtinianorum quorumdam approbatos voluit. (*Auguſtiniani.*) Petrum Courteneium in Imperatorem Byzantinum Romæ inunxit. Id verò decoris pro Occidente non ante indulſit Friderico II. quàm ad bellum Syriacum aduerſus Mahometanos, quod tunc maximè per varias legationes vrgebat, voto ſe adſtrinxiſſet. (*orientalia curat.*) Nempe vt bis impius proderetur; cum & res Eccleſiæ conuelli impunè in Oriente ſineret; & voti Religione poſthabitâ, non Pontificis tantùm monita, ſed intentata etiam anathemata contemneret. Felicior eius multò fuit pro Borealibus ſollicitudo, quorum Eccleſias latiſſimè diffuſas per Legatum Gregorium Creſcentium Cardinalem vberrimo fructu ordinauit; (*Et Borealia.*) paſtorali interea curâ à vicinoribus Eccleſiis non ſubtractâ, & ad obitum vſque

1227 16. *Mai.* indefeſſè productâ, qui obtigit anno Pontificatus 10. m. 8.

*Gregorius IX.* antea Hugolinus Anagninus Innocentii patruelis è familiâ de Comitibus. Statim Honorio ſuffectus Fridericum ad ſacrum bellum hortatus eſt, & quia monitis non paruit, anathemate coëgit. Mouit ergo in Syriam, ſed apparatu, qui execratum deceret, commotis nimirùm aduerſus Gregorium Romanis, & ditione Pontificiâ in tranſitu direptâ. Reuerſus tamen poſt erubeſcendæ pacis ignominiam, de qua alibi, ſacris reſtitutus eſt. Sed vt ob noua ſacrilegia, quæ alibi perſtricta ſunt, ex ipſis rurſus eiiceretur. Cum interea Papa poſt diuturnam populi in rebellione contumaciam intra vrbem cum omnium fermè plauſu exceptus eſt, ac vt communis omnium Pater tandem agnitus, qualem ſe erga miſeros, exundante per vicos Tiberi, & vix decimum quemque peſte diriſſimâ relinquente, indefeſsâ curâ, & liberalitate inexhauſtâ probauerat. Vt Eccleſiam, quam & ab externa Saracenorum in Oriente tyrannide, & ab interna in Occidente Friderici perfidiâ ſtrenuè vindicauerat; legibus etiam firmaret; varia Pontificum decreta pluribi ſparſa, in vnum quaſi corpus colligi curauit à Raymundo Pennafortio, quem Capellanum ſuum & Pœnitentiarium eſſe voluerat, vt non minùs Romanæ curiæ, quàm Dominicanæ familiæ ornamentum eſſet. Denique vt efficacius Eccleſiæ tùm paci, tum decori conſuleretur; generale Concilium Romæ indixit. At ad interceptorum præſulum, qui proficiſcebantur ad Concilium, ex ſacrilega Piſanorum audacia, nuncium, conta-

*Greg. IX.* CLXXXIII 1227 *20. Mart.*

*Decretales.*

1241 beſcens, interiit anno Pontificatus 14. m.
22. *Aug.* 5. d. 3.

*Celeſtinus IV.* Caſtilioneus Mediolanen-
*Celeſtin. IV.* ſis, Altacumbæ monachus, Gregorio ſuffe-
CLXXXIV ctus ad dies 17. Eccleſiam in interregno ad
1241 duos fermè annos reliquit; Cardinalibus ob-
22. *Sept.* firmatis non ante Pontificem Eccleſiæ dare,
quàm Fridericus, quos Cardinales habebat
in vinculis, liberos dimiſiſſet. Eoque tandem
per Balduinum Imperatorem Conſtantino-
polit. euicto, electus eſt, Sinibaldus Fliſcus
*Innoc. IV.* Genuenſis ſub *Innocentii IV.* nomine. Hic
CLXXXV. ſtatim non alios tantum principes electionis
1243 ſuæ certos ex more fecit; ſed ipſum etiam
24 *Iun.* Fridericum, eumque ad pacis conſilia æ-
quis conditionibus flectere conatus eſt. Sed
cum ad fraudes alias, illam etiam adderet,
vt ipſum Pontificem, non procul à Româ,
quò pacis promouendæ ſpecie acceſſerat,
vnà cum Cardinalibus intercipere medita-
*L. 1. c. 3.* retur; Genuam primò, tum in Gallias Pon-
tifex euaſit, ibique in generali Lugdunenſi
Concilio, perfidum Imperio abdicat, euen-
tu alibi dicto. Quamuis igitur execratus
Fridericus in Germaniâ & Italiâ; per ſuos
*Gibellinos*, qui tunc ceperunt innoteſcere,
omnia permiſceret; non tamen ab aliis
Pontifex ſuperſedit. Nam & Aragonum
Regem, ob euulſam Gerondenſi Epiſcopo
linguam ſacris mouit, & Caſtellæ Regem
à promouendo ad Epiſcopatum filio adhuc
iuniori prohibuit, & Ruſſorum Ducem ti-
*Zelus in-* tulo Regis inſigniuit; & miſſis ad Tartaros
*defeſſus.* fidei præconibus ad Eccleſiæ ipſos leges ad-
ducere conatus eſt. Et D. Ludouicum in
Ægypto

Ægypto captiuum per literas ſolatus eſt. Mortuo demùm Friderico Italiam repetiit: ac Romæ tandem inteſtinis ſedatis motibus receptus eſt. Sed noua diſſidia Brancaleone concitante, aliò digredi coactus eſt. Tum mortuis Friderici filiis Neapolitanum Regnum Eccleſiæ aſſerturus, Neapolim conceſſit, cum omnium ciuium atque adeo ipſius Manfredi, de quo alibi, plauſu. Sed à Manfredo, qui pacti oblitus ad Saracenos, transfugerat quorum aliquæ reliquiæ in Calabria ſupererant, deleti ſui exercitus nuncio perculſus, ibidem interiit anno ſedis 11. m. 5. d. 14.

*L. 7. c. 24.*

*1254*
*7. Dec.*

*Alex. IV.*
*CLXXXVI*

Alexander IV. antea Raymundus Cardinalis Oſtienſis, nepos ex fratre Gregorii IX. è familia de Comitibus Innocentio ſtatim ſuffectus, Manfredum Sicilia ſibi, & magnâ Apuliæ parte aſſertis, nouâque de Pontificiis victoriâ exultantem ſacris interdicit, jure Siciliæ in Eadmundum Angliæ principem tranſlato. Anathematis etiam incuſſo metu, ne Conradinus Friderici ex Conrado nepos in Romanorum Regem eligeretur prohibuit. In Ecclinum Longobardiæ tyrannum ſacrum bellum indixit, ac piis demùm conatibus obſecundante Deo, Italia ſimul & Eccleſia hoſte truculentiſſimo liberata eſt. Pariſienſem Academiam cum ſacris Mendicantium ordinibus ſapientiſſimè tandem compoſuit. Varias ſub D. Auguſtini nomine piorum ſocietates, concordi fœdere copulatas, in vnum Religioſi ordinis corpus coniunxit.

*Manfredus.*

*Ecclini.*

*Auguſtiniani.*

Ad incurſiones Tartarorum, qui Orientales tum, Borealeſque plagas fœdiſſimè deformabant, indixit vbique litanias; & ad præparanda aduerſus hoſtem adeo atrocem ſubſidia Synodos haberi juſſit. Genuenſes & Venetos ferociter inter ſe Ptolemaide concertantes, componere ſtuduit, vt coniunctas eorum vires, aduerſus communem hoſtem conuerteret. At in ipſo rei feliciter promouendæ procinctu, Viterbii vbi Synodum ad id indixerat, ex tædio quod inſolitæ Tartarorum victoriæ indiderant, dum internecinis mutuo odijs Chriſtiani contenderent, oc-
1261 cubuit, anno Pontificatus, 6. m. 5.d. 4.
25. *Mai.* *Vrbanum I V.* non tam humana ſuf-
*Vrb. IV.* fragia, quàm Dei dextera ad ſupremum
clxxxvii. Eccleſiæ culmen prouexerunt. Nam cum ex
1261 filio ſutoris veteramentarii Tricaſſini, Ar-
29. *Aug.* chidiaconus primò Laodienſis, tum Virdunenſis Epiſcopus, poſtea Patriarcha Hieroſolymitanus, variis Legationibus celebris, Viterbium appuliſſet ad Pontificis mortem; ſubſidia in Orientem promoturus; nec æmulatio pateretur, vt Cardinales, qui octo dumtaxat erant, è ſuo collegio aliquem eligerent; ſtatim omnes quaſi ex inſtinctu in Vrbanum conſenſerunt. Statim in Manfredum arma mouit, ac vim eius veritus in Vrbem veterem ſe recepit. A nuptiis eum Conſtantiâ Manſfreddi filiâ Iacobum Aragonium avertit quantum potuit. Carolum Andegauenſem in ſpem regni Siculi aduoca-

uit. Ne Conradinus in Imperij diſſidio diceretur Imperator, anathematis incuſſo metu prohibuit. Vt quotannis celebri pompâ feſtum corporis Chriſti celebraretur inſtituit. *L.9.c.23.* *Feſtum corporis Chriſti.* A legatione ad ſe à Michaële Palæologo miſſa, in ſpem venit vnionis inter Latinos & Græcos reſtaurandæ: ſed interea excedens an. 3. m. 1. d. 4. locum fecit. 1264 *2. Oct.*

*Clementi IV.* qui ante Guido Groſſus primò coniugatus, tum Archidiaconus & præſul Anicienſis, deinde Narbonenſis; poſtea Cardinalis, ac tandem ſummus Pontifex. *Clem. IV.* *XCXVIII* 1265 *5. Febr.* Moderationis Chriſtianæ adeo tenax fuit in ſupremo illo apud Chriſtianos culmine, vt cognatos ad ſe non accitos venire prohibuerit: filias ſuas non alias expetere nuptias permiſerit, quàm quæ ex natalium ſorte decerent: *Moderatio.* Nepotem ex fratre canonicatus tres habentem, vnico contentum eſſe iuſſerit. Carolo Andegauenſe in Regem Siciliæ inuncto, Manfredi tyrannidem excidit. Conradinum in Italiam cum copiis ingreſſum anathemate perculit: Carolum Imperii in Italiâ vicarium, ſeu pacis publicæ vindicem conſtituit. *Regnum Siciliæ in Andegauenſ. transfert.* Multos præſules qui à Manfredo ſteterant abdicauit. Demùm cum maximâ ſanctitatis apud omnes opinione exceſſit anno Pontificatus 3. m. 9. d. 25. 1268 *20. Nou.*

Tertio fermè ab obitu Clementis anno, à ſex Cardinalibus, quibus alij ius electionis tranſtulerant, Viterbii tandem promotus eſt Thealdus Vicecomes Archidiaconus Leodienſis, & tunc in Oriente 1271 *1. Sept.*

res Eccleſiæ vtcumque ſuſtentans. Statim
*Greg. X.* *CXCIX.* poſt reditum accepto *Gregorii X.* nomine
omnes vbique principes & præſules ad Concilium Lugduni indicendum paratos eſſe juſſit; italicis intereà componendis diſſidiis
*Concil. Lugdun.* incumbens, & Mediolanenſes, ob excluſum Archiepiſcopum ſacris interdicens. In
Concilio initâ cum Græcis concordiâ, ſtatutum eſt, vt pontifice defuncto Cardinales è conclaui non diſcederent, donec alter
eſſet electus. Prohibita eſt nouorum Ordinum inſtitutio Pontifice inconſulto; ac in
Orientem expeditio decreta. In regreſſu
Alfonſum Caſtellæ Regem poſthabitum ſe
*Reges Hiſpaniæ.* in Imperio Rudolfo Hampſpurgenſi conquerentem ſolatus Bellocari; Iacobum Aragoniæ Regem, nec in ætate decrepitâ
ab alienis vxoribus abſtinentem anathematis metu corripuit; eàque pœnâ plexuit
Alfonſum Luſitaniæ Regem, ob ſacrilegia, & non ſolutum Eccleſiæ Romanæ debitum cenſum. Florentiam demùm ita ingreſſus eſt, vt ſtatim exierit, interdicto,
quod ob ſacrilegia, & violatam pacem
quam ſtatuerat, ejectis Gibellinis incurrerat, non ſublato. Denique, cum in expeditionem Syriacam totus incumberet,
Aretii obiit, anno ab electione 4. m. 4.
1276 10. Ian. d. 10. miraculis claruiſſe dicunt.

1276 21. Ian. *Innocentius V.* antea Petrus de Tarenteſia ex S. Dominici ordine Lugdunenſis præ-
*Innoc. V.* ſul, Cardinalis, ac demùm Papa menſe ab
*CXC.* electione 5. die 2. obijt. Ei ſubſtitutus
ſub.

*Hadr. V.* *CXCI.* *Hadriani V.* nomine Othobonus Fliſcus

Innocentii IV. frater qui poſt 37. diem nondum preſbyter occumbens locum reliquit *Ioanni XX* Luſitano quondam medico, qui poſt octo menſes recentis ruinâ cubiculi dormiens obrutus eſt. *Ioan. XX* CXCII.

*Nicolaus III.* ex Vrſinorum familia poſt ſextum interregni menſem ei ſuffectus ad Tartarorum Principem, qui ſe per legatos fidei Chriſtianę cupidum eſſe ſignificauerat, Minoritas aliquot, quibus impensè addictus erat, miſit: Græcos per Legatos in vnione & obſequio continuit. Carolum Andegauenſem priorum Pontificum beneficio Siciliæ Regem, ſiue libertatis Italicæ ac Eccleſiaſticæ ſtudio, ſiue pronıori in ſuos, quos à Carolo ſpretos eſſe indignabatur, affectu, Senatoriâ in vrbe dignitate, ac Imperii in Italia vicariatu exuit; & vt in Sicilia Franci trucidarentur aſſenſus eſſe dicitur; vt quæ Imperatores Eccleſiæ conceſſerant, à Rodulfo rata haberentur euicit. Gibellinorum itaque auxilio Exarchatu, bona Etruriæ parte, aliiſque non paucis potitus de Imperio in tetrarchias diuidendo conſilium dicitur iniiſſe; ac Rudolfo relictâ Germaniâ, eiuſque filio Arelatenſi regno attributo, Ethruriam vni ex ſuis nepotibus, Longobardiam alteri, cum regali titulo addicere: At arduum illud opus, & prophano magis Principe dignum, quàm Pontifice, Viterbii mors abrupit, anno 2. m. 8. d. 28.

*Nicol. III* CXCIII. 1277 *25. Nou.*

*In Carolum Andeg. iniquus.*

*Ingens molitio.*

1280 *21. Aug.*

Cum poſt Nicolai obitum in factiones diſtracti Cardinales, ſexto iam menſe neminem elegiſſent, Ricardus Hannibaldus 1281 *22. Feb.*

Viterbii præfectus pertractis conclauis foribus, & cuſtodiæ traditis duobus Cardinalibus Vrſiniis, eligi curat Simonem de Bria
*Martin. IV. CXCIV.* Gallum, ſub nomine *Martini IV.* Hic ſtatim priſtinæ dignitati reſtituto Carolo, & in gratiam receptis Viterbienſibus atque præfecto, qui Conclaue violauerant, Francorum auxilio ditionem Eccleſiaſticam ab inuaſione Guidonis Montisfeltrii vindicauit. Palæologum vſurpati Imperii reum diris deuouit, vt deliberata in eum à Carolo expeditio juſtior videretur. Petrum Arago-
*Aragonius abdicat.* nium ob inuaſam Siciliam contrucidatis Francis, anathemate perculſum proprio regno abdicauit, ipſius jure ad Carolum Valeſium tranſlato. Caſtellanos Sanchium Alfonſi patris è ſolio dejecti Reum in rebellione ſecutos ſacris interdixit; vt & Siculos qui cæſis Francis aduerſus Carolum rebellauerant: obiit anno Pontificatus 4. m. 1. d. 7.
1285 pietatem eius Deo per miracula atteſtante.
*29. Mar.* Nec opera abnuerunt. Cum inter alia nepoti ad eum poſt electionem accurrenti, nihil aliud quàm viaticum ad regreſſum
*Moderatio.* dari voluerit, negans Eccleſiæ bona ad cognatos Pontificum pertinere.

*Honor. IV. CXCV.* *Honorius IV.* antè Iacobus Sabellus Martino ſuffectus, cum ab Aragonio Caroli
1285 Claudi libertatem non impetrat, diras in
*2. April.* eum à Martino dictas redintegrat, eoque mortuo, in filios; ipſum etiam Carolum cum hoſte de pace agere auſum, ſe inconſulto, acri cenſurâ corripuit. Arabicas & Orientales literas in ſtudio Pariſienſi edoceri juſſit, vt qui eos populos fidei legibus poſſent im-

buere, non deceſſent. Carmelitarum, Seruo-
rum, Auguſtinianorum ordinibus confirma- *Ordines*
tis; nouum cui ab Apoſtolis nomen inerat, *approbat.*
in Italia ſubnaſcentem extinxit; extinctus 1287
& ipſe Romæ completo altero pontificatus *3. Apr.*
anno.

Poſt annum fermè ab obitu Honorii ſuffe-
ctus eſt tandem eſt Hieronymus Aſculanus 1288
Minorita, Cardinalis ſub nomine Nicolai *22. Febr.*
IV. Euicit tandem vt Carolus Claudus liber *Nicol. IV.*
ab Aragonio dimitteretur, euentu alibi me- *CXCVI.*
morato. Patriarcham Aquileienſem, graui
in Venetos cenſurâ intentatâ, ab injuria vin-
dicare conatus eſt. Ad Argonum fidei Chri-
ſtianæ cupidum Minoritas aliquos miſit. Li-
bertatem Eccleſiaſticam, in Luſitania Dio-
niſii tunc regnantis tyrannide labefactatam,
in integrum reſtitui curauit. Carolum Clau-
dum in Regem Siciliæ Reate inunxit. Aca-
demiam Monſpelienſem authoritate Apo-
ſtolica inſtituit. Pulſis ex tota Syria La-
tinis ad expeditionem promouendam ſe
totum dedit. Sed nobiles conatus mors
abrupit, anno Pontificatus 4. m. 1. 1292
d. 14. *4. April.*

Poſt interregnum duorum annorum & 1294
trium menſium Cardinales tandiu diſcor- *5. Iul.*
des in *Celeſtinum V.* antea Petrum Mur- *Celeſt. V.*
roni aſſenſiſſe tandem viſi non ſunt, niſi *CXCVII.*
vt eo, quinto poſt menſe dignitatem vl-
tro abdicante oſtenderetur, aliquid e-
tiam in terris eſſe, quod Papatui præ-
ferri tutò poſſet. Ei ſuffectus eſt *Bene-* 1294
*dictus* Caietanus Cardinalis ſub nomine *24. Dec.*

*Boniſ. VIII.* *CXCVIII* *Boniſacii VIII.* annitente Carolo, ſpe Siciliæ ipſius auxilio recuperandæ. Inde Siculi hoſtes Eccleſiæ iterum dicti ; & à gratia etiam jubilei, quod centeno quoque anno celebrari juſſit, excluſi ; vt *l.8.c.40.* & Columnenſes, in quos, vt poſtea etiam in Francos, ferociter deſæuiit. Quæ cum alibi commemorata ſint, hic non
1303 *11. Octob.* attexo. Rexit Eccleſiam annos 8. m. 9. d. 18.

# FLORI CHRISTIANI LIBER NONUS.

## CAPVT PRIMVM.

### *Imperium Occidentis à Rodolpho reſtitutum.*

ABDICATO Friderico, non potuit non fluctuare Imperium; cum diu vel nullo, vel incerto capite, aut ſponte colaberetur in præceps, aut ſua ipſum membra propellerent. Actum de ipſo erat; ni eius adminiſtrandi cura in *Rodolphum* Hambſpurgenſem incidiſſet. Vix dicas quare *Septemuiri* hunc, quem infra ſe genere, & opibus habebant, ſupra extulerint, niſi quia meruit. Ei præmium pietatis eſſe debuit; imperare: vt Friderico, & aliis, impietatis pœna fuerat; abdicari. Pro documento ſit equus, quem ſacerdoti ſacrum Viaticum ad villam deferenti; inter Venandum dedit: qui vt argumentum virtutis, ſic & imperii pretium fuit. Nam ſecutus ipſe

1273. *Rodolphus Imper.*

*Ob pietatem,*

pedibus, vnà cum famulo (cuius & equum
1251 ſacerdotis miniſtro dari voluit) non jam terrenum aliquem principem; ſed Principum Arbitrum Deum inuenit in tugurio, non tam ægrotam fœminam, quàm vatem, quæ ſibi præſagiret Imperium. Felix venatio! tùm maximè, cùm piiſſimè intermiſſa; vt quæ nihil minùs, quàm Aquilam, illamque Imperialem interceperit: & ex venatore fecerit Imperatorem. Vt quando noſtras ad clades emergebat in Oriente Othomannorum potentia, excitarentur in Occidente præſidia, quæ vindicarent. A Rodolpho enim orti *Auſtriaci* Principes; qui illinc in Germaniâ & Hungariâ, iſthinc in Italiâ, Africâ, & Hiſpaniâ, velut aggeres objecti Turcas excluderent, & olim (ni decus id ſibi Franci præripiant) exſcinderent. Nouus Imperator, vt quæ bellis collapſa fuerant in integrum reſtitueret; pacem fecit, dubium an honeſtam; certè neceſſariam. Nec ei verti poteſt in crimen, quod Exarchatum Pontifici ceſſerit; Florentinos, Piſanos, Genuenſes, & alios vel liberos dixerit, vel paſſus ſit, & quod Dynaſtas plures Vrbibus, quas occupauerant, ſub Vicariorum nomine præeſſe permiſerit. Prudentiæ tum fuit, nonnulla vltrò cedere, ne diutiùs periclitaretur de toto: & non æquitatis tantùm, ſed neceſſitatis viſum, nonnihil injuriæ pati, quando eò res venerant; vt ſummum jus ſine ſummo diſcrimine tueri non poſſet.

*Vaticinium.*

*Pacem fecit in Italia.*

## CAPVT II.

### *Anacephalæoſis de motibus Italicis.*

HOrret animus ad clades, quas per interregnum, & antea Italia paſſa eſt; ſuorum& diſcerpta manibus;& imbuta ſanguine, & oſſibus horrenda. Fidem ſuperat; quo tùm furore inter ſe *Guelfi* qui Pontificum & *Gibellini*, qui Imperatorum partes tuebantur, ſingulis prope in Vrbibus, tanquam in circo feræ concurrerint. Tot ſedare motus Rodolfus voluit, cum vel libertatem Vrbibus, vel Vrbes Proceribus dedit, ſed adauxit. Tunc in partes ſciſſa Italia triſtibus nimis experimentis didicit, *haud bonum eſſe, pluris eſſe Dominos.* Quę tum recruduere diſcordiæ! quando, reciprocanti ſępe victoriâ, ſe mutuò extrudebant. Cæci quibus etiam de victoriâ dolendum erat: vt quę per impietatem parta, quibuſdam Proceribus eſſet gradus ad tyránnidem, ſub quâ & victores gemerent. Quippe nouis Dionyſiis ludus erat; popularium partem vel exſcindere, vel ejicere, vt alteri præeſſent. Vnde liberis etiam in Vrbibus, inter ciues frequens lanienа. Inde *Scaligeri*, qui Veronam; *Carrarij* qui Ticinum, *Bonacoſij* qui Mantuam; *Vicecomites*, qui Mediolanum, & alij qui alia inuaſerant, ſæpius inter ſe commiſſi, fines ſuos finitimorum excidio propagabant. Cum inſuper ſuperfudiſſet oleum incendio Ludouicus Bauarus, nec adeſſent Pontifices, in Gallias tum digreſſi, qui pro virili extinguerent, Non jam Orbis hortus erat Italia,

& humanitatis ſchola; ſed Martis ludus, Cyclopum Academia, & furoris, vt ſic dicam, officina. Hæc etiam, quia ſacris & Eccleſiaſticis permixta, referre placet.

## CAPVT III.

### *Florentinorum diſſidia, & bellum in eos Prophano-ſacrum.*

Diuulsâ per factiones Italiâ, ſic Imperatorem illi, Pontifices iſti ſecuti ſunt, ut inter ſe magis diſſenſerint. Se mutuò potiùs oderant *Guelfi* & *Gibellini*; quàm ſuos quique Principes amabant. Nec publica factionis nomina vtrimque ſonabant, niſi ad privata vel exſaturanda odia, vel commoda quærenda. Id in Florentinis quàm manifeſtum'ne parùm opinor; ſe Guelfos proderent, Pontifices ejurarunt, & à Gregorio X. *Florentini ſacris moti.* Bonifacio VIII. & Benedicto XI. ſacris maluerunt interdici, & ab omnium communione Chriſtianorum per anathema ſejungi, quàm cum Gibellinis conciuibus per pacem jungi. Quin & eos Piſtorium profugos cum
1306 Lucenſium auxilio inſecuti; (nam Robertus Calabriæ Dux, & alij fœderati ad monita Clementis V. diſceſſerant) eam demum Vrbem ſolò equarunt: quaſi omni ex eo miſericordiâ indignam ſe præſtitiſſet, ex quo *Vexant Gibellinos.* miſericordem ſe erga calamitoſos præbuerat. In hos accitus à Pontifice Henricus VII. Imp adeo non ſopiuit diſcordias, vt adauxerit. Quippe Henriciani quodam nominis fato, ſpecie conſtituendæ pacis, rem Pontificiam exciſum ibat. Ipſi nimirùm pax erat,

non ſupereſſe Guelfos, in quos pugnaretur. Quamquam ad eorum forte ſolatium, in Gibellinos quoque minùs alicubi morigeros ſæuitum etiam ſit. Indignabatur, opinor, à ſuis ſibi moras objici, qui ex Mathematicorum præſagio; quantumuis eſſent obluctaturi hoſtes, omnia vſque ad *caput mundi* erat peruaſurus. Nec fefellit argurium; etſi nec Robertum Regem, quem ſententiâ exauctorauerat, Neapoli eiecerit; nec Florentiam, quam obſederat, expugnauerit; promiſſi fidem in *Saluiano*, prope Florentiam, hoſpitatus nouit: quando eo in pago angiportum eſſe, nomine *caput mundi*; didicit. Egregium tanti vaticinii operæpretium! talia nempe ſunt talium fermè promiſſa. Verborum magna ſonantium inuolucro, inania inuoluunt. Interea enim deluſus Imperator, relictâ Florentia; cum in Calabriam, in quam jam Fridericum Siculum; & Genuenſes inſtigauerat, iter inſtitueret: *Bonocowenti* prope Senas occubuit. Opportunè! nam poſt *caput mundi*, quid attentaret. Dicunt eum obiiſſe veneno, quo ſacram ipſi miniſtrandam hoſtiam quidam infecerat. Id ſi verum; non ſine magno miniſtrantis ſacrilegio; ſed non extra meritum recipientis. Quidni enim ei ſint ſacra pro veneno, qui ſi viueret, ſacris venenum futurus erat?

*Vati.iniū fatuum.*

1313 *Henrici* VII. *mors.*

## CAPVT IV.

### *Noua Florentinorum, diſsidia & bellum in eos Prophano-ſacrum.*

HOſte illo ſublato non propterea data quies Florentinis. Non debuerunt eſſe ſine hoſte, qui ſe Dei hoſtes per contemptum Pontificum ſæpe prodiderant. Illos
1315 itaque primùm *Huguitio* Piſarum & Lucæ Dominus, ad montem Catinum fœdè pro-
*Florentini caſi.* fligauit: tùm *Caſtruccius Caſtracænis* Lucæ, poſt Huguitionem, tyrannus eorum attritis copiis, Raimundum Cardonium ducem in
1325 vinculis habuit. Nec dum tamen pacem pati dociles, vt à Piſanis iterum profligarentur. Nec mollius habiti à Gualtero Brennâ; cui
1343 vitæ mortiſque arbitrium in ſe dederant; à Ludouico Bauaro Pontificis hoſte, & ſuo auxilium petere non erubuerunt. Febrientes dicas, quibus pro ſanitate eſt morbi mutatio. Quid quod irroborante per clades, in impietate pertinaciâ; non ſemel intereà Ec-
*Interdicti* cleſias violarunt. Inde ſacris moti, & vbique terrarum proſcripti, interuentu *Catharinæ Senenſis*, Auenionem propterea profectæ, à
1376 Gregorio XI. non impetrauere veniam; niſi vt maiori perfidiâ relaberentur ad culpam. Felix tamen culpa, quæ redeundi Romam Pontifici occaſio fuit. Cum enim ſub Cardinalis Gebennenſis auſpiciis non ſatis ex voto arma procederent, & omnia ſi Vrbem repeteret, fauſta promitterent Diuæ *Brigita* & *Catharina*, Italiam contendit. Vacillauit tamen Prophetantium fides, cùm

erduelles ; violatâ interdicti reuerentiâ, & dactis ad obeunda ſacra Clericis, ob non Pontif. Romam redit. mpetratam veniam, culpam auxerunt. Nec nunc redierunt ad officium ; quàm mortuo Gregorio, Vrbani VI. Pontif. in Schiſmate, quo in Antipapam promotus eſt Cardin. Gebennenſis, ſub nomine Clementis VII. partes ſecuti ; illud ipſum officium fidelium bona pars exuiſſet. Quanta in conatibus ho- Schiſma. minum impiis, Dei bonitas, & ſapientia : Rebellandum Florentinis fuit ; vt ſuum Eccleſia caput Romæ rurſum videret : periclitandum Eccleſiæ ; vt Florentini extra periculum ponerentur.

## CAPVT V.

### *Bellum Propbano-ſacrum in Eccelinum Marchiæ Taruiſianæ Tyrannum.*

NOn minora interea diſſidia miſcuere Longobardiam ; quam varij Reguli inter ſe partiti, non horruerunt proſcindere, dum in prædam pars cederet. Omnium atrociſſimus *Ecclinus* fuit, quem verè 1226 Ecelinus flagellum dixerim Dei : cum ex viri pij vaticinio conſtiterit, excitatum eum eſſe Dei nutu ; vt Taruiſianorum ſcelera, per hominum ſceleſtiſſimum vindicarentur. Nam Taruiſij, Veronæ, Vicetiæ, Patauij, & aliorum penitus tyrannide, prouinciam pulcherrimam cædibus, prædis, ſacrilegiis, ſpreto ſæpius Pontificum anathemate, quadraginta prope annos truculenter euaſtauit.

Vrbes olim & rerum copiâ, & incolentium
*Clades.* humanitate beatas, non vltra volebat eſſe
ciuium domicilia; ſed latronum ſpoliaria,
& ferarum latibula; cum ſi qui erant huma-
nioris ingenij, vel in fugam ageret, vel vin-
culis addiceret: vel per inaudita cruciatuum
genera trucidaret. Ipſe tamen ſubiit ali-
quando periculum à Montio Monteſilice
Nobili Veronenſi: quem vnà cum fratre
Araldo morti addixerat. Nam ex deſpera-
tione audacior, in eum, qui ad vocem altiùs
conquerentis de iniuriâ inermis accurrerat,
irruit; ac in terram dejecit, & cum eius cul-
*Audacia* trum, quo ipſum conficeret, non reperiſſet,
*ex deſpe-* vnguibus, dentibus, calcibus totum defor-
*ratione.* mauit; iis etiam dubio procul armis homi-
nem confecturus, ni accurrente ad ſtrepitum
ſatellitio, athleta nobilis; nec inultus, con-
cidiſſet. Nec diu poſt validis Crúceſignato-
rum copiis ſuccintus Philippus Fontana,
Archiepiſcopus Rauennas, Alexandri IV.
juſſu, & exultum, ac finitimorum precibus;
ei tum alia, tum Patauium eripuit. Nempe
vt inaudito facinore *Sylla* nouus inclareſce-
1256 ret, vndecim Patauinorum millibus, quos
*Inhuma-* ſeu obſides, ſeu milites, ſeu captiuos habebat
*nitas.* in manu, intra Veronæ mœnia, quaſi intra
ſtabulum ferarum, immaniter contrucida-
tis; Damnum acceptum redimere, breui
poſt, voluit intercepto *Mediolano*, quò eum
ciues quidam perditi acciuerant. Sed poſt
ſpem fruſtratam, à *Ferrarienſibus*, *Mantua-*
1259 *nis*, *Patauinis*, *Mediolanenſibus*, & aliis;
*Eccelinus* quibus *Azo* Eſtenſis. Hubertus Palauici-
*captus.* nus, Martinus Turrianus & alij præerant,
interce-

nterceptus ipſe, tam amicum ſpectaculum Longobardis patiendo fuit, quàm horrendum diu fuerat, torquendo. Quamquam ex vulnere, inter acriores conſcientiæ morſus, ſine pœnitentiâ præreptus: dici poteſt euaſiſſe pœnam, vt æternum torqueri poſſet. In Alberico ipſius fratre, non diu poſt, intercepto exſaturata ſæuitia eſt: vt quem in octo liberis, ipſius ob oculos miſerè contrucidatis, octies iam cæſum equus indomitus fœdè raptauerit, & non ante totum mors oppreſſerit, quàm per ſingula membra eſſet præmortuus. *Eius frater cruciatur.*

## CAPVT VI

## *Bella Prophano-ſacra in Turrianos & Vicecomites.*

NEc maior ſæpe Guelfis erga ſacra reuerentia, qui nomine Pontificij, re ſupra Gibellinos, ad Pontificum monita non 1217
rarò erant refractarij. Turriani teſtes, qui 1267
vnà cum Mediolanenſibus maluerunt ab Honorio III. & Clemente IV. interdici ſacris, quâm à Placentinorum & Cremonenſium, quod inuaſerant, Imperio; & Othonem Vicecomitem pati Præſulem. Datum quidem ipſis, ad Napi Turriani preces, vt ſacris redderentur: ſed vt continuatâ in *Turriani & Mediolanenſes ſacris moti.*
Præſulem contumaciâ, ex Gregorij X. ſen- 1273
tentiâ, pœnam de integro ferrent, qui tam malè veniâ viſi fuerant: ac demum maiori dedecore ſubderentur, qui tam impiè abu- 1277
tebantur potentiâ. Quippe Victor Antiſtes, cui ſacra diu dignitas negata fuerat, & pro- *Vicecomites.*

phanam obtinuit, atque adeo ad Mattheum
1287 ex fratre Nepotem, ex Ciuium & Rudolphi,
*Præualent & rurſum exulant.* Adolphique Imperatorum ſuffragio, tranſmiſit. Paſſus tamen & iſte vices exilij, vt ex aduerſis dignus Imperio probaretur. Ad hoc vox vna ſuffecerit: quando rogatus per ludibrium Guidonis Turriani nomine, num reditum ſperaret; *Redibo*, inquit, *hercle ſi mei hoſt.s peccata, meis aliquando præponderent?* Audite proceres! & ab exule co-
1302 *Tium reſpenſum.* gnoſcite, qui ſedetis in ſoliis, quis veſtræ ſit author potentiæ, & quam ob cauſam, illam à manu in manum tranſmittat. Quamquam hæc vt optimè ſciuntur in aduerſis: ita maximè negliguntur in proſperis. Iſte certè in aduerſitatis ſcholà tam feliciter eruditus: vbi, pulſo æmulo, per Henricum VII. Imp. reſtitutus eſt in patriam, ex proſ-
1310 peritate deſipuit, vexatò Clero; Archipræſulis anathemate neglecto, & Inquiſitionis ſacræ inperturbato munere, & hæreſeon, vt volunt, ſuſcepto patrocinio. Inde vt in iuratum Eccleſiæ hoſtem, indicta in ipſum ſacra expeditio à Ioanne XXII. Sed quamquam
*Vicecomites interdicti ſatris.* Robertus Neapolitanus, Philippus Valeſius, Genuenſes, Fridericus Auſtriacus, ſpe ſuffragij ſupra Ludouicum Bauarum; cum quo de Imperio contendebat, partem Guelfam ſtrenuè tuerentur, ipſe tamen adjutus à Bauaro, Maſtino Scaligero, Friderico Siculo & aliis Gibellinæ factionis vindicibus, ita feliciter ac ſtrenuè tot inter hoſtes ſe geſſit,
1318 vt pacatis illis, deluſis iſtis, aliis disjectis, & Genuenſibus terra, mari, cuniculis, machinis, ad vltimas non ſemel anguſtias redactis,

Aurianorum, & Spinularum, qui Gibellini erant ſubſidio (cum Guelforum Principes intra vrbem eſſent Fliſci & Grimaldi,) omnium tandem ſuperior euaſerit. An verò qui terreni ſolij adeptione, & tutelâ tam felix fuit, in aſſecutione cæleſtis aberrauerit, myſterium eſt. De hoc tamen & in fine ſollicitus, in filium Galeatium rerum humanarum curâ tranſmiſsâ, totus ipſe in diuinis aliquandiu fuit, & in cœtu populi in templum maximum conuocati, recitato de genu, quantum potuit elata voce, Chriſtianæ fidei Symbolo, ſe verè fidelem & vixiſſe, & mori teſtatus eſt. Vereor tamen vt illo fidei ſeu fuco, ſeu parario, habuerit amicum Deum in morte, cuius Vicarij ſe per vitam inimicum ſemper prodiderat. Vix eſt, vt cœli fores Deus illis aperiat, qui ſuum in terris Clauigerum contempſerunt.

*Trenalenſ.* 1322

## CAPVT VII.

### *Bella Prophano-ſacra inter Viceco-mites & alios Longobardos.*

PAtre nihilo reuerentior Galeatius receptis vrbibus, quas interea Pontificii occupauerant, liberatoque Mediolano, quod duos per menſes obſederant, ipſos hoſtium Duces Henricum Belgam, & Raimundum Cardonium apud Vaprium fudit, & cepit: & maiori victoriâ Raymundum dimiſit, (Henricus Germanorum Galeatio militantium ope effugerat) vt per ipſum Pontificem ſibi conciliaret. Non tamen pax coaluit: Quî enim poterat ille bonâ fide eſſe

*Galeatius Vicecomes Mediolano potitus.* 1324

*Pontificius*, qui ſimul volebat eſſe *Bauari-*
1327 *cus?* At Bauari iuſſu in Carcerem, quem
nouus Perillus Modoetiæ ipſe condiderat,
Furni, ob ſimilitudinem, nomine, vnà cum
fratribus Ioanne & Luchino, filioque Azo
ne, ad criminationes alterius fratris Marci
coniectus edidicit, quid ab eo fidei ſperare
deberet, cui ſuam ipſe vendiderat. Inde illi-
toti Guelfi, & poſt libertatem ad Caſtrucii
preces recuperatam, Azo patri ſuffectus ty-
rannum Romà redeuntem nullibi ſuas in-
vrbes admiſit: quamquam minaretur exci-
*Vicecomites Pontificij.* dium, vrbibus machinas admoueret, & ar-
mis omnia territaret. Sic tandem eiuratâ
perfidi amicitiâ, Pontificiam redemit. At
1329 non propterea ceſſatum à cladibus. In ſuam
enim Germaniam retruſo Bauaro, Ioannes
1330 *Ioannes Bohemiæ Rex.* Bohemiæ Rex Henrici VII. filius in are-
nam Lombardiæ ſucceſſit, eiuſque bonam
partem, nec inuitam, ob Procerum tyran-
nidem, occupauit. Nouum ſibi fundatum
ibat imperium; ni, quà arte ſtabilitum vo-
luit, euertiſſet. Ratus enim ad nouæ poten-
tiæ præſidium, neceſſariam ſibi eſſe Pontifi-
cis gratiam, cum Bertrando ipſius Legato
arctiorem, quam oportuit, amicitiam ini-
uit. Et inde ruinæ occaſio. Suſpicati enim
Proceres, & populi veniſſe ipſum in Ita-
liam, vt ex aſſenſu Pontificis, eius ſibi im-
perium arrogaret, vires iungunt nullo fa-
ctionum diſcrimine, eumque tandem, vnà
1332 cum filio Carolo, qui poſtea Imperator,
qui fœderatos ad S. Felicem ſtrenuè fude-
1333 rat, in Bohemiam repellunt. Sic relicta
nouis Regulis, ad nouas tragœdias, ſcena

vacua. Inter eos Ioannes Vicecomes Mediolanenſis Archiepiſcopus, quaſi ſe parùm prophanum prodidiſſet poſt Luchini fratris obitum, occupato Mediolani politico Imperio; Bononiam quoque Pontificiæ ditionis oppidum inuaſit: nec minis aut diris à Clemente VI. adigi potuit, vt eam dimitteret, quaſi ſuam emendo facere potuiſſet, quam Peppuli, nobilis illa in vrbe familia, non ſuam vendiderant. Certè ipſe non iure venditam cenſuit, quando pro pretio promiſſo, exilia, carceres, mortes, bonorum mulctam, ſub fuco perfidiæ impendit, quamquam nulla dignior perfidis merces. Pax tamen inita tandem, Vicecomitibus relicto Vrbis occupatæ dominio, ſub onere cenſus annui, non ſine Florentinorum, & aliorum ſtomacho, quibus Tyrannorum maior in dies potentia, ſuæ ruinæ præſagium erat. At in lubricis, & difficilibus, pro honeſtis haberi debent, quæ ſunt neceſſaria: Nec à poſteris ceſſatum à diſſidiis, & ſacrilegiis: vt iiſdem artibus potentia creſceret, quibus cœperat. Dicas è Gigantum ſemine illam natam familiam, vſque adeo repetitis ſubinde molitionibus cœlum impetere, ſolenne ipſi erat. Quo verò demùm fructu, niſi vt tota concideret, quæ per ſacrilegia creuerat, & deficientibus in Philippo Maria veris hæredibus ad alienos transferretur imperium, quo ad ſcelerum licentiam abuſi diu fuerant.

1350

*Vicecomites Bononiam inuadans.*

*Et retinent.*

*Extinguntur.*

## CAPVT VIII.

### *Varij Reguli Longobardiæ in Vrbibus inter turbas excitati.*

NEc interea ſe deſerebant alij per Longobardiam, & finitima Reguli, nihil morati crebras Pontificum diras. Putabant ſibi fore decori flagrantes ab incuſſis non rarò anathematis notas, dum eas quantulocumque diademate obtegerent. Hinc enim Scaligeri, iam tùm ab Eccelini nece, Sam-
*Scaligeri.* bonifaciorum pulſi, familiâ. Veronæ aſſenſu plebis Domini, ſua latè proferre pomœria, occupatis tandem Taruiſio, Vicetiâ, Brixiâ, Bergomo, Parmâ & aliis. Inde Ludouicus
*Gonzaga* Gonzaga, qui cæſo Poſſeuino Bonacoſio ſibi Mantuam addixerat, potentiam tueri. Il-
*Eſtenſis.* linc Opozo Eſtenſis, qui profligato Bertrando Legato Pontificio, Ferrariam, quam ante ſæculum, in præmium fidei aduerſus Fridericum Azo Eſtenſis à Gregorio IX.
1340 obtinuerat, recuperatam deffendere. Inde Rubei Parmam; Carrarii Patauium, Huguitio primùm, deinde Caſtrucius Caſtracanis Lucam, & Piſas, & alii alia inuadere. Dicas gentem nobilem legitimo Principum excuſſo dominio, ita nulli fuiſſe ſubditam, vt omnium præda fieret. Regulos illos, cum non poſſet excutere, paſſus eſt Benedictus XII. & ſibi addictos fecit, cum per Ludouici Bauari diſſidia, Imperii Vicarios dixit. Quid enim nominum & titu-
1340 lorum parcus eos erga eſſet, qui rem tenebant. Quos non potuit innocuos fa-

rere ſubtracta potentià, debuit Amicos,. honoratâ.

## CAPVT IX.

## *In Venetos interdictum, & bellum ſacrum.*

SVas & in hoc theatro partes non ſegniter egere Veneti; quibus ſæpe ad propagandos fines ex aliorum damnis viam ſtrauit, non ius, aut cauſa; ſed regnandi libido, & occaſio. Tunc illa ſe ad inuadendam Ferrariam commodùm obtulit. Eam Vrbem à ſeptuaginta annis ſuę aſſertam familiæ Azo Eſtenſis regebat, adeptus inſuper, fluctuante ad necem Alberti Auſtriaci Imp. Imperio, Mutinam & alia, in eam potentiæ felicitatem venit, vt ei filiam Beatricem dare in ſponſam non dedignatus ſit Carolus II. Rex Neapolis. Et inde ruinæ occaſio, adeo magna felicitas excidij ſæpe præſagium eſt. Fliſcus enim filius oblitus eum patrem eſſe, quòd ſibi nouercam ſuperinduxiſſet, parricidio illum confecit, ac Venetorum auxilio, ſubactâ Ferrariâ, vrbis partem incendio conſumpſit. Quid minora crimina horreret, qui patrem interemerat! At exoſi Tyranni ferociam Ferrarienſes, Venetis ſe dedunt: & inde in vtroſque anathema, & interdictum à Clemente V. At illa tum arma, ob frequentiam puto, obſtupuerant: & quia iis nonnunquam vſi Pontifices vbi non oportuit, factum, vt quando vtebantur ex æquo, & meritò, minùs profuerint. In Venetos itaque parùm ad diras commotos aliis actum.

*Veneti Ferrariam occupant.*

1309

armis: eos enim Arnaldus de Pelagrua Car-
*Reddere* dinalis, Bononienſium, & Florentinorum
*coguntur.* ſuccinctus copiis, cui etiam è Galliis aderant Cruce-ſignatorum auxilia; ad Francolinum iuxta Padum magnâ clade perculſos, ad veniam per Dandulum Legatum Auenione petendam adegit.

## CAPVT X.

### *Ditio Eccleſiaſtica à Tyrannis vindicata.*

Digreſſis in Gallias Pontificibus ſuos etiam motus paſſa eſt in Italiâ ditio Pontificia. dicas eam fuiſſe nauem fluctuum arbitrio permiſſam. Inualuit procella ex Ludouici Bauari flatibus: quippe vlturus Benedicti XII. & Clementis VI. vt putabat, audaciam, qui in Prouinciis Imperialibus Longobardiæ Vicarios Imperij, vel dixerant, vel approbauerant: in Pontificiis ipſe præſides aut tyrannos conſtituit: Mala-
*Malateſta.* teſtis Arimino, Peſauro & Fano; Manfredis Fauentiæ, & aliis alibi conſtitutis, aut confirmatis. Conati quidem Neapoleo Vr-
1342 ſinus, Nicolaus Pratenſis, Bertrandus de Podieto, & alii magni nominis Cardinales, authoritate Pontificiâ, ſuam vrbibus quietem, ſuo Vrbes Domino reſtituere. Sed fruſtra diu labor ceſſit; nempe vt Ægidii Albornotii, Toletano Præſule Cardina-
1353 lis, maior probaretur induſtria. Hic Innocentii VI. nomine, eâ prudentiæ & virtutis laude Prouinciam deploratam adiit, rexitque, vt quà vi armorum, quâ perſuaſionum efficaciâ,

efficaciâ, quâ cenſurarum fremitu, eam demùm tranquillam fecerit, & Tyrannos vel 1359 *Albornotius Le-*
excuſſerit, vel authoritatis Pontificiæ reue- *gatus*
rentes reddiderit. Nec obſtitit aliquandiu *Pontifi-*
Ordelaffus Foroliuii, & finitimorum tyran- *cius in*
nus; niſi vt maiori dedecore eius demùm *Italia.*
arbitrio cogeretur ſe credere domitus, quocum integer, æquis legibus, fœdus inire noluerat. Magna laus hominis, an Herois! intra quinquennium effeciſſe, ne breui poſt redituri Pontifices in alieno cogerentur eſſe hoſpites. Non defuere tamen, qui ei veluti decoctori, apud Vrbanum V. moleſtiam faceſſere auſi ſint: quaſi parùm bonâ fide diſpenſaſſet Eccleſiæ bona; per quem vnum factum erat, ne Eccleſia eſſet ſine bonis. At & in eius laudem calumnia vertit: & qui ex hoſtibus Eccleſiæ ſubactis, tantum ſibi famę parauerat, ex ſuis deuictis illuſtriùs inclaruit. Nam Viterbii, quò ad cauſam dicendam accitus fuerat, nihil aliud ad patrocinium, quàm currum clauium, quas ex Arcibus & Vrbibus receptis, collegerat, onere
grauem, Pontifici obtulit. Agnouit ad hæc *Eximiè ſe*
Pontifex, de tanti Herois innocentiâ non *ab Æmu-*
potuiſſe ſe dubitare, ſine labe ſuæ. Inde noui *lis tuetur*
plauſus, & noua Victoriarum præconia. Nec minùs ei gloriæ partum, ex pugnâ forenſi & vmbratili, quàm ex Caſtrenſibus, & ſeris: quippe nullus vnquam meliùs cauſam dixit, nullus efficaciùs probauit innocentiam.

## CAPVT XI.

### *Decimum-octauum in Eccleſia ſchiſma Ludouici Bauari.*

POſt Henricum Lucemburgum, dum electores quidam Fridericum Auſtriacum, 1314 alii Ludouicum Bauarum malunt, Imperium ſcindunt, & bellum excitant, quo, poſt octo annos, captiuitas Auſtriaco, Bauaro dignitas aſſerta eſt. Quamquam nec iſte viſus eſt euaſiſſe ad ſolium; niſi vt ex eo caſu decideret. Ruinæ cauſa ſub initium leuis; quippe non ob aliud eum ſacris motum, imperii iure excidiſſe pronunciauit Ioannes XXII. Pont. niſi quod ſuo iniuſſu Imperatorem ſe diceret; cum tamen & æmulum 1323, &c. viciſſet ſuffragiis, & ſi quid ſupererat in iure ambigui, victoria decidiſſet. Ideo non multum ad anathema intremuit, vt quod ſine cauſa dictum, ſine vi eſſe diceret. Ob id etiam forte audaciores ipſius è Cœnobiis patroni Marſilius, Iandunus, Ochamus & alij: qui ſuæ opinione ſapientiæ excæcati, dum decreta Pontificia in ſuas nugas vlciſci volunt; nouis ſe objiciunt. Horum fretus patrocinio nouam molitus Eccleſiam, in 1327, &c. veterem inſurrexit: & ab execratis Præſulibus Mediolani, Romæque Imperator dictus (id ei decoris aſſerentibus Sara Columnio, Iacobo Sauello, & aliis, qui pulſis Guelfis Romam inuaſerant,) Ioannem quaſi hæreticum, & ſuæ ſedis transfugam exauctoratum dicit; eique *Petrum Corbarium* Minoritarum Apoſtatam ſubſtituit.

*Lud. Bauarus Imp. ſacris mouetur.*

*Ei fauent Monachi.*

*Antipapam facit.*

At ſtolidus ; hoſtis ſui cauſam bonam fecit, dum tam impiè damnauit. Videri poterat ab acriori Pontifice accepiſſe iniuriam ; ni tam atrocem ipſe non ſoli iam Pontifici, ſed Eccleſiæ vniuerſæ feciſſet. Nec vllo magis à Chriſto ſe Apoſtatam eſſe probare potuit ; quàm cum ei Vicarium Cucullatum Apoſtatam dixit. Id opprobrij non diu Roma tulit, & ne ſancta eſſe defineret, abominationem è loco ſancto ſuſtulit. Nam Bertoldus Vrſinus ; Stephanus, & Iacobus Columnij ; aliique Proceres ; Bauarum cum ſuo Pontificis ſpectro vrbe depulerunt. *Roma pellitur.* Piſas digreſſi dum in Pontificem iterum crocitant, omnibus ſe execrandos produnt. 1329 Regreſſo tandem in ſuam Germaniam Bauaro ; Corbarius ſui facinoris atrocitatem cœpit agnoſcere ; vbi non adeſſe vltrà vires, quibus illud tueretur, vidit ; *Antipapa reſipiſcit.* ac veluti lapſus è nubibus, adeo ſe non agnouit Pontificem, vt vix Monachum eſſe meminerit. Inde Exomologeſi, & Palinodià publicà Piſis, & poſtea Auenione, quæ impiè patrauerat, deteſtatus ; membrum Eccleſiæ fieri rurſum meruit, dum ſe negauit eſſe caput. 1336 Nec propterea minùs in Bauarum ſeuerus Benedictus XII. Ioanni ſuffectus ; Adeò enim eum non recepit in gratiam, vt rogabatur ; vt negauerit vlla de pace cum illo habiturum ſe colloquia ; donec Pontificia de ſe decreta, abdicatione voluntarià, iuſta eſſe fateretur. At ille priora ſcelera, nouis augere magis ſuetus, quàm pœnitentià diluere, & Pontificem quaſi ſe

fecit ; nedum vt Imperatorem exuerit ; Margaritâ Carinthiacâ, inexhauſtæ libidinis fœminâ, filio ſuo in ſponſam datâ. Non expendendum credidit, an eſſet Ioanni Bohemo ritè nupta ; an filij conſanguinea ; Diues erat, & id ei, ad ratum habendum matrimonium, ſatis fuit. Promiſit tamen emendationem Clementi VI. qui Benedictum exceperat, ſi reciperetur in gratiam ; ſed nihilo exorabilior Benedicto Clemens, ſeptemuiros admonuit, abdicato Moguntino, qui ſtabat à Bauaro ; vt toties execrato Carolum tandem IV. Ioannis Bohemi filium ſufficerent. Inde, an ex veneno ei à Ioanna Auſtriaca dato contabeſcens impius, dum mœrorem venatu leuat, morte ſanat, equo dum effuſiùs Aprum inſequitur excuſſus. Sic demum inſana illa in Eccleſiam excitata moles, ſuum ſupra Architectum collapſa eſt. Ita nimirum ſolet : obruit impios ruina, quam in ſacra parant.

*Abdicatur Bauarus.*

1345. &c.

*Et moritur.*

1347

## CAPVT XII.

### *Romanorum politica diſſidia.*

ROmam etiam agitauere ſubinde motus : nam ex diſceſſu Pontificum in Gallias, ſuis veluti deſtituta fulcris, quid aliud quàm vacillaret ? Diſſidiorum author primarius Nicolaus Gabrinus fuit, qui ex imâ fæce ad ſolium ſe per induſtriam extulit. Cum Clementi VI. vt Auenione Romam migret, non perſuadet, ſe Tribunum à populo ita creari curat, vt

*Gabrinus mira ſpondet Romani.*

ei viciſſim velut in præmium, non antiquam tantum libertatem, ſed etiam majeſtatem ſpoponderit. Quanta eorum, quæ cupimus, in nobis credulitas eſt! Ex fanatici deliriis ſomniabant iam multi priſcam Remp. Ipſe verò non minùs manu ſtrenuus, quàm linguâ magnificus Columnios, Vrſinos, & alios conſiliis minùs acquieſcentes Vrbe pepulit, atque deinde, cum reditum ſibi armis pararent, acie fudit. Auſus etiam iam non Tribunus tantùm, ſed plusquam Conſul, ad ſuum ſcenicum tribunal citare Ludouicum Bauarum, Carolum Lucemburgum & Septemuiros, vt quo quiſque iure ad imperium niteretur, ex ipſius ſententiâ cognoſceret. At ſomniator magnificus, à Nicolao Altamuræ Comite, Columniis, & aliis actus in fugam, poſt varias ſeruili habitu latebras, Auenione demùm ad vincula damnatus, qui dominum ſe Orbis ſomniauerat, nec ſui iuris fuit: & ab alio de ſe ſententiam audiit, qui ſe vel Imperatorum iudicem fecerat. Euaſit inde tamen, ſi ſuâ minùs innocentiâ, alieno certè crimine. Similem habuiſſe, pro patrocinio ipſi fuit: & tunc redditus eſt libertati; cum Franciſcus Baroncellus, ignotæ quoque ſortis homo, ſub Tribunatus nomine, Tyrannidem ſuſcitauit, Ioanne Vrſino, & Petro Columnio Senatoribus pulſis. Tunc enim Ægidio Cardinali datus comes ab Innoc. VI. receptus in Vrbem eſt, & cæſo Baroncello dignitati reſtitutus, an nouis periculis objectus. Cùm enim relaberetur ad priſtina;

*1347*

*In carcerem truditur.*

*Iterum prævalet.*

*1353*

& perpeſſæ calamitatis memoriam, nobi-
lium cæde expungeret, excuſſus demùm,
& à furenti populo cæſus documento fuit,
*Et cadi-* in quàm lubrico ſtet magnitudo, quam ver-
*tur.* ſatile vnius vulgi ſtudium fulcit. Inde
Romani minoris facere libertatem, quæ
tyrannos ſubinde pareret; & alteri arbi-
trium ſui non negare, cum ipſi ſe regere
non poſſent; & vt ſine partium ſtudio fa-
1360 ciluis in vnum coirent membra; caput
*Senator* ſeu Senatorem alienigenam, (fuit hic in
*Alieni-* præſentià Hugo Rex Cypri) ab Ægidio
*gena.* Pontificis Legato non recuſare. Nec dum
tamen bonâ fide pax, donec Bandereſiis,
(erant hi præfecti Regionarij, qui tuendæ
1399 libertatis ſpecie, ciebant ſubinde motus)
penitus ſublatis, ſub Bonifacio IX. Ponti-
ficis ſe arbitrio ſine exceptione permiſe-
runt. Non defuere tamen, qui noua non
rarò in Pontifices molirentur; ac, ne, quæ
à Ladiſlao, eiuſque fautoribus patrata ſunt,
1434 ibi referam; quid non attentatum in Euge-
nium IV. qui vincula ſibi deſtinata Mona-
chali habitu vix effugit, relicto in Turbo-
*Turbones* num manibus Cardinale Condelmerio Ne-
*caſi.* pote. Nec minus periculi ex Angelo Maſ-
ſiano, & poſteà ex Tiburtio Maſſiani filio;
ni illum Nicolaus V. iſtum Pius II. laqueo
1460 plecti iuſſiſſent, qui ſcelerum atrociſſimum
attentauerant.

## CAPVT XIII.

### *Minoritarum tumultus in Ordine & Eccleſia.*

QVam ſuis viam B. Franciſcus ſtrauit in Regulâ, ad cœlos ducere neceſſe eſt; vt quæ ad Euangelicæ normam arcta ſit. Arctiorem tamen *Liberatus* Macera- 1294
tenſis, annuente Celeſtino V. condidit. *Occaſio.*
Inde multorum ſeceſſio; & abdicato Celeſtino, ne cogi poſſent ad Regulam, quam vt laxiorem eiurauerant, in Græciam diſceſſus: reuerſi tamen anathematis metu auxere diſſidia, & in Cœnobiis excitauere nubem, quæ procellam etiam in Eccleſiam effunderet. Nam *Spiritualium* aſſumpto no- 1312
mine, ſub adſtrictiori veſte, alios vt Inſtituti transfugas habebant, quod veſtimentis laxioribus vſi, annonam Eleemoſinis collectam, ex interpretatione Nicolai III. in horreis reconderent. Dum ceruicoſos ad pietatis temperantiam reuocare conatur Ioannes XXII. in Eccleſiam prouocat. In Siciliâ enim, Henrico de Ceua in Generalem promoto, noui *Cathari* nouam ſibi condunt Eccleſiam; quam, ex inopiâ & auſteritate, mundam, & verè Euangelicam; Pontificiam verò, opibus & deliciis ſordidam, vt ab innocentiâ, ſic ab omni iure, & poteſtate clauium excidiſſe deblaterarent.
Quæ fuit improborum pertinacia; cui nec *Hæreſis.*
intentatæ à Rege Friderico pœnæ; nec dictæ à Pontifice diræ fuerunt emolliendæ? Adeo peccaſſe non pœnituit; vt nouis in

1324 Peruſinis Comitiis; ſub Michaële de Ceſennâ Generali, nouo facinore primum firmauerint. Ibi vt ſuam paupertatem verè monſtrarent Euangelicam, corruperunt Euangelium: & nihil Chriſtum, nihil Apoſtolos vel priuatum ſingulorum, vel commune omnium habuiſſe, paſſim diuulgauere per ſui Ordinis Theologos. Decretum ficulneum difflauit Pontifex, & inde querelæ, &, quæ talium ſunt arma, *murmura*, & multorum ad Ludouicum Bauarum transfugia. Inde Ochami, Ianduni, Marſilij, & aliorum ſcripta parùm ſana, atque adeo impia. Admiſſis enim *Spiritualium* deliriis, ſuam Regulam à Chriſto, & Apoſtolis ſeruatam ad literam dixerunt (magna nimirùm Chriſto laus, fuiſſe *Minoritam*) ob id, in eam nihil iuris eſſe Papæ; eam qui quouis modo immutarent hæreticos; pro ea qui paterentur, Martyres eſſe. Inde ſe iam in cælites conſecrabant, Pontifice notato hæreſeos. Denique qui nullum, in ſe, ius reliquêre Pontifici, nullum in alios, vt quem nihil ſupra ſacerdotes habere authoritatis aſſeruerint; Tyrannicum attribuerunt Imperatori, non in opes tantum Eccleſiæ, ſed in Pontifices quoque, ſeu promouendos, ſeu abdicandos. Addebant etiam, ex Ioanne Petro de Serignano, & aliis Enthuſiaſtis, neſcio quæ vaticinia de ſuo Ordine, & de Antichriſto, cuius eſſe prodromum Romanum Pont. oblatrabant. Iis nebulones inſurrexerunt pro Pontifice Athletæ Nobiles, Alexander ex Generali Auguſtiniano Rauennas Archiepiſcopus, Petrus de Palude

*Nouæ hæreſes.*

*Vindices Eccleſiæ.*

ominicanus, & Palagius Aluarus Minori-
a; vt vnde peſtis emerſerat, antidotus inde
appeteret. Id vt clariori documento con-
taret, quatuor ex huiuſmodi fanaticis igni
ddixit Maſſiliæ Inquiſitor Minorita. Nec
ibi Pontifex ipſe defuit, renouato in cere-
broſos anathemate: quin & poſt Michaëlis
de Ceſenna, & Ochami, ad Corbarium An-
tipapam Auenione fugam, de exſcindendo
penitus Ordine dicitur deliberaſſe. At præ- *Periculum Ordinis.*
ter ius viſa pœna, quæ omnes inuolueret,
cum culpa non eſſet omnium. Mouit ſa- 1328
niores periculum, & in Comitiis Pariſien-
ſibus, quæ exauctorato Pſeudo-generali,
per Bernardum à Turre Cardinalem, Or-
dinis ſuo nomine moderatorem, Pontifex ce-
lebrari iuſſit, in Corbarium, de Ceſenna, &
gregales dixerunt anathema, & ne haberen- *Parantur motus.*
tur in Transfugis, Transfugas deuouerunt.
Inde pax in Cœnobiis, & plurimis Turbo-
num receptis in gratiam; alij tranſierunt ad
Bizochos & Fratricellos.

## CAPVT XIV.

### *Viceſima in fidem Hæreſis. De Bizochis & Fratricellis.*

Bizochi & *Fratricelli* per hæc tempora
conſpurcarunt Eccleſiam: nec aliud
ſperandum erat à purgamentis clauſtrorum.
Dux eorum præcipuus, Hermannus Pon- 1297
gilupus fuit, qui ex Apoſtatis nouum confla-
uit ordinem. Eos itaque Bonifacius VIII. *Pœna.*
& Ioannes XXII. mouerunt è ſacris. Au-
thorem quatenus per vitam hypocriſis pœ-

næ abſtulerat, poſt mortem flamma Ferrariæ conſumpſit: ei additum Mediolani Guilhelmæ cadauer, quod apud Monachos Clarauallenſes, illam prope Vrbem, ab aliquot annis, votis & donariis, à deluſa plebe cultum habuerat. Debuerunt lucere poſt mortem, qui tenebras per vitam amauerant. Solebant enim in locis abditis, & obſcuris iſtius ſectę homines in promiſcuam ferri libidinem. Ritus vero initiales ad impura illa myſteria quàm execrandi! Nam per infantis fortuitis illis complexibus geniti cineres nouitij conſecrabantur, & ille apud eos ſummus Pontif. habebatur, cuius in manibus iactatus per manus ſtantium in orbem paruulus alter infans expiraſſet. In hanc inſaniam proruerant, qui ſupra quàm ſatis eſt, ex ſuo ſenſu, ſapere voluerant. Cum & Religione, & ratione vacuos ſe tam certis argumentis proderent; dignos tamen ſe putabant, qui aliis præirent ad pietatem. Ita volebant Chriſtianos à terrenis explicitos, vt eos habere priuatim opes, & adminiſtrare publica, ſaluâ innocentiâ, non poſſe aſſererent. Defunctis ante vltimi iudicij diem ad cœlos negabant aditum, nempe vt quo ipſi nunquam admitti poterant, alios inde ad tempus excluderent. Addebat è ſuo Guilhelma Spiritum ſanctum hypoſtaſeos nexu ſibi iunctum, & ſe miſſam ad ſaluandas fœminas, quas clericali more detonſas *in nomine Patris, & Filij & ſuo* baptizabat. Diu per cœtus clancularios vagata peſtis, Præſulum & Inquiſitorum diligentiâ, & ſeueritate Ma-

*Ritus impij.*

*Fatuitates.*

ſtratuum in tenebras tandem protruſa eſt, quæ tantopere lucem horruerat.

## CAPVT XV.

## De Beguinis.

NE vnica peſte laboraret Orbis, *Bizochis* ſe *Beguini* & *Apoſtolici* iunxere. Aliorum alij ſubinde habuere nomina, qui errorum ſe commercio polluerant. Quamquam Beguinis, & Apoſtolicis antiquior origo fuit, & ex Fratricellorum commercio inualuere potiùs, quàm incepere. Porrò Beguinæ pietatis quondam laude claruerant, ſiue illas D. Begga, D. Gertrudis ſoror; ſiue Lambertus Begus Leodienſis Presbyter inſtituiſſet. Sed, vt non diu perſtat in bono ſexus infirmior, defecere demùm ad cultus ſuperſtitioſos. Ac ne verè fœminas, dubites, viros fecere ſuæ culpæ conſcios. Hi vt pietatis vmbram veris ſceleribus obtenderent, ſe venditabant Apoſtolicos, & opum abiectâ curâ, alienâ beneficentiâ victitabant; è ſacramentorum albo expuncto matrimonio, ſponſam dimittere, vel inuitam, pietatis ergo, adeo non ponebant in malis, vt neceſſarium ad ſalutem dicerent; cum tamen ſi libido illiceret fornicari non haberent in vetitis. Eo perfectionis homines (inter quos ipſi) venire, in hac vitâ poſſe opinabantur, vt fieret conſummata felicitas. Inde ſibi orare ſuperfluum dicebant; legum etiam vincula ſoluta, vt quæ non innocentibus ſint poſitæ, ſed peccatoribus. Denique quem-

*Earum ortus.* 689 1170.

*Inſtitutum & placita.*

quam futurum vnquam in cœlis negabant, qui ſuæ ſectæ dato nomine, ſecum non fuiſſet in terris. In ſtolidos dictum eſt anathema in Viennenſi Concilio à Cle-
1311 mente V. nec non ab Henrico, Vvabrama, & Guilhelmo Coloniæ Præſulibus. Sed pertinaces gladius ille non lædit: neceſſarius alter eſt, qui ſentiatur. Ideo in *Margaretam Porretam*, quæ ſcriptis etiam ſectam promouerat; *Bonnatum*, & alios Pariſiis ſæuitum igni: vt tunc ſaltem areſcerent rami peſtiferi; cum radices eſſent exuſtæ.

## CAPVT XVI.

## *De Apoſtolicis.*

*Apoſtolici.* ISTorum ſocij fuerunt *Apoſtolici*, an progenitores. Nam iam tum à primis ſæculis ex Encratitarum, & Catharorum conflati reliquiis, ne poſſent opinor, negari Chriſtiani; ſe cognominarunt ab Apoſtolis. Ex abjectis etiam opibus, & damnatis
*Apoſtatici.* nuptiis, audierunt *Apoſtatici*. Eodem etiam ſe venditauere nomine poſteà Maneris quidam diſcipuli è Vvaldenſium numero, in quos ſui ſæculi Hercules Bernardus Clarauallenſis inſurrexit. Auſi iſti ſe dicere
1147 Chriſti corpus, qui diabolica ſocietas erant; & illud ad menſam quotidie ſe fingere gloriabantur, quaſi non alio dignè pabulo veſci poſſet Chriſti corpus, quam Chriſti corpore. Inualuit etiam idem atque diuerſum
1286 monſtrum, quando plurimi ſub Apoſtolico nomine, & Religioſo habitu pietatem men-

per Prouincias di currebant; dicerem nis ſimiles; niſi verè fuiſſent. Vni ſe riſto ſubditos dicebant, vt à quo tota auritas, quam primis olim Apoſtolis deat; Præſulibus propter vitia ſublata; in qui innocentiâ referebant Apoſtolos, nſuſa eſſet. Vni parcebant Celeſtino, yluestri tempore, quaſi ſolus Pontifia Apoſtolorum expreſſiſſet Innocenn; quorum paupertatem amauerat; m inter opes. At vel ab eo ſolo confeiacent, cui veniam indulſerunt. Celeus enim factis expreſſit, quod ipſi ponet inter illicita. Nam & voto ſe Deo adit, vt conſtantiùs Dei eſſet; & mendacia ґit, ne videretur eſſe diaboli, & libidinem omuit, ne vir Angelicus, Erebi vincere illiciis, & Eccleſias coluit vir diuinus, as ſciebat diuinitatis eſſe ſacraria. Iſtos m qui Beguinos exitus excepit, cum quis, per errorem commercium ſocietatem buerant. Gerundus Sagarellus, inter os, diu ſectæ Propagator, igne tandem rdes eluit, vt qui mollem flammam vons, & viuens in ſe aluerat, acriorem ipſe lens & moriens aleret.

## CAPVT XVII.

### *De primis Flagellantibus.*

FLagellantium ſecta à piis initiis ad vana primùm, vt fit, & hiſtrionica; einde, quod proximùm, ad impia deflet. Ei Dominicanorum & Franciſcanorum, in componendis factionibus Italis *Ortus.*

pia ſedulitas, apud Inſubres initium dedit; dum quos non ſenſus cladium, non Pontificum per Legatos authoritas lenierat, eos Ioannis præſertim Vicetini Dominicani;
1233 cui ſuas ad hoc vices in Inſubriâ Gregorius IX. commiſerat; Conciones, & alloquia, non ſolùm adduxerunt ad pacem, ſed etiam ad publicam pœnitentiam. Popularis hęc pietas ita, non diu poſt, Rainerij Eremitæ
1260 verbis & factis Peruſino in tractu inualuit; vt velut exciti Claſſico populi oppida latè inter hymnos circumierint; & ſibi tergum nudatum loris palam cędentes, plurimos in Italiâ & Germaniâ ad pœnitentiam commouerint. Adeo nulla efficacior ratio perſuadendæ pœnitentię, quàm pœnitere. In hos tamen quaſi ſub pietatis ſpecie commouerent ad motus populos; deſæuiere Manfredus Siculus; & Marchio Palauicinus, inter Inſubrię tyrannos non poſtremus. Nam multos timeant, quos multi timent, neceſſe eſt. Et Tyrannorum intereſt ne populi ſimul conſentiant; vel ad pietatem. Et qui per Innocentium ſtragem euaſerunt ad ſolium, nihil magis horrent in ſubditis, quàm innocentiam. Quamquam fortè jam tum deflectebat ad turbas pietas oſtentatitia; & vt

*In eos ſæuitur.*

1274 nouo titulo ſuum mererentur cognomen, flagellorum pœnam meruere per culpas. Certè in eos quoque in Poloniâ & Behæmiâ ſæuitum dicunt, & in plurimos, qui ſuo ſine juſſu Religioſum habitum ſumpſerant, dixit anathema Greg. X. in Lugdunenſi concilio.

## CAPVT XVIII.

### *De ſecundis Flagellantibus.*

Onquieuit aliquandiu circulatoria pietas, vt collectis interea viribus, ex ungaria totam fermè per Europam mari ſtrepitu ſeſe diffunderet. Nam & iſtis omen à flagellis fuit; quòd ſeſe ſinguli & uicem, tam fœminæ, quàm viri nudis ad mbilicum corporibus, bis palàm de die; mel clam de nocte, flagellauerint. Audiue quoque Cruciferi; quod Cruces varias, mnes in veſtibus; & vnam ſinguli manu rrent, & ad Crucis vexillum iter facerent. n cœtum; cui & multi Præſules nomen ederant; neminem admittebant, qui veiam non haberet à conjuge; non po uiſſet dia; & ſumptus ad victum non ferret. In Belgio mirùm quantùm ex Lolhardis, Gelanis, Begardis, & Lutis Monialibus erroum turba accreuerit. Acceſſerunt etiam Perditi ad numerum. Quaſi hæc eſſet vna innocentiæ recuperandæ via accenſeri nocentibus; ac per tres & triginta dies ſuo de cotio ſcelerum pœnas exigere per flagella. Hinc abrogatis cùm aliis ſacramentis, tùm fluminis baptiſmo, aſſerebant ſubſtitutum pro omnibus baptiſma ſanguineum, quod ipſi per ſuas flagellationes inuexerant. Inde veteres abjecti titus, Præſulum negata authoritas, & qui ſuis nugis non acquieſcerent, dicti Antichriſti. Nec antiquis ſubinde ritibus inſtitere, niſi in ſpeciem; vt nouos ſecurius intruderent. Nam mendacio ſectæ

*1349*

*Cruciferi Flagellantes.*

*Hereſes.*

conſulere, non ponebant in vitio: quaſi qui ſingulorum animum ſcrupulus inde angebat, aut publica illum omnium vtilitas eximeret; aut flagellatio deleret. In hos ſanctionibus egere primùm Clemens VI. & alij Præſules; tum Magiſtratus pœnis. Non tamen ita ſtirpitus exciſi ſunt; vt non poſtea in eos, cum non modico errorum auctario repullulantes

*Comprimuntur.*

1417 in Miſniâ, laborandum fuerit, & Gerſonio per ſcripta, & Præſulibus per decreta; & Magiſtratibus politicis per flammas; vt ſic ſaltem morientes eis illuceſcerent; quos errorum tenebris per vitam inuoluerant.

## CAPVT XIX.

## *De tertiis Flagellantibus, ſeu Albatis.*

ALbati quoque ex Flagellantium fuere numero. Hi velut ex compoſito totam fermè per Europam, aſſumptis pro habitu ſaccis lineis quibus ad velandam faciem annectebant Caputia, relictis ob oculos, foraminibus; pœnitentiam ita publicam obeundo Prouincias; & occultam, ſub ſaccorum velo, profeſſi ſunt: vt ſic dum magno numero, cui etiam ſæpè Præſules accenſebantur, ab Vrbe in Vrbem inter cantus & preces prodeunt: dum palam carnibus & lacticiniis abſtinent; dum ſub dio in cæmeteriis, aut in Eccleſiis ſine vlla culcitra cubant; omnibus eſſent per exemplum vtilitati; nec ſibi per oſtentationem nocumento. Comperti tamen aliqui impudicitiæ,

*Specie pietatis peccatur.*

icitiæ, dum ita mixtim cubant: Alij
onuicti fraudis, quod è Crucibus ſangui-
em ante infuſum expreſſiſſent, ad mira-
ulum, & eas, immiſſo ante oleo, ſudare *Miracu-*
eciſſent, ad prodigium. Alios onerauit *la mentiuntur.*
ambitionis ſuſpicio: quaſi Sacerdos, quem
tranſalpinis veluti de cœlo venientem in-
umeri ſequebantur, adjuuante multitudi-
e Pontificiam dignitatem affectaret. Inde
omprehenſus Viterbij, & Romam perdu-
ctus Bonifacii IX. juſſu non tam ſui cri- 1399
minis, quàm alienæ ambitionis pœnas per
gnem luit. Flagellantium hujuſmodi clara
veſtigia etiamnum durant, in ſodalitatibus,
quibus paſſim à *pœnitentiâ*, & alicubi
etiam à *flagellis*, & *verberibus* nomen eſt. *Eorum*
Viuax multorum inter iſtos pietas (nam *veſtigia.*
omnes pios ſi dicam, falſi me & ipſi ar-
guant) antiquorum patrocinium eſt. Nec
enim fuiſſent, qui ritus eorum intermori
non finerent; niſi ſe, ſub initia ſaltem, di-
gnos præſtitiſſent, qui aliis ad pœnitentiam
præirent.

## CAPVT XX.

### *Vicesima-prima in Fidem Hæreſis.* *De Lolhardis & Foſſariis.*

POſt Flagellantes locum in ſcripto Lol-
hardi habeant; qui ſe per impietatem,
ante, & ſupra eſſe prodiderunt. Eorum au-
thor Lolhardus Vvalterus in Auſtriâ, vt
coætaneos quoſque ſuperaret erroribus, 1314
multorum errores ſimul collegit, & miſ-
cuit. Quid auſum non putes, qui Dei reſ-

ciſsâ ſententiâ; Dæmones reuocandos in cœlum; Angelos deturbandos eſſe in Erebum effutire ſuſtinuit? Nec in Deiparam reuerentior fuit, vt matri poſt partum Virginitatis decus adimeret, qui à filio æquitatis laudem ſuſtulerat. *Hæreſes.* Eſuriales ei nullæ feriæ, nulla jurisjurandi religio, nulla Diuorum obſeruantia. In ſacramentis quid non violauit? Baptiſmum, & Extremam vnctionem ſuſtulit: nec perpercit pœnitentiæ, nam eius adminiſtrandi copiam laicis facere, quaſi ab Elia & Enoch tranſlatum eſſet in eos jus clauium, ex quo ab eo Præſules per vitia excidiſſent; quid erat aliud, quàm abrogare? Et ne Deum in terris illæſum ſineret, quem tam nefariè violauerat in cœlis; Chriſti Corpus in Euchariſtiâ, Deum fictitium nuncupabat. *Sacramentarii.* Obſcœna in ſubterraneis permiſit, quaſi non vltra ſolis lucem peruaderet oculus Dei. At ſuis demùm extruſus tenebris, Coloniæ in aperto per ignem ſcelerum pœnas luit; quæ vt in abdito admitterentur author fuerat. Gregalibus ſecuritas fuit à fuga, & latebris: donec *Spurcitia.* Flagellantibus additi alieno ſub nomine proderentur & conciderent; qui ſuo latuerant. Quamquam redíuiuos diu poſt Bohemia vidit in ſuis *Foſſariis*. *Foſſarii.* Hos enim in ſubterraneis ſaturata promiſcuè libido talium parentum poſteros probat. Iſtos etiam Erebi fuiſſe Candidatos, vel ob id credo; quòd, quantùm licuit, procul à cœlo, in terræ infima receſſerint.

## CAPVT XXI.

### *De Condormientibus Hæreticis.*

INcurrerat ante periculum Colonia à *Condormentibus*, qui authore quodam Toletano, vt cæleſtem ſe doctrinam ejuraſſe oſtenderent; infernam ſeu magicam profeſſi ſunt. De ſectæ origine ne dubitari poſſet, eam Lucifer ſuam reſponſis agnoſcebat, in effigie. Latiùs diffundebatur peſtis, Conrado, dum abuſus Inquiſitoris munere innoxiis etiam periculum facit, interempto, ni ſuæ ſe cauſæ vindicem Deus prodidiſſet. Dum enim Sacerdos pixidem cœli æmulam & Chriſti in Euchariſtiâ tremendum receptaculum è ſinu profert, concidit velut ad cultum ſimulachrum tartareum. Vbi Dæmon ipſe pœnas luit, quid ſperet ejus Vicarius? Ad fugam ſe componit. At quò tandem euadet extra Dei dominium? qui Deum contra ſe habet, nullus ei locus azylum eſt. Demerſus igitur, dum tranſmitteret in Angliam, & per vndas receptus ad flammas, didicit iracundiam diuinam non molliri aut declinari mutatione locorum, ſed affectuum. 1233 *Vis Euchariſtiæ.*

## CAPVT XXII.

### *De Stadingenſibus Hæreticis.*

STadingas per hæc etiam tempora in Eccleſiam exciuit ſacrilega ſacerdotis auaritia. Iniuriam putauit, ex vnico denario à fœminâ Stadingâ datum munuſculum. Eam *Auaritia ſacrilega.* 1234

vt vindicet, acceptum denarium in fœminæ os, pro Euchariſtiâ Paſchali immittit. Adeò vix eſt ſine ſacrilegio in viris ſacris auaritia. Rei conſcius Maritus dum ſacrilegi pœnam non impetrat, fit ipſe ſacrilegus cæſo ſacerdote. Deinde qui crimen, vt vindicaret, fecerat; vt factum tueatur exaggerat. Nam accitis ad partes popularibus, non ſolùm ſpernit vim anathematis: ſed Eccleſiæ quoque doctrinam, & authoritatem peſſundat: & cruciatis paſſim cæſiſque ſacerdotibus; horrendiſque blaſphemiis, in Euchariſtiam prolatis, Artem magicam anteponit Euangelio. Denique in tantum furor efferbuit, vt violatis impiè cæſiſque, quos ad ipſum Legatos Gregorius IX. miſerat, etiam Cruceſignatos non ſemel afflixerint. Sed demùm ſub Gerardi à Lipiâ Bremenſis Archiepiſcopi, Henrici Brabantiæ, & Florentini Batauiæ Comitum auſpiciis renouatâ ſacrâ militiâ, eâ ſunt attriti clade, vt totum quod excitauerant incendium, vel ſanguine ſopiuerint, vel addicti ipſi flammis obruerint.

*Impunitas Sacerdotis ſacrilegi.*

*Errorum occaſio.*

*Hæretici comprimuntur.*

## CAPVT XXIII.

### *De ſolemnitate Corporis Chriſti.*

EX fœtido rerum quas tractauimus afflatu nauſeat ſtomachus, & cor deficit: diuino quodam antidoto roborandum eſt. Ecce verò illud quàm efficaciſſimum ex *Chriſti Corpore*, vbi Deus ipſe ſub *panis ſpecie* pharmacum eſt. Inaudita liberalitas! quæ Deum manus facit. An ce-

gre poſt hæc te Deo dabis, qui ſe tibi dedit? Vel ſi tibi nihil retineas, paria non facies. Quis enim tu, ad Deum? At quanta eſt mentis humanę tenuitas, quam etiam boni magnitudo grauat! Viſa eſt multis Dei largitas ſupra fidem, quia ſupra rationem eſt; & ex ſuis anguſtiis inexhauſtæ beneficentię poſuere fines; quaſi plura Deus dare non poſſet, quàm homo capere. Inualuit inde magis diuina benignitas, & cum ingratis, & incredulis, miraculis actum eſt; quando fidem verbis negauerant. Quot ſæpe prodigiis præſentem ſe in hoſtiâ probauit? quoties mutatione mirabili, *vinum* in *ſanguinem*, *panis* in *carnem*, vtrumque in Chriſtum ipſum tranſiit? Vt factis ſaltem aſſentirentur, qui promiſſis minùs crediderant; nec tantum res fidei eſſet, ac animi, maximum myſteriorum, ſed ſenſus etiam, & oculorum. *Miracula.* Vmbram porrò fecit aliis quod Vulſiniis miraculum, horrore pio mentes Chriſtianorum perculit. Nam ad myſterii fidem 1264 ſacerdos celebrans cùm hæreret; incredulitate ſuâ locum diuinæ bonitati fecit; quando ſanguis ex diuiſa hoſtia, tanquam ex fracto membro exiliens, ac ſubjecta ſacra linteá purpurans, miraculo in ſæcula duraturo, Rei veritatem conſignauit. Inde circumducendi quotannis per compita, cum piâ, celebrique pompâ, cæleſte pignus, ab Vrbano IV. inſtituta ſolennitas; toto vt Orbe celebraretur, quod jam ex afflatu diuino Leodij, vbi Vrbanus fuerat Archidiaconus, vt celebraretur, *Eua* Monialis piiſſima ab Epiſcopo impetrauerat. Feſtos *Solennitas inſtituta.*

vt vindicet, acceptum denarium in fœminæ os, pro Euchariſtiâ Paſchali immittit. Adeo vix eſt ſine ſacrilegio in viris ſacris auaritia. Rei conſcius Maritus dum ſacrilegi pœnam non impetrat, fit ipſe ſacrilegus cæſo ſacerdote. Deinde qui crimen, vt vindicaret, fecerat; vt factum tueatur exaggerat. Nam accitis ad partes popularibus, non ſolùm ſpernit vim anathematis: ſed Eccleſiæ quoque doctrinam, & authoritatem peſſundat: & cruciatis paſſim cæſiſque ſacerdotibus; horrendiſque blaſphemiis, in Euchariſtiam prolatis, Artem magicam anteponit Euangelio. Denique in tantum furor efferbuit, vt violatis impiè cæſiſque, quos ad ipſum Legatos Gregorius IX. miſerat, etiam Cruceſignatos non ſemel afflixerint. Sed demùm ſub Gerardi à Lipiâ Bremenſis Archiepiſcopi, Henrici Brabantiæ, & Florentini Batauiæ Comitum auſpiciis renouatâ ſacrâ militiâ, eâ ſunt attriti clade, vt totum quod excitauerant incendium, vel ſanguine ſopiuerint, vel addicti ipſi flammis obruerint.

*Impunitas Sacerdotis ſacrilegi.*

*Errorum occaſio.*

*Heretici comprimuntur.*

## CAVT XXIII.

## *De ſolemnitate Corporis Chriſti.*

EX fœtido rerum quas tractauimus afflatu nauſeat ſtomachus, & cor deficit: diuino quodam antidoto roborandum eſt. Ecce verò illud quàm efficaciſſimum ex *Chriſti Corpore*, vbi Deus ipſe ſub *panis ſpecie* pharmacum eſt. Inaudita liberalitas! quæ Deum munus facit. An æ-

gre poſt hæc te Deo dabis, qui ſe tibi dedit? Vel ſi tibi nihil retineas, paria non facies. Quis enim tu, ad Deum? At quanta eſt mentis humanę tenuitas, quam etiam boni magnitudo grauat! Viſa eſt multis Dei largitas ſupra fidem, quia ſupra rationem eſt; & ex ſuis anguſtiis inexhauſtæ beneficentię poſuere fines; quaſi plura Deus dare non poſſet, quàm homo capere. Inualuit inde magis diuina benignitas, & cum ingratis, & incredulis, miraculis actum eſt; quando fidem verbis negauerant. Quot ſepe prodigiis præſentem ſe in hoſtiâ probauit? quoties mutatione mirabili, *vinum* in *ſanguinem*; *panis* in *carnem*, vtrumque in Chriſtum ipſum tranſiit? Vt factis ſaltem aſſentirentur, qui promiſſis minùs crediderant; nec tantum res fidei eſſet, ac animi, maximum myſteriorum, ſed ſenſus etiam, & oculorum. *Miracula.* Vmbram porrò fecit aliis quod Vulſiniis miraculum, horrore pio mentes Chriſtianorum perculit. Nam ad myſterii fidem 1264 ſacerdos celebrans cùm hæreret; incredulitate ſuâ locum diuinæ bonitati fecit; quando ſanguis ex diuiſa hoſtia, tanquam ex fracto membro exiliens, ac ſubjecta ſacra lintea purpurans, miraculo in ſecula duraturo, Rei veritatem conſignauit. Inde circumducendi quotannis per compita, cum piâ, celebrique pompâ, cæleſte pignus, ab Vrbano IV. inſtituta ſolennitas; toto vt Orbe celebraretur, quod jam ex afflatu diuino Leodij, (vbi Vrbanus fuerat Archidiaconus) vt celebraretur, *Eva* Monialis piiſſima ab Epiſcopo impetrauerat. Feſtos *Solemnitas instituta.*

1230 ad cultum hymnos *D. Thomas* Aquinas ſcribere juſſus eſt. Quis enim meliùs ſcriberet, quod in cœlis concinunt Angeli incorpei, quàm corporatus in terris Angelus? Ne pius ritus vnquam conſeneſceret, cautum eſt à Clemente V. in Vienneuſi Con-
1311 cilio; vt cujus in homines indulgentia finem non habet; hominum erga eum veneratio magis, & magis in dies accreſceret.

## CAPVT XXIV.

### *De Iubilæo.*

*Iubilaum Chriſtianum ſupra Iudaicum.*

MAximè quoque Dei liberalitas in Chriſtianos enituit ex Iubilæo: quippe voluit & in Eccleſiâ felicem illum & verè aureum annum verti; vberiori multò quàm in Synagogâ, bonorum copiâ: quando, ſi non hominum, certè dæmonum excuſſo jugo, veræ libertateis jus redditur, hæreditatis ęternæ fit rurſum copia; & qui Dei in ære ſunt ad pœnam, nomina liberant. Ad id verò, ne credas omnino gratuitum, & diuinam largitatem magis ſtupeas, de ſuo Chriſtus ſupplet; vt ſibi ſatis fiat. Ne ſit inexorabilis, ſeipſe flectit: & ne deſit quod à nobis accipiat, prius ipſe donat. Prorſus igitur Iudaico felicior Chriſtianus *Iubilæus*: niſi quod illi quinquageſimus quiſque annus; iſti centeſimus tantùm affulſerit; ex Bonifacii VIII Lege (nam an ex conſuetudine ante celebratus fue-
1300 rit, non liquet) nempe vt Iudaicus haberet ex frequentiâ, quod noſter ex pretio. Quamquam quia paucorum erat indulgentia, quæ

ſemel tantùm offerebatur in ſæculo, eâ vt quinquageſimo quoque anno haberetur Clemens VI. edixit. Quis tum fidelium in ſacra zelus, cum ad decies centena millia peregrinorum, vndequaque confluentium toto illo anno Romam, in quâ vnâ, tum opum cæleſtium copia fiebat, frequentarint. Diuini theſauri quam diſſimiles humanis? creſcunt ex vſu; & fontibus quibuſdam ſimiles, tùnc effunduntur copioſiſſimè, cum maximè hauriuntur. Benè itaque Vrbanus VI. & Paulus II. iuerunt vlterius; & ille trigeſimo quoque anno; iſte & alii deinceps vigeſimo quinto, diuinas opes fidelium arbitrio expoſitas voluerunt; vt iam non minùs crebritate, quàm pretio Iubilæus noſter Moſaicum ſuperaret. At rem demùm pretioſiſſimam adduxit in contemptum facilitas; & credi cœpit humanis opibus parabile, quod toto Dei ſanguine partum eſt. Inde] prophanum ſæpè indulgentiarum commercium; & orationis domus mutata in mercatoriam, ſeu ex Pſeudopontificum per ſchiſmata; ſeu ex Miniſtrorum veris Pontificibus ſeruientium auaritiâ. Sic quod pretium Chriſtus pro omnibus paratum voluit, diſpenſabant iſti ſolis diuitibus, opibus diuina dona, non virtutibus æſtimantes.

*Quis Romam concurſus.*
1350

*Indulgentiarũ primi abuſus.*

## CAPVT XXV.

### *De Judæorum vbique cladibus.*

IVdæi iam tum à Chriſti morte, ſine vllis ſolatiorum vicibus, paſſim afflicti, nec dum tamen authorem cladium noſcunt; ne cauſam ſimul; quaſi diſſimulari poſſet, plurium ſæculorum in totam vbique gentem pœnas, ob aliud infligi non poſſe, quàm ob deicidium. Gens miſera; ex quo oblata à Deo beneficia reſpuit; ab ipſis Dei beneficiis pœnam ſenſit. Nihil vnquam in eos grauius ſtatutum, quàm cum Siſebuti in Hiſpaniâ, Dagoberti in Galliâ, Heraclii in Oriente edictis, adacti ſunt ad baptiſmum: quo certè nihil homini optabilius. Deus tamen inde per Principes in pertinaces ſæuiens, antiquas & nouas iniurias vltus eſt: quin & futuras vltus Heraclius dicitur, qui à Circumciſis ruinam imperio portendi ex aſtris nouerat. Parùm nimirum calamitoſis erat; ob ſua plecti ſcelera, niſi futura quoque Mahometanorum, qui Circumciſi etiam ſunt, anticipatis cladibus luerent. Tumultuati paulò antè Antiochiæ, cùm alios, tùm Anaſtaſium Patriarcham occiderant: ſed à Bonoſo iuſſu Phocæ paſſim cæſi ſunt. Nec parcitum paulò poſt ſuperſtitum ſanguini. Admoniti namque Chriſtiani Europæi, Iudæorum Aurelianenſium conſiliis, Sultanum Babylonicum templa exſcindi iuſſiſſe per Iudæam, quam Chriſtiani ſuo deſtinabant imperio; in perfidos Europâ totâ, quoddam quaſi claſſicum inſonuit.

*Coguntur ad baptiſmum.* 614

*Ob mala à Mahometanis et vnicuique futura plectuntur.* 609

ſonuit. Vbique cæſi, vndique pulſi, non habuerunt quò fugerent. Tunc ſaltem à pluri- 1909
mis rogatum baptiſma, vt curatà in ſpeciem ſalute animæ, corporeę reuerà proſpi- *Vbique*
cerent. Sed nec iſtis in bono conſtantia, quip- *ceduntur*
pe bonos vnus metus fecerat: reſiluere breui 1096
poſt, vt eſſent quos Cruceſignati Bolionio Duce in Aſiam contendentes paſſim conficerent: quaſi fuſus Iudæorum in Europâ ſanguis, Iudææ in Aſiâ vindicandę deberet eſſe prælúdium. Exinde enim reſeruatos illos à Deo tantùm ad ſupplicia, quis neget; quãdo laſſis ſubinde qui cæderent, ſuperfuere ſemper qui cæderentur, & in pœnas mirabiliter fœcundi, ſuccreuere ſemper, in quos ſe diuina vltio effunderet? Sed id, vt varias apud gentes obtigerit, ſcribamus ordine, vt impii tandem noſcant quid peccauerint, cum ſimul collecta vident, quæ tulerint.

## CAPVT XXVI.

### *Iudæi Franciæ dejecti.*

QVid apud alios miſeri paſſi non ſint; cum, apud ſe dudum hoſpitantes, Franci hoſpitaliſſimæ obliti indolis, atrociter nonnunquam habitos, à ſe demùm, tanquam ſcabioſa pecora, à ſano grege, abegerint. Reſtituit equidem quos ejecerat Philip- *Philippus*
pus Auguſtus, ſed acceptis eorum opibus in *Aug. pel-*
pretium, vt auaritià Principis gens auariſſi- *lit & re-*
ma torqueretur, & per ea pœnas ferret, per *ſtituit.*
quæ peccauerat. Vſus tamen Rex iis opi- 1219
bus ad expeditionem ſacram, vt Iudæorum etiam ſubſidiis Iudęa vindicaretur. Veſtigia

1253 ſecutus Aui S. Ludouicus, vt gens impia re-
*S. Ludouicus eos pellit.* gno excederet, edixit ex Oriente; niſi ſi qui Sellulariorum opificiis occuparentur. Nam qui alieno ſub cœlo Chriſti hoſtes quærebat quos frangeret, an ſuo eos in regno pacatos ſineret Rex piiſſimus? Eos etiam cùm ob vſuras, tùm ob ſacrilegia in Euchariſtiam expulit Philippus Pulcher; ſed benè excuſſos,
1306 ne quid ſinguli præter ſingulas veſtes deferrent; edicens: ne ſcilicet excedentibus mo-
*Item Philippus Pulcher.* ra fieret, ex opum pondere. Nec opum minori lucro Hutinus reſtituit, quàm pater eiecerat: vt ejecti receptique non ſibi, ſed aliis laborare ſe, tanquam vilia mancipia intelligerent: gaudebant tamen ſibi ſupereſſe vitam, vel miſeram, vt accepta damna daretur vlciſci, per maiora ſcelera. Hinc
1321 de inficiendis fontibus & puteis immane conſilium; vt ſua demùm poſſent repetere, cum exceſſiſſent, qui abſtulerant. At innote-
*Fontes inficiunt.* ſcente, ſine noxâ, facinore, ſuo paſſim terras infecere ſanguine, qui venenis aquas infecerant. Non expreſſus tamen tunc ſanguis ab omnibus, vt ſuperſtites eſſent velut ſpongiæ, à quibus ſubinde pecuniæ exprimerentur. Sed demùm, vbi quodam è ſuis
1395 cælo, qui gentilem maculam baptiſmo eluerat, crimina perduxiſſent ad cumulum; poſt alias & alias pœnas, in perpetuum tandem exilium eiecti ſunt.

## CAPVT XXVII.

### *Judæi paſſim è Germaniâ, & totâ ex Angliâ dejecti.*

NEc mitiùs illis apud Germanos & Boreales fuit, quia nec ipſis ibi maior innocentiæ cura. Illic etiam quaſi vulgarium ſcelerum tæderet, palmarium ſępe aggreſſi ſunt; & ipſum ſacrorum fontem in Euchariſtia violarunt. Enimuerò pro ipſorum in Chriſtum odio, parùm erat ſemel tantùm fuiſſe Deicidas. Quem in Atauis ſub hominis habitu impiè trucidauerant, cum ipſi per ſe ſub panis ſpecie millies confixerunt. Ad inaudita ſacrilegia inhorruere Moguntium, Pulk, Sternebach, Brandeburgum, Bohemia, Sileſia, Polonia, Anglia, & Boreales alii tractus. Sed non alio demùm euentu niſi vt quem ipſi nec voluiſſent hominem, ex emiſſo, ex transfixâ hoſtiâ ſæpiùs ſanguine, aliiſque prodigiis, ipſe Deum ſe, ſub ſpecie panis probaret. In Chriſtianorum infantes quæ ipſorum ferocia? quibus belluino vti ſanguine, pro victu ſacrilegium eſt; infantili vti pro remedio conſuetudo ipſis erat, vt Tornauiæ in Hungariâ compertum à Reis eſt. Putabant inde non ſolùm abſciſſi præputii ſanguinem ſiſti, ſed fluxum quoque menſtruum; quo etiam apud eos viri dicuntur laborare. Adde quod ex Antiqui Rabbini placito, non poterant auerti miſeriæ, quæ ſine induciarum vicibus ingruebant; niſi ſanguinis Chriſtiani velut Amuleto. At & perfidi, Chriſti

*Sacrilegi in Euch.*

*Inde prodigia.*

*Infantes Chriſtianos necant.*

ſanguis expiatorius eſt, & verè Chriſtianus. Eo ſolò debetis ablui, vt mundemini, eo mergi, vt è calamitatum gurgite emergatis. Id ſi minùs clarè ſcripturæ doceant; cur propriis ab experimentis non didicerunt: quid enim hactenus, in effundendo innocentium ſanguine, ſua inhumanis ferocia profuit; niſi vt ipſi ſuum paſſim, Francofurdi, Fuldi, Pragæ, Tornauiæ, in Angliâ, & alibi funderent, & qui furtim innocentes peremerant, Rei palam à populis cæderentur; & cùm ex plurimis Germaniæ Prouinciis, tùm ex totâ Angliâ, edicto Regis, ex Londinenſis Concilii decreto, in perpetuum eiicerentur?

*Paſſim plectuntur & pelluntur.*

1290

## CAPVT XXVIII.

### *Iudæi ex Hiſpaniis deiecti.*

NEc longum Sabbatariis datum à cladibus Sabbatum in Hiſpania: nec enim poſt Siſebuti mortem reſiluere, niſi vt eos duriori jugo Receſuinthus premeret; & Egicanes iterum rebellantes in ſeruitutem redigeret, liberis tenerioribus ad baptiſmum reſeruatis. Subinde tamen ereξere ſe vt nouis cladibus comprimerentur, & demùm à Barcinonenſibus facto initio, dirimerentur toto regno, populariter cæderentur, & quod triſtius ſynagogarum paterentur incendium. Nam etiam ex impetu ſæuire in impios, pietatis erat. Quid quod Toletani probroſum ſibi fore crediderunt, ſi qui ex ipſis Chriſtiani fierent, eos ad vlla munia ſiue politica, ſiue ſacra admitterent,

653 *Seruituti addicuntur.*

1391 *Populariter cæduntur.*

1449

quaſi natalium purgandæ ignominię baptiſmus non eſſet. At erat hic zelus intemperans, impiè ab humanis eos honoribus prohibens, quos ad diuinos Deus deſtinat. Meritò igitur tum à Toletano Decano per ſcripta, tum à Nicolao V. Pont. per decreta, repreſsâ illa pietatis intemperantiâ; ſpes facta Neophytis eſt ad humana decora, ad quæ peruenirent per diuina. Nec tamen eâ tantum profectum indulgentiâ, quin plerique participes honorum cum Christianis eſſe recuſauerint, ne eſſent & fidei. Inde Ferdinando venit in mentem ſtimuli efficacioris. Iuſſit omnes Hebræos ſuo è regno excedere; niſi ſi qui ad azylum Eccleſiæ accederent: tametſi enim plurimi (octoginta millia fuerunt) aliò migrauerint; non minor tamen numerus, ne fierent extorres Hiſpaniæ, cœli ciues, & Eccleſiæ domeſtici facti ſunt. Pium zelum imitaturum ſe in Luſitaniâ promiſit Rex Emanuel in pretium ſibi datę à Ferdinando in ſponſam Iſabellæ filię. Impuberes tamen retineri voluit ad baptiſmum, ne quos à Regno, è cœlo quoque excluderet. Eliminatis vndique, ſuis in ditionibus azylum Eccleſia dedit. Chriſtianæ Lenitatis exemplum ingens! eos etiam velle ſaluos à quibus ipſa damnum ſępe ſentiat: nec minus diuinæ miſericordiæ ſimul & iuſtitiæ ſpectaculum, illius quod etiamnum durent Dei parricidæ: iſtius quod tam miſeri.

*Neophyti vix ad dignitates admittuntur.*

1492 *Hiſpania pelluntur.*

1446 *Et Luſitania.*

## CAPVT XXIX.

### *Tartarorum eruptiones primæ.*

TArtari gens Scythica, excuſſo Indorum jugo, nouum ipſi ſibi, Cangio Cane Duce, conſtituerunt Imperium; quod ab Orientali Oceano latè per Septentrionem, ad mare Caſpium, porrectum, Orbi reliqui cladibus creſceret. Quid enim non attentent efferi? quibus & pugnantium numerus, & pugnarum felicitas, nihil non audendi faciebant animos? Hinc Hocotij, qui Cangium exceperat, tres liberi partiti ſunt inter ſe orbem, quem ſubigerent. Cadaganus Meridionalia ſortitus, amiſſis in Æthiopiâ copiis ad fratrem Iachimum rediit; cui Occidens obtigerat: Hic multis in Aſiâ ad Perſidem, & Regnum Turqueſtam, potitus, Turcas etiam ſubdidit, Gouiatâ Rege cum copiis fuſo. Battus verò tertius Hocotij filius Borealia aggreſſus, & obuia quæque latè ferro flammâque permenſus, Moſcouiam, Ruſſiam, Poloniam, pulſo Rege Boleſlao, Hungariam acto ad latebras Belâ Rege; cladibus obtriuit. Ad Vratiſlauienſem tamen arcem fregit impetum indomita bellua; non propugnantium viribus, quæ fractæ conciderant; ſed Ceſlai Dominicani precibus. Nam cum humana nihil poſſent, à Deo accerſenda præſidia erant. Ex obniſu ferocior, in Henricum Pium Vratiſlauiæ Ducem incurrit, ac vi etiam ſubnixus magicâ (nam Tartaris quid potius

*Cangius Canus.*

*Orbem ſubigere parant.*

1241 *Europa Borealis vaſtata.*

*Vis orationis.*

opituletur quàm Tartarus?) tanta ipſum ſtrage perculit, vt ex cæſorum ſingulis, ſingulæ auriculæ præciſæ, nouem ſaccos impleuerint. Quamquam Thebæa fuit illa victoria, quippe fractis, vel dum vincit, viribus, imperii metas Boriſtene, Tanai, & Rha fluuiis finire coactus eſt. Non iis ita ſe continuere poſteri, vt per nouas irruptiones, & clades in Poloniam, Hungariam & finitima, antiquas non renouauerint. In hoc planè Tartarei, qui ab armis & aggreſſionibus non ceſſant, niſi vt ſe ad arma parent.

## CAPVT XXX.

### *Tartarorum pro Chriſtianitate, & contra, certamina.*

CLades Tartaricas vltas voluit Innocentius IV. more Chriſtiano, beneficiis. Indoluit eos per idololatriam excludi à cœlo, qui terris tam latè præerant. Inde ad ipſos Boream verſus miſſus Ioannes Planocarpinus cum ſociis Franciſcanis: Ad Orientem verò Anſelmus, cum ſociis Dominicanis, vt ſacri fœciales, eos pace vincerent, qui armis præualuerant: & altius eos attollerent vndâ baptiſmatis, quàm ipſi ſe, ſanguinis effuſi quaſi lauacro, extulerant. At impios puduit plures Deos vno mutare, & eo Crucifixo, ad Monachorum alloquium. Dignum ſe nimirùm credidit Mangius Magnus Cam; ſeu ſupremus illorum Imperator, qui de ſe, non Monachis, ſed Regi, (is fuit Hactonus Armeniæ

1245

*Fiunt Chriſtiani.*

Rex, qui ad Mangium, fidei illi perſuadendæ causâ, acceſſerat) trophæum poneret. Quanti fuit de Rege potentiſſimo Euangelica victoria! Ab eo enim ſtatim Syriâ totâ excuſſi Mahometani; & S. Ludouicus, qui tunc Cyprum, ad bella Ægyptiaca, appulerat, per Legatos, ad rem ſtrenuè perficiendam commonitus. Incaleſcens quippe recentis adhuc fidei flammâ, vt ſe verè fidelem oſtenderet, eodem ſe in infideles eſſe animo, quo Rex Chriſtianiſſimus probare voluit. Eo igitur promouente, refloreſcebant in Oriente res Eccleſiæ, cum ecce nouum ex diſcordiâ, inter ipſius defuncti liberos, periculum. Quantùm verò illud inualuit; vbi Tanagadorus rerum potitus ad ritus Mahometicos defecit! Non impunè id tum quidem, vt qui à fratre Argono Chriſtianorum vindice, quem inſidiis tentauerat, victus perfidiæ pœnas dederit. At non propterea Regaithus Argono ſuffectus animi ſanioris, & Eccleſiæ reuerentioris: nempe vt & iſte cæſus locum Batto faceret, qui Mahometicam impietatem affligeret. At vnde ſalutem populis, ſibi iſte perniciem acciuit obtruncatus à perfidis; qui Caſſano Argoni filio detulerunt imperium. Hæſit aliquandiu Caſſanus in ritibus impiis, vt ex eis prodigio explicaretur. Ob informem fœtum, ſponſam Regis Armeni filiam igne damnauerat; quaſi monſtroſa illa ſoboles non potuiſſet, niſi adulterio generari; nec deprecabatur illa pœnam, quæ vitium non plecteret, ſed innocentiam

*Margin notes:* 1253 — *Mahometanos vincunt.* — *Ad ipſos deficiunt.* 1282 — *Et cæduntur.* — 1284

coronaret; dum ſibi confeſſionis, & fœtui baptiſmi copia fieret: cum ecce miraculum in Reginâ probauit innocentiam, & in Rege fecit. Nam ex luſtrali fonte puer pulcherrimus exiuit; vndà, quæ ſordes animæ purgare ſolet, vim ſuam etiam in membris, geminato miraculo, promente. *Miraculum baptiſmi.* Vt non minorem in ſe, quàm in fœtu mutationem factam Caſſanus oſtenderet, legem, quam tuebatur, cœpit inſequi; indicto aduerſus Ægyptum Sultanum Melechnazerum bello, & quam oderat promouere; ad Emeſan reportatâ victoriâ, cujus præmium eſſet Syria & Palæſtina. *Caſſanus vincit Mahometanos.* Ex clauibus emergebat illuſtriùs in Oriente Eccleſia, ſi vel eam tuendi Occidentalibus fuiſſet animus, aut Caſſanum mors improuiſa non abſtuliſſet. Quanta vis in vno corpuſculo, eoque deformiſſimo! Dicas eius oppreſſam pedibus ingemuiſſe Barbariem, & innixam humeris Chriſtianitatem ſtetiſſe: quippe eius ad caſum iſta concidit, illa ſurrexit. Nam Cambagdo, (ſiue ille frater, ſiue filius defuncti fuerit) deficiente ad impios, Ægyptij recuperauere Syriam: Turcæ minoris Aſiæ bonam partem, Parthi Perſidem inuaſere. 1304 *Qui poſt ipſum amiſſa recuperant.* Sic impietate Principis dilaceratum prorſus imperium eſt, quod Chriſtianitatis cultu, ad ſummam felicitatem aſſurrexerat.

## CAPVT XXXI.

### *Latinorum pro Oriente cona'us vl'imi.*

NOn magis ſibi, quàm nobis Caſſanus vicerat, ſi vt per Legatos à Pontifice poſtulauerat, tranſmiſſis in Orientem copiis, Syriam & Palæſtinam recipere voluiſſemus. Non equidem ſtetit per Bonifacium VIII. Benedictum XI. Clement. V. & alios Pont. quominùs alienę victorię fructus nobis cederet. At noſtris non fuit animus nobiliſſimas Prouincias vel oblatas vltrò recipere, quas nec poſſent, ſine magno labore, defendere, nec ſine magno probro perdere. Id vnum profectum, vt primùm Philippus Pulcher Franciæ, Eduardus Angliæ, & Ludouicus Nauarræ Reges, tùm Philippus Valeſius Franciæ, Ioannes Bohemiæ, Philippus Nauarræ Reges, ſub ſpecię belli ſacri magno ſtrepitu coram Legatis Pontificiis deſtinati, ſacras opes apud ſe corraſerint, & barbaros ad Chriſtianorum, ſi qui apud illos ſupererant, ſtragem prouocauerint. Id enim genus hominum, ſi prouoces, te perdent, ni occupes. Ne intra minas ſemper, & in vmbrâ eſſet Latinorum de Barbaris vltio: promouere conatus eſt Clemens VI. inito cum Venetis, Genuenſibus, Equitibus Rhodiis, & aliis fœdere. At vna Smyrna expugnata, & à Sultani Marſbaſciani aſſultibus propugnata tanti operis pretium fuit, nec illud ſine damno, vt quod Henrici Patriarchæ Byzantini Legati Pon-

*Inani ſtrepitu de bello in Turcas actum.*

1344

tificii, Zeneti Venetę claſſis Præfecti, Martini Genuenſium Ducis, & aliorum procerum morte conſtiterit. Nec ab Humberto Delphino inſtaurata eſt ſacra expeditio, niſi vt occupata à Vignoſio Genuenſium Pręfecto, Chio Inſula, inter ipſos & Venetos, qui prædam illam ſibi maluiſſent, diſcordiarum, quæ vtramque Remp. fœdè diſcerperent, eſſet ſeminarium. Ex eo inter orbis Occidentalis Principes atrociùs digladiatum eſt, quàm vt Orientalibus daretur intendere. Conatus quidem Hugo Rex Cypri, Romam ad Innocentium VI. profectus, ad pacem inter ſe illos vrgere, quò ad bellum in communem hoſtem accingi poſſent: At citiùs ipſe Romæ extinctus eſt, quàm extingueretur in Europâ diſcordia. Felicior in ſpeciem eius filius Petrus: licet enim Attaliam Pamphiliæ Rhodiorum Equitum auxilio Turcis extorſerit; & Auenione coram Vrbano V. Pont. vt Ioannes Rex Franciæ, Vualdemarus Rex Danię, & multi variarum gentium proceres ſacræ militiæ nomen darent, euicerit: vnâ tamen Ioannis morte, tot laborum molitio euanuit. Data illi nihilominùs velut in ſolatium quædam auxilia, quibus in Ægypto Alexandriam inuaderet, atque ſubjectis facibus incenderet, ne (regreſſum jam tum cogitantibus Latinis,) quam tueri vt ſuam non poterat, integram hoſti relinqueret. Verùm in ædes vim, & iram conſumere, non vltio de hoſte eſt, ſed infirmitatis propriæ confeſſio. Nec, quod res erat, impios latuit. Ideo non jam ſui ſe Orientis finibus continere, inſultare auda-

*Diſcordia inter Venetos & Genuenſis.*

1360.

*Alexandria comburitur.*

cius, & Occidentalia Pyraticâ impunè in-
feſtare. Vlciſci conatus injuriam Dux Bor-
bonius Franciæ ſtirpis Princeps, Affricę lito-
1384 ralia primò diripuit, tùm ad Genuenſium,
*Dux Borbonius in Africa.* quorum maximè turbabatur commercium,
preces ex Francis, Anglis, Venetis, & aliis
claſſem numeroſiſsimam ad Tunetum, jam
tùm Prædonum perfugium duxit. Sed id
vnum operoſiſſimo conatu promotum, vt
captiuis aliquot Chriſtianorum redditis,
ſuâ non exceſſurum ſe Affricâ hoſtis promit-
1390 teret. Quaſi non fuiſſet armatum, vt acce-
ptæ vindicarentur injuriæ, ſed vt futuræ
dumtaxat cauerentur. Id verò Caduceatoris
vnius opus fuit, non expeditionis. Hi fuere
vltimi Latinorum ad Orientalia conatus;
niſi ſi quos aliquando Græciæ calamitas
poſthac acciuit: at & tunc magis laboratum,
ne perderentur quæ ſupererant, quàm vt re-
cuperarentur quæ perdita fuerant.

# FLORI CHRISTIANI LIBER DECIMUS.

## CAPVT PRIMVM.

*Turcicum Imperium conſtitutum Pruſiæ ab Ottomano.*

MORAE quidpiam objectum à Tartaris Turcarum ferociæ, vt ex oppidis, quæ retinuerunt in Aſiâ Minori, impetu majori erumperet. Torrentem dicas, cui repreſſus, inde objectu aggeris, in partem alteram effrenius exundat. Spes tamen erat diſſolutum iri breui in ſeptem Satrapias diuiſos, ſi Græcis vel proprium ſanguinem fundere fuiſſet pudor, vel barbarum audacia. Sed dum vel jacent ignauius, vel in ſe mutuò dumtaxat audent, *Ottomanus* Satraparum vel potentiſſimus, vel feliciſſimus, cognatis proceribus oppreſſis, fundamenta ponit Imperij, quod deinceps, noſtris ex cladibus, ad prodigioſam orbe toto magnitudinem creſcat. 1300

*Ottomanus Imp. Turcici conditor.*

Nam expugnatâ demùm Pruſiâ; quæ caput imperij aliquandiu eſſet, Europæas victorias auſpicatus eſt; & per Medecum, & Halim Thraciam euaſtauit. Et quamquam nonnihil moræ ſenſerit ex Catalanis; quos pace cum Francis initâ, Fridericus Siculus,
1328 Duce Rogerio, auxilio miſerat Andronico Imp. eius tamen potentiæ conditor fuit, cuius ſub onere laborat etiamnùm orbis.

## CAPVT XI.

### Turcarum prima in Europa Victoria.

1328 *Orchanes.* ORchanes patris proſecutus victorias; cùm alia; tum Niceam & Nicomediam perdomuit. Vel ex ipſo ſubactarum Vrbium nomine, futuræ victoriæ ſumpto augurio, Ægei euaſtat impunè Inſulas: & dum Andronici Auus & Nepos digladiantur inuicem: ac Catalanos, quorum imprimis ope tuens Imperium fulciri poterat, negatis *Græci ſua inſipientia pereunt.* primùm ſtipendiis, deinde cæſo Rogerio, exaſperant: ipſam Conſtantinopolim ſubegiſſet, ni Veneti primùm, & Genuenſes adfuiſſent auxilio; deinde Franci, qui ad
1332 Ioannis XXII. Pont. monita Venetis ſe iunxerant, ducentis & quinquaginta hoſtium nauibus concrematis, illatas clades vindicaſſent. Ad vlteriora impellebat occaſio, & feliciora victoria ſpondebat: cùm Andronico venit in mentem conciliari cùm Barbaro, vt Genuenſes à Phocæâ, & Mitilene depelleret. Probrum hominis, & Chriſtianitatis Carcinoma! cui ſatius fuit Ma-

hometano ſubiici (quid enim aliud eſt cum potentiore ſocietas) quàm Chriſtianis, iiſque beneficis ſociari. Nec excuſatior Cantacuzenus; qui vt Græcorum Tyrannus fiat, excluſo Ioanne Andronici Maioris filio, cui tutor à patre morituro datus fuerat; Tyranni mancipium fieri non erubuit. Nam data Orchani in ſponſam filia Theodora, non tam fuit ſocietatis vinculum; quàm ſeruitutis auctoramentum. Inde Callipoli, Cherſoneſo, & aliis occupatis, certas in Europâ ſedes habere datum eſt Barbaris, quam hactenus ſatis habuerant populari. 1345
Quamquam non ex Tyranni tantum perfidiâ venit Græciæ ſeruitus; ſed & à Deo: vt author, vel eſſet ſolatio, quod tam bonus, vel calamitatum incremento, quod tam iuſtus. Quam gentem Deus ſuo in terris Vicario pertinaciter Rebellem nouerat, eam Erebi Satellitibus ſubditam voluit. Quid dubites de fatali ſententiâ; quando Solimannum Orchanis filium à diſceſſu, quem ſub ſpem pecuniarum promiſerat, nihil aliud prohibuit; quàm terræ motu ſubito collapſa vrbium mœnia? Ad hæc enim Solimannus inſipientiæ fore credidit, ſua hoſti dimittere, cum ſibi vel otioſo, hoſtilia Deus patefaceret.

*Seruitus Græciæ fatalis.*

## CAPVT III.

*Turcarum in Europa imperium Hadrianopoli per varias victorias conſtitutum.*

QVam ſeruitij catenam nectere maiores cœperant, eam Ioannes V. Palæo- 1355

logus abſoluit; quando ſuam ſibi non fore tutam potentiam credidit; ni allectis ad ſatellitium Turcis, quorum ope compulſo ad Aſceterium Cantacuzeno ſocero, & tutore; Proceres tumultuantes repreſſerat, hoſtium ſe potentiæ permiſiſſet. Non fuit id capiti coronam aſſerere; ſed collo iugum. Hinc enim facilius Amurathi fuit, Orchane patre, & Solimanno fratre mortuis, in Thraciam tranſmittere, & fuſis Bulgaris, Seruiis, & aliis, qui progreſſibus audebant obſiſtere, Hadrianopolim expugnare, quam Imperij Europæi arcem interea faceret. Inter hæc pro beneficio habebat vmbratilis Auguſtus, quod tributo pacem redimeret, & precarius Imperator duraret. Stultus ſi ſocietatem cum potentiori ſeruitutem eſſe neſciit; amens ſi ſciens iniit. Tot Principum domitor Amurathes, manu tandem ſeruili periit; à ſeruo Lazari Deſpotæ Seruiæ, quem in vinculis mori coëgerat, interemptus: *Adeo nulla vis eſt; cui ſubruendæ non ſit vel infirmitas.* Spes libertatis à ſeruo affulſerat, ni Baiazethes patri, per fratris Iacupi cædem, ſuffectus, apud Bulgaros, Triballos, & finitimos continuatis cladibus, ſubactâque Nicopoli, & Aſiâ diuexatâ, ſpei præceptæ vel inane ſolatium miſeris ademiſſet: quin & promouiſſet ad Byzantium victorias; ni Turcis ad domicilium intra mœnia aſſignato vico, & annuo tributo, pacem Imperator redemiſſet, & totum poſuiſſet in tuto, partis diſpendio. Nec ſegniùs ad auxilium, quod iam parauerat, Sigiſmundus Rex Hungariæ accurrit. Nempe vt quam in vrbe cladem

*Amurathis I. Victoria.*

1362

*Et Baiazethis.*

1392

*Turcis datur Byzantij vicus.*

Chriſtiani

Chriſtiani euaſerant, paterentur in caſtris: cœpit à Francis clades, qui ſub auſpiciis Niuernenſium Ducis auxilio venerant. 1396
Dum enim nec dum benè compoſitis ordinibus, nec expectato prælij ſigno, in hoſtem temerè irruunt, fœdè trucidantur prope Nicopolim. Sic palmam quidem Hungaris, vt ex æmulatione voluerant, præripiunt; ſed quam ſuo purpuratam ſanguine hoſti concederent. Profugos inſecutus Barbarus paſſim cæcidit: nec parcitum Sigiſmundo fuiſſet, ni tranſmiſſo opportunè Danubio Byzantium euaſiſſet. Inde longo, per Egæum Ioniumque mare, nec non per Dalmatiam & Croatiam circuitu, quaſi præ pudore rei infeliciter geſtæ, de induſtria cunctaretur, poſt duodeuiginti menſes in Hungariam rediit. Captiuos nobiles Victor ſuos ob oculos iuſſit occidi, inhumanus, dum tam dirè præter fas ſæuiit; ſed quantò inhumanior dum pepercit! quippe Niuernenſi Comiti ob id vnum vitam dedit, quod ſuæ olim patriæ futurum facem ex vaticinio nouerat. *Adeo* ex inhumanitate fermè eſt, quod Tyranni aliquando humani ſunt.

*Clades Nicopolitana.*

*Sigiſmundus fugit.*

*Parcitur Ioanni Niuernenſi.*

## CAPVT IV.

### *Pontifices ſæculi decimi-quarti.*

*Benedictus IX.* ante Nicolaus Bocaſinus Opilione patre ortus, ex generali Dominicanorum Cardinalis Oſtienſis dictus à Bonifacio, ei ſubſtitui viſus non eſt; niſi vt quæ acriori rigiditate Bonifacius peccauerat, prudenti manſuetudine emendaret: vt

*Bened. IX* clxxxxix. 1303 *22. Octob.*

alibi dictum eſt. Cum ad maiora ſe accingeret quorumdam Cardinalium fraude, medicatis ficubus extinctus eſt, octauo ab
1304 electione menſe, die 17. Miraculis poſt mor-
*6. Iul.* tem claruit, qui viuens eximijs virtutibus excelluerat. Certè cum ad eum mater adhuc ſuperſtes ſpecioſo induta cultu accurriſſet,
*Moderatio.* matrem eam eſſe negauit, donec viliòribus reſumptis veſtibus, ſuo ſe habitu prodidiſſet.

1305 Cardinales ad decimum vſque menſem
*5. Iun.* diſcordes conſenſere tandem in *Clementem*
*Clem. V* *V.* modo alibi declarato. Hic quæ Bonifa-
CC. cius aduerſus Philippum Pulchrum conſti-
*A. 8. . 41.* tuerat reuocatis, Sardiniam & Corſicam ab eodem Aragoniis Regibus in feudum attributas, ſuo etiam ſuffragio aſſertas voluit. Viennæ in Synodo generali, quibuſdam hereſibus damnatis, Templariorum ordinem
*Templarij extincti.* extinxit. Venetos ob inuaſam Ferrariam ſacris motos, recepit in gratiam. Conſtitutà Auenione ſede, Italiam per vicarios rexit. Per Legatum Pariſiis egit, vt Reges Franciæ, Angliæ & Nauarræ eò congreſſi, ad ſacram in Orientem expeditionem ſe voto adſtringerent. Robertum Caroli Claudi filium Imperatore Henrico mortuo, Vicarium Imperij in Italià dixit. Vt in ſtudiis Pariſienſi, Oxfordienſi, Bononienſi, & Sal-
1314 manticenſi Orientales linguæ decerentur
*20. Apr.* conſtituit. Ad Rupem Mauram ad Rhodanum exceſſit, an. 9. m. 1. d. 3.

Cum duobus iam elapſis annis nullum adhuc Pontificem Eccleſiæ Cardinales diſcordes darent, Philippus Pictauij Comes eos

vario prætextu Lugdunum ſeorſim accitos, ac in Dominicanorum Cænobio incluſos non ante dimiſit, quàm in Iacobum de Oſſa Cadurcenſem, ſutoris Veteramentarij filium, ſub nomine *Ioannis XXII.* conſenſiſſent. Quæ aduerſus Bauarum, Minoritas, & Nicolaum Corbarium Antipapam egerit alibi dicta ſunt. Vt Tholoſa & Cæſaraugusta Metropoles eſſent conſtituit, Epiſcopatibus aliquot, quos Toloſæ ſubderet erectis, & quinque Tarraconenſis ante Prouinciæ, Cæſaraugustanæ attributis. In Roberti Regis gratiam Siculos vnà cum Rege Friderico ſacris interdixit, & ad bellum Italicum primos Beneficiorum fructus ſibi reſeruauit. A ſuâ ſententiâ de Iuſtorum beatitudine ad diem vſque vltimi iudicij dilatâ, quam non ſine multorum ſcandalo & murmure, è ſuggeſtu etiam publico docuit, dimoueri vix potuit. Ac tandem an ea vera eſſet probaturus, ad iudicium vocatus eſt, Auenione, anno ſedis 18. m. 4. d. 3.

*1316 5. Sept. Ioannes XXII. CCI. L. 9. c. 11. Metropoles conſtituit. Annatarum primordia. Opinio ſcandaloſa. 1334 4. Decem.*

*Benedictus* XII. ante Iacobus Fornerius Molitoris filius, ex Abbate Fontis Frigidi Epiſcopus primò Apamiarum, tum Mirapicenſis, deinde Cardinalis ac ſummus Pontifex. Cum tractatus de pace cum Bauaro fruſtra cederet; non paucas Italiæ Vrbes Bauarici ſchiſmatis reas in gratiam accepit; conſtitutis præfectis, qui Vicariorum Imperij nomine illas regerent. Damnato errore in quem circa dilatam Iuſtorum beatitudinem Ioannes propenderat, dogma Catholicum ſtabiliuit. Fratricellos, quos Cardinalis adhuc ſcriptis laceſſerat, ana-

*Benedic. XII. CCII. 1334 20. Dec. Opinionem Ioannis damnat.*

themate perculit. Ne beneficia Eccleſiaſtica indignis darentur ſollicitè prouidit, ſubinde repetens *nolle ſe lu'um exornare.* Cum inde multa beneficia vacarent, ſatiùs ac ſecuriùs

*Dictum ſapiens.* eſſe dicebat, ea vacare, quàm indignis dari. Conſanguineos ſe noſſe diſſimulabat, aſſerens *Romanum Pontificem conſanguineos non habere.* Cumque pro illis non pauci inſta-

*Moderatio.* rent, *ſi mei,* inquit, *non fuerint dominati, tunc immaculatus ero.* Cum Philippus Franciæ Rex de Syriacâ expeditione non cogitaret, exigendæ veniam decimæ, quam eo fine deceſſor indulſerat, reuocauit: ac de eo conquerenti, *expoſiturum ſe pro ipſo animam diſcrimini, ſi duas haberet* reſpondit; *At, vt quam vnicam habebat vllius ergo in diſcrimen adduceret, non commiſſurum.* Ne ſe in-

*Sapiens reſponſum.* uicem factioſis Gibellinorum Guelforumque vocibus Itali laceſſerent, prohibuit. Auenione demùm ſanctiſſimè obijt, anno

1342. 25. Apr. Pontificatus 7. m. 4. d. 6.

1342. 7. Mai. Clem. VI. CCIII. Petrus Rogerij Abbas Caſæ Dei, Attrebatenſis primò præſul, tum Senonenſis, poſtea Rotomagenſis; ac Cardinalis Benedicto ſuffectus eſt, ſub *Clementis VI.* nomine. Iubilæum ex Bonifacij decreto centeſimo quoque anno dumtaxat celebrandum, vt quinquageſimo celebraretur conſtituit. In Bauarum,

*Bauarum abdicat.* qui ſub Benedicto nonnihil quieſcere viſus fuerat, cenſuras renouauit, ac tandem obduratum in contumaciâ, imperio abdicauit. Regno Neapolitano, cùm Ioanna Regina, præ teneriori ætate, adminiſtrando par non eſſet, per Cardinalem Aimericũ prouidit; Ipſamque Ioannam poſtea Andreę

Hungari Mariti cæſi ſuſpectam, ac Auenionem profugam, innocentem dixit, ac in Auenionis emptæ pretium, grandi pecuniâ donatam liberam dimiſit. Tametſi agnatis locupletandis & prouehendis eſſet addictior, egenorum tamen incurioſus prorſus non fuit; cum lue teterrimâ ſæuiente, vt ægris ſubueniretur liberali pietate prouiderit, Romanam fidem in Armeniâ, Ruſciâ & alibi per literas & nuncios exſuſcitare conatus eſt. Ioan. Vicecomitem Mediolani præſulem, & à Fratris Luchini obitu Dominum, ob occupatam fraude Bononiam ſacris mouit, vnâ cum conſciis; vt alibi dictum eſt. Carolum IV. Lucemburgium Imperatorem dici curauit. Pragenſem Eccleſiam Metropolitanam fecit. Auenione demùm piè obijt, anno Pontificatus 10. m. 6. d. 23.

*Auenionem emit.*

*1352 6. Dec.*

*Stephanus* Alberti Lemouicenſis, ex cauſarum patrono Iudex primarius Tholozæ, tum Epiſcopus Nouiodunenſis, Claromontenſis, Cameracenſis, ac demùm Cardinalis Oſtienſis Clementi ſuffectus eſt, ſub *Innocentij VI.* nomine. Nihil antiquius habuit, quàm vt reformatâ curiâ, quæ deceſſorum ambitione, vel incuriâ vitia irrepſerant emendaret; Cardinales ipſos, qui luxum reſcindere, & à turpibus abſtinere cunctarentur, *Curiæ ſtercora* nuncupans. Sub anathematis pœnâ omnes quibus animarum cura incumbebat, ad ſuas Eccleſias abire iuſſit; *Oues à paſtoribus, non à mercenariis paſcendas eſſe dicens.* Reſeruationibus quas Clemens fecerat reſciſis, ne beneficia con-

*23. Dec.*

*Innoc. VI. CCIV.*

*Reſidentiam curat.*

*Et iudiciorum integritatem.* ferrentur indignis ſollicitè prouidit. Auditoribus rotæ aſſignauit ſtipendia ne muneribus eſſent obnoxij : *vix enim eſt*, vt dicebat, *vt ab alieno cibo, ſi offeratur, abſtineat, diu ieiunus*. Ditionem Eccleſiaſticam per Cardinalem Albornotium feliciſſimè recuperauit. Inuectam Romæ tyrannidem à Baroncello, per Nicolaum Gabrinum ſuſtulit ; vt quam iſte inſtaurabat populus excidit, Carolo IV. coronam Imperij dari Romæ iuſſit per legatum. Nihil non egit per legatos, & per ſeipſum, quo Reges Franciæ & Angliæ attrociſſimis odiis concertantes componeret. Generalem Dominicanorum in Capitulo generali abdicatum reſtitui iuſſit. Carthuſiam Villanouæ à ſe fundatam ampliſſimis reditibus locupletauit, & in ea ſe-
1362. 12. Sept. peliri voluit. Obijt autem, anno Pontificatus 9. m. 8. d. 26.

*8. O. flab.* Guillelmus Grizatius Diœceſis Mimatenſis Abbas S. Victoris ad Maſſiliam, diuino magis, quàm humano ſuffragio, vt de quo ne cogitatum quidem eſſet ante plectionem Innocentio abſens ſuffectus eſt, ſub *Vrban. V. CCV.* *Vrbani V.* nomine. Reformandæ Curiæ, atque adeo Eccleſiæ ſedulò inuigilauit.
*Reſidentiam curat.* Ideo ad ſuas Eccleſias miſſi Præſules, iuſſique vt in Synodis Prouincialibus diſciplinæ Eccleſiaſticæ, & moribus in integrum reſtituendis collaborarent. Vt vno
*Pluralitatem beneficiorũ tollit.* quiſque beneficio contentus eſſet edixit, Cardinalium & aliorum luxum ſeueris decretis compeſcuit, ſed magis exemplo, vt qui habitu Monaſtico infra Pontificium ſeruato, Monachalem in lecto duritiem, in

victu parcimoniam non dimiſerit. Ne apud Cardinales tuti eſſent grauium ſcelerum-Rei prohibuit; indignum ratus Iuſtitiæ & Innocentiæ azylum ſceleratiſſimis prodeſſe. Ioannem Franciæ, Petrum Cypri, & Daniæ Reges Auenionem congreſſos ad bellum Turcicum voto adſtrinxit. Carolum Imperatorem Auenionem profectum, & Arelatis in Regem coronatum in Bernabonem Vicecomitem, Mediolani Dominum, quem ob ſacrilegia & hæreſes diris deuouerat, accendit. Non ſine acri Cardinalium ſenſu, Romam verſus iter inſtituit Viterbij. Nuncios à Ioannis Palæologi Imperatoris Byzantini nomine Vnionem & obſequium ſpondentes accepit. Idque Imperator ipſe per ſe Romæ, vt promiſerat, impleuit. S. Eleazarum à Sabrano, Ariani Comitem Diuorum faſtis adſcripſit. Ordines Ieſuatorum & Brigitanorum approbauit. Sacra D. Thomæ lipſana Ciſtercienſib. foſſæ nouæ pio furto ſublata, Dominicaniſque attributa, vt Tholozam deferrentur induſſit. Auenionem præter D. Brigitæ monita & præſagia regreſſus, ad conciliandam inter Francos Angloſque concordiam, breui poſt pijſſimè occubuit in habitu monachali, intra D. Petri Eccleſiam, quò deferri voluerat adſtante infinita ciuium multitudine. 8. Pontif. an. m. 2. Pietatem in eo ſupra Pontificium gradum inſignem, per multa miracula Deus teſtatam voluit.

*Imperator. coronat.*

*Ordines approbat.*

1370

*19. Dec.*

Petrus Rogerij Clementis VI. Nepos ex fratre ſub nomine *Gregorii* X. Vrbano ſuffectus eſt. Deceſſoris conſilium proſecutus

*Greg. X. CCVI.*

*30. Dec.*

Francos cum Anglis conciliare conatus eſt. Sed felicius Ioannam Reginam Neapolis cum Friderico Rege Siciliæ, dudum vnà cum Inſulâ ſacris interdicto; & Henricum Caſtellæ, cumFerdinando Luſitaniæ Rege compoſuit. Bernabonem Vicecomitem ad anathemata obduratum, per Sabaudiæ imprimis Comitem armis aggreſſus eſt. Tum ſiue D. Brigitæ vaticinio, quæ ipſum Romam venturum diu ante prædixerat; ſiue Catharinæ Senenſis ad ipſum à Florentinis miſſæ ſuaſionibus, ſiue diuino inſtinctu Italiam perrexit; ac in Florentinos Eccleſiæ ſemper rebelles diris primò, tum armis egit.

*Romam vadit.*

Auxilia pro Armeniæ, & alijs Chriſtianis in Oriente Regibus, Europâ totâ per literas & nuncios ſollicitauit. Virginis præſentatæ feſtum inſtituit; vt & Eiuſdem naſcentis peruigilium. Cænobitarum vbiuis reformatione curatâ, Hieronymitanos in Hiſpaniâ approbauit. Nec interea laicorum oblitus per indicta pluribi Concilia Prouincialia eorum emendandis moribus incumbi voluit. Romam appulſus adeò populum obſequentem, vt ſperauerat, non habuit, vt contumaciores multò expertus ſit, vt & Florentinos, quorum Oratores, pacis ſtudio, benigniſſimè ad communionem admiſerat. Præſuli Pariſienſi, quem à Senonenſis obſequio ſubtrahere, ad Regis petita, negauit, vſum pallij indulſit. Bononiæ collegium in quo 30. Scholaſtici alerentur inſtituit. Romæ demùm obijt anno ſedis 7. m. 2. d. 28.

*Cænobitas reformat.*

1378 *27. Mar.*

*Vrb. VI.* *Vrbanus VI.* antea Bartholomæus Prægnanus

gnanus Archiepiſcopus Barenſis, ex metu CCVII.
populi tumultuantis, & Pontificem Ita- 1. April.
lum, qui Romæ reſideret, Italiæque tran-
quillitatem redderet, velle ſe minaciter con- Schiſma.
clamantis, Pontifex dictus eſt. Inde ſchiſma
quo iam non Italiæ ordo politicus, ſed Eu- L.10.c.4.
ropâ totâ Chriſtianus, permixtus eſt, vt ex
alibi dictis liquet. Quæ ad Ioannam Regi-
nam, & poſtea Carolum Dyrrhachinum L.10.c.5.
deprimendos, & nepotem ſuum promouen-
dum molitus ſit alibi relata ſunt. Feſtum Vi-
ſitationis B. Virginis inſtituit. Iubilæum
33. quoque anno celebrari indulſit. Floren-
tinos recepit in gratiam. Auſteriſſimæ vitæ
fuit. Cilicium vix vmquam poſuit; ieiunijs
frequentibus corpus exhauſit. Eas Pontifex
virtutes retinuit; quaſi alias quas plurimas
ante Pontificatum habuiſſe dicitur, exuiſ-
ſet, ex quo Pontificiam purpuram induit. 1389
Obijt Romæ anno Pontif. 11. m. 6. d. 6. 13. Octob.

*Bonifacius IX.* antea Petrus Thomacel- Bonif. IX.
lus Neapolitanus Vrbano ſuffectus Marga- CCVIII.
ritâ Siciliæ ſacris reſtitutâ, Ladiſlaum eius 2. Dec.
filium Regem dixit, vt eum Ludouico An-
degauenſi, quem Clemens Auenione coro-
nauerat, opponeret. Iubilæum anno quo
Vrbanus diffinierat Romæ ex more celebra-
uit, & vt alibi celebrari poſſet, pretio in-
dulſit. Inde non parùm aucta, qua iam la- Simonia
borabat, Simoniæ ipſius ſuſpicio. Redinte- ſuſpectus.
gratis Romæ diſſidijs aliò digreſſus, vrbem
non repetijt, niſi vt iterum ab impijs viola-
retur. Grauioris tamen iniuriæ periculum
euaſit ope Ladiſlai, qui tunc ad ipſum de
bello contra Ludouicum Andegauenſem

acturus acceſſerat. Breui poſt cum Romani inter ſe diſcordes conuenire non poſſent, eius libero ſe dominio ſponte ſubdiderunt. Annatas præſulatuum & Abbatiarum Apoſtolicæ Cameræ ſoluendas vel inſtituit, vel inſtitutas renouauit. Florentinos cum Mediolanenſibus compoſuit. Ferrariæ ac Erfordij ſtudiorum Academias inſtitui curauit. Qua Benedictum Auenione reſidentem, & Orbis Chriſtiani principes arte in ſchiſmate deluſerit, alibi dictum eſt. Agnatis prouehendis magis laboraſſe dicunt, quàm Eccleſiæ. Ex dolore calculi obijt anno 16. per vnum menſem inchoato. Cum ei promitteretur ſanitas ſi cum impudicâ concumberet, pudicè mori maluit, quàm impudicè viuere.

*Romani ei ſe ſubdunt. Annatæ. Academias inſtituit. L.10. c.4.*

*1404 1. Octob. Caſtiras.*

## CAPVT V.

## *Decimum-octauum in Eccleſiam ſchiſma; Petri de Luna.*

QVàm vanæ plerumque ſunt ſpes mortalium! Ex reſtituto Romæ ſuo capite, Chriſtiano corpori longa ſperabatur ſanitas: ſed ecce maius inde periculum; poſt Gregorij XI. mortem, ſubnaſcente ſchiſmate, quo diu Eccleſia ſub dubio capite, nulla prope fuit. Eius origo Romanus populus; dum nouum in Gallias diſceſſum veritus, ne Gallum Gregorio ſufficiant Cardinales adigit, precibus armatis. Adiecit oleum incendio Vrbanus ipſe, ex Barenſi Præſule, factus Romanus: dum contra vim fluctuum obnixus, intempeſtiuis cenſuris Cardinales exaſperat. Hinc enim quamuis conquieſcente

*Vrbanus V. Papa. 1378*

populi tumultu, verum illum Pontificem, & cultu publico, & ſcriptis ad Principes varios Epiſtolis agnouerant; Anagniam tamen primò; tum Fundos Cardinales omnes, vnico excepto, digreſſi eius electionem, ex vi, irritam cauſati, Robertum Gebennenſem ſub Clementis VII. nomine Pontificem dicunt. *Clemens VII.* Inde diuiſus in partes orbis; pro Vrbano ſtantibus Italis, Germanis, Hungaris, Britannis, & Luſitanis: & quæ pro multis regnis eſſe potuit vna puellula Catharina Senenſis: *Qui pro Vrbano.* Clementem verò tuentibus Siculis, Gallis, Scotis,& poſt aliquam cunctationem Hiſpanis reliquis: &, ne illi quoque de cœlo patronus deeſſet; Petrus Lucemburgius. *Qui pro Clem.* Vt ſuo quiſque iuri vim adderet, ventum eſt viciſſim ad pugnam primò Pontificum, & anathematum; deinde caſtrenſem,& armorum. Vter anathemate vicerit, haud liquet; armis Vrbanus in Italiâ prçualens Clementem in Gallias compulit, vt Auenio veri jacturam Pontificis, dubij ſaltem præſentiâ ſolaretur. Multis enim vel ob id non eſt viſus verus Pontifex, quòd abiectiùs adularetur proceribus; Decimas, & Sacerdotia laïcis permitteret, & dignitatem vt haberet, dignitatem proderet. *Clementis ignaua facilitas.* Ignauam iſtius facilitatem, rigiditate barbarâ emendauit Vrbanus; abdicatâ Ioannâ Reginâ Neapolis, à qua ipſe habuerat per ſubſidia ne abdicaretur; ſacro indicto bello in Ludouicum Andegauenſem Ioannæ Adoptiuum, qui nunquam ſacrorum hoſtis fuerat, & cum aliis non paucis Prçſulibus; tum quinque Cardinalibus conjurationis in ſe compertis; poſt

varios cruciatus morti addictis. De ſuo iure ne videretur dubitare; cauſæ arbitrium Synodo, vt ab æmulo rogabatur, permittere noluit: niſi forte Clemens ſub optatæ pacis vmbrà ambitionem texit: & conditionem abdicationis recuſaturo propoſuit: vt excuſatiùs ipſe propoſitam poſtea recuſaret. Argumento eſt, quòd Petri Lunenſis artibus, per miniſtros Regios Pariſiis prohibuerit agi de pace, quam vel nuper adeptæ dignitatis damno, Bonifacius IX. Vrbano VI. ſuffectus, velle ſe per internuncios ſignificauerat. Quin & contumeliç loco habuit Academiæ Pariſienſis ad vnionem pia monita. Adeo ſæpè in Magnatibus dignitatum contemptus oſtentatitius ambitionis artificium eſt; non indicium moderationis. At qui ne viuens ponere cogeretur Infulas tantoperè timuerat; eum mors ab infulis diuulſit. Ei ſuffectus properè Petrus de Lunà ſub Benedicti XIII. nomine; deluſis Franciæ, & Aragoniæ Regibus, qui vt differretur electio, per Legatos poſtulauerant. Statim agi cœptum de pace; quam, ſi eligeretur, ſtrenuè promoturum ſe iuratus promiſerat. At fuere illæ ambitioſo artes euadendi ad ſolium, vnde nec moriens vltro deſcenderet. Nec eius æmulis Bonifacio IX. Innocentio VII. & Gregorio XII. minor in dignitate pertinacia, cum quiſque paratum ſe abdicare ad concordiam prolixè promitterent; vt poſtea certius eſſe ius ſuum cauſati, quàm vt in humani arbitrij aleam exponendum eſſet; & Legatos Principum; & populos, & Orbem ludificarentur: & vehementem mutuæ inter

*Vrbani feritas.*

*Petrus de Luna fit Antipapa Benedict. XIII.*

1389

*Colludere cum æmulis ſuſpectus.*

ſe colluſionis ſuſpicionem facerent. Viſum Principibus ad pacem intereſſe, vt pertinacibus vi auferrentur Inſulæ; cum ipſi vltro non ponerent. Inde à Bouſſicaudo Tribuno 1398
militum, qui iuſſu Caroli Regis, Petrum de Alliaco ad Benedictum ſecutus erat, Auenione interceptà, obſeſſus ipſe in Palatio eſt: *Auenione*
& in Galliis, ac Hiſpaniarum parte habitus *detinetur*
pro abdicato. Sed elapſus demùm poſt quin- *& euadit*
quennium, qui magis ſe liberum, quàm Eccleſiam ſaluam voluerat, à Francis rurſum obſequium obtinuit, vt ob aſperiores, non 1403
diu poſt, ad Regem, ſcriptas literas; (quæ Pariſiis lictoris manu combuſtæ ſunt) iterum ab eo excideret, & à Bouſſicaudo Genuæ Præfecto, ad portum Veneris, noui ei laquei pararentur. Incolumis tamen in Cataloniam euaſit. *Si* tamen incolumis; qui deſer- 1408
tus à Cardinalibus, dignitatis ante naufragium fecit, quàm ſe mari committeret. Eos *Fugit in*
enim ſeu pacis amor, ſeu Caroli VI. Franciæ *Cataloniam.*
Regis monita, junxere cum aliis, quos à Gregorio non diſpar conſilium abduxerat: vt Piſis in Synodum coacti in vnum demùm diſtracta Eccleſiæ membra componerent. *Piſanum*
At adeo Legatis ad ſe miſſis non aſſenſere *Concil.*
Pontifices, vt eam Synodum vterque reſciderit, & priuatas ille Perpiniani; ad Aquileiam alter, quo ſe indubitatum quiſque Chriſti Vicarium decerneret, celebrauerint. Nec ſegniùs Præſules vndequaque Piſas acciti, abdicationis in eos dictà ſententià, ex aſſenſu Cardinalium, Petrum Philargium, ſub Alexandri V. nomine Papam renunciant: vt ſub vno tandem capite coëun-

1409 tia Eccleſiæ membra in idem rurſum corpus coaleſcerent. Nec in eo mora; ſi tàm facile poneretur Imperium, quàm admittitur. Diutiùs imperauerant exauctorati Pontifices, quàm vt obſequio poſſent facilè aſſueſcere. Inde Eccleſia, quæ duplici diu capite inhorruerat, nouo addito, nec prioribus penitus reciſis, quaſi triceps euaſit. Nec enim exauctorati, ante Conſtantienſe Concilium, poſuerunt inſignia, vt quatenus reuerà à dignitate exciderant, eius vmbrà ſaltem ſe paſcerent.

*Fit nouus Papa nec ſchiſma deſinit.*

## CAPVT VI

## *De fine ſchiſmatis in Concilio Conſtantienſi.*

PIſana Synodus nihil aliud oſtendit, quàm ſupra malum remedium eſſe, vt ex eius demùm ſanati gloria illuſtrius Sigiſmundus Imperator innoteſceret. Hic Ioannis
1413 XXIII. Alexandro ſuffecti, Conſtantiæ in Concilio, quod vt indiceret author ei fuerat; ita flexit animum, vt palam ſpoponderit poſiturum ſe Inſulas, dum idem
1414 æmuli facerent. Similem de ſe ſpem fecit Gregorius per Legatum. At Benedictus
1415 nihil aliud quàm ſe Niceæ ad Varum cum Sigiſmundo ad colloquium adfuturum promiſit. Iam ſpei plenus Imperator accingebatur ad iter; cum ecce remora à Ioanne, qui à Synodo in Auſtriam profugus, vt ſe innocentem faceret, Sigiſmundum & Præſules violentiæ ſibi factæ reos fecit. At quæſitum à calumniâ pa-

*Ioannes Pontif. fugit.*

trocinium, criminis incrementum fuit. Ideo patres, difflatâ per literas violentiæ inuidiâ, ipſum ad abdicationem teneri decreto ſanciunt, & quia nec rogatus rediit, nec iuſſus, vi reductus eſt; Friderico Auſtriaco Aſyli profugo dati culpam, per eius proditionem eluente: vt impetrandæ pacis eſſet ille victima, qui indicti ab Imperatore belli occaſio fuerat. At ne tunc quidem cum ſui vltra iuris non fuit; alieni arbitrij ſuas eſſe Infulas voluit. Abdicare ſe vltro noluit, vt exaugurareturad formulam, & cum ignominiâ deturbaretur è ſolio; vnde cum immortalis gloriæ præmio deſcendere poterat. Eius damno cautior Gregorius, per Carolum de Malateſtâ, Arimini Regulum, ceſſione factâ in Synodo, volens è ſolio deſcendit, ne nolens rueret. Nec dum tamen pax, quippe haberi illa bonâ fide non poterat *donec auferretur Luna*, vt etiam ridendo verè *Gerſonius* dictitabat. Dixerat olim Auenione Benedictus, ad Regis Caroli Legatos, haud ægriùs poſiturum ſe dignitatem, quàm pallium, quo tunc fortè ad prandium ſe exuebat. At difficilius illam poſuit, quàm pellem; quippe tenaciùs adhærebat illa animo, quàm iſta corpori. Id & antea ſæpe omnibus, & tunc maximè Sigiſmundo conſtitit; vt qui, ab eo Perpiniani, quò tandem exhauſtis ambagibus ad colloquium venerat, nihil aliud expreſſerit quàm verba. Ambitioſæ mentis inauditus rigor! ne ad eludendum quidem fulmen, quod iam tum conflabatur in

*Reducitur*

*Et abdicatur.*

1415

*Greg. ſe abdicat.*

1415

*Benedictus pertinax.*

Synodo, caput inclinare, & imperare adhuc velle, cum ex ſuaſu *Vincentii Ferrerii*, qui pro ipſo ante ſteterat, reuerſis ad officium etiam Hiſpaniæ Regibus, non erat qui obſequeretur; Et Paniſcolæ in arce maris Valentini, quò tanquam ad ſcopulum, facto naufragio, ſe receperat, creatis etiam aliquot Cardinalibus; poteſtatis vmbrà ſe pauiſſe, cuius nec fragmenta quidem ſupererant. Quàm id egregiè Cluniacenſium Doctorum, quos ad diem ipſi dicendam, Synodus miſerat, reſponſo innotuit: cum enim ipſe dixiſſet; *Audiamus Coruos Synodales*: *Quippe*, excepit alter ex Monachis, *Venimus ad Cadauer.* Verè verè; & non tanquam ex Concilio; ſed tanquam Concilium. Quid enim tum cœleſti exuſtus igne ille *Luna*, & è ſuo cœlo excuſſus, niſi fumus, vmbra, & eius quod videri etiam poſt voluit, putre cadauer? Reciſis capitibus, quæ diu ex pulcherrimo Chriſti corpore monſtrum fecerant, ſubſtitutum vnicum fuit, quod antiquum robur & decus redderet. Fuit hic Otho Columnius, ex electionis die D. Martino ſacrà, Martinus V. qui fruſtrà alicubi reluctatis Arragoniis, Eccleſiæ nauim, ex diuturnâ annorum quadraginta agitatione laceram in integrum reſtituit, & quoad vixit, ſi minùs in tranquillo, in tutò certè continuit.

*Schiſma deſinit ſub 1417 Martino V.*

## CAPVT VII.

### *Anacephalæoſis de bellis per ſchiſma & ex ipſo.*

NOn animorum tantum fuit per ſchiſma, vel ex eo diſſenſio; ſed etiam armorum: à calamis ventum eſt ad gladios; à libellis ad bella; tum in Apuliâ; tum in ditione Pontificià. Hinc enim Andegauenſes primò, prioris ſtirpis Principes, inter ſe commiſſi; tum poſteriores cum primis: denique cum iſtis Aragonij, tantà pertinacià: vt ſopiendis diſſidiis, per multa diuerſo ſucceſſu prælia, nec vnum ſeculum ſatis fuerit. Iſtinc *Sfortiæ, Braccius, Picininus*, & alij licitum credebant, nullum in Eccleſià caput agnoſcere, quia plures ſe dicebant: Et quando populi quem quiſque malebat Eccleſiæ præficiebant Imperio; Illi quam quiſque ditionem poterat, Eccleſiæ ſubtrahebant Imperio. Hæc etiam quia vel Pontificia ſunt, vel non ſine Pontifice geſta, inſtituti eſt ibi breuiter attexere.

## CAPVT VIII.

### *Primum ex ſchiſmate bellum Neapolitanum.*

PRimum bellum in Calabrià ab Vrbano cœpit, vt qui aſperiori ferocià Cardinales ad ſchiſma egerat, molliori in Franciſcum Prægnanum Nepotem affectu, Pontificum famoſus ſcopulus, Ioannam Reginam ad bellum moueret. Nam quatenus

Nepotem Siciliæ Regem non fecerat, cui
*Ambitio Urbani pro nepote.* in ſponſam Mariam Inſulæ Reginam deſti-
nare ſuſtinuerat, vt ſaltem Capuæ, & alia-
rum circa vrbium Dux eſſet, enixus eſt.
Ob id abdicatâ Ioannâ quaſi ſchiſmaticâ;
1380 Carolus Dyrrachinus inunctus in Regem
eſt; vt ab eo Ducatum obtineret, cui Re-
gnum ipſe contuliſſet. Ad hoc Regina, ne
hoſti Regnum cedat, amicum quærit, & Lu-
douicum Andegauenſem adoptat in filium,
hæredémque inſtituit, ex Clementis ſuffra-
gio. At eo vixdum bene ad iter accincto,
*Ioanna Regina necatur.* & Regnum Carolus & Reginam habebat in
manu: & quam optimè olim de ſe meri-
tam, ex ingratitudinis conſcientiâ, amicam
facere deſperauit; ne noceret inimica, tru-
1382 cidauit. Othoni Marito pepercit, vt fir-
mandi contra hoſtes Regni, eſſet ille inſtru-
mentum, quem regno exuerat: Nec enim
tyranni benè faciunt, niſi vt malefacta
tueantur. Haud ſegniùs Ludouicus, Ame-
dei Sabaudi animatus auxilio, Calabriam
iam victor peruaſerat: nec aberat procul à
ſolio; ſi Carolus tam paratus fuiſſet pu-
gnare, quàm ipſe vincere. At dum, ex
*Ludou. I. Andeg. vincitur.* Othonis conſilio, moras trahit; & cedenti
ſimilis, commeatus intercludere ſatis ha-
bet; ipſum tandem vincit; non pugnando:
& dum cautè prouidet, ne vincatur. Adeo
1384 primus ſæpe certuſque ad victoriam gradus
eſt; cauere ne vincaris. Ad famam Victo-
riæ Neapolim Vrbanus ſe contulit; vt cu-
ius non leue momentum fuerat, eius ali-
quod præmium nepoti acquireret. At quid
1385 ab ingrato ſperet ingratus, in quem libera-

ſis non fuerat, niſi de alieno? Adeo partem prædæ non habuit: vt à victore Luceriæ obſeſſus præda fermè ipſe fuerit. Hinc in ipſum anathema, & dicta ſæpe abdicationis ſententia; & Neapolis ſacris interdicta. Nec propterea euaſiſſet; ni à Thomâ Sanſeuerinate, Raimundo Vrſino, & aliquot Genuenſibus Genuam fuiſſet abductus. Ibi in Cardinales & Præſules perfidiæ vel authores, vel conſcios, exaggerata ferocia in actu eſt; quam ſolis diris in tyrannum inutili conatu exercuit. Eum ſcilicet verbis, & ſententiis expaueſceret; quem parùm revereri Deum, & memorari beneficia, ingratâ ipſe in Reginam perfidiâ docuerat: Non tamen ſacrilego inulta fuere diu ſcelera. In Pannoniâ, *Caroli* quam alteri Reginæ vt adimeret adiuerat, *cædes.* per inſidias Nicolai Gari, à Forgatio interemptus. Sic dum vnius Regni tyrannidem 1386 gradum facit ad aliud, meritò ab vtroque, atque adeo à vitâ dejectus eſt.

## CAPVT IX.

## *Secundum ex Schiſmate Neapolitanum bellum.*

EXtinctâ in Carolo belli face, bellum exarſit iterum dum Sanſeucrinas, Otho, & alij Ludouicum Andegauenſem prioris filium: Ladiſlaum alij Carolo genitum ſequuntur. Iſtius à partibus Vrbanus, & ipſi ſuffectus Bonifacius ſteterunt: à Ludouico 1393 Clemens, atque adeo primùm fortuna, vt atrociùs demùm ſæuiret. Nam dum Sanſeucrinas indignatus, Regni præfecturam,

quam virtute meruerat, Monioiæ Clementis Nepoti datam eſſe à Ludouico, ei Regnum ipſum ſubtrahit; & ſuâ defectione tranſuehit ad Ladiſlaum: vt oſtenderetur non magis Regum ſæpe virtute Regna ſtare, quàm fide Procerum & Miniſtrorum: & nullo magis perdi, quàm cum, excluſis qui merentur, eorum regimen defertur indignis. Proſperitate ad Eccleſiæ damnum Rex nouus abuſus, Romanos aduerſus Innocentium VII. commouit: Nec ad anathematis pœnam Hadriani molem reſtituit; niſi vt commotâ rurſum ſub Gregorio XII. atque occupatâ vrbe; relaberetur in culpam. Quamquam ipſum tunc Gregorium habuiſſe in partibus creditus eſt: quaſi Romam non fatigauerit; niſi vt ex obliquo, colloquia de pace cum Benedicto Lunenſi, & Piſanæ Synodi placita turbaret. Aſtum ſubodorata Synodus abdicato impio, Ludouicum Regem approbat: & Paulum Vrſinum, iam ex prælato ſibi in vrbis regimine Aprutino quodam exaſperatum, in tyrannum inſtigat. Statim pulſus vrbe & ditione Pontificiâ Ladiſlaus; ſuâ in Campaniâ ad Rupem-Siccam, magnâ clade fractus eſt. Plena erat illa victoria; ſi tam prouidè Ludouicus fuiſſet vſus victoriâ; quàm ſtrenuè illam reportauerat. Nec ipſe negabat, qui euaſerat. Nam ſæpius ad familiares; ſi die pugnæ inſtitiſſet hoſtis, & ſe & regnum, in eius futurum manibus, ſi poſterâ, non ſe, ſed Regnum: ſi tertia demùm nec ſe, nec Regnum. Adeo in celeritate ſæpe magis, & occaſione, quàm in

*Marginalia:* 1400 *Ladiſlaus Rex Neapolis* — *Romam turbat.* — 1404 — 1406 — 1408 — *Synodus Piſana ſub Ludouico II.* — 1411 — *Occaſio prenenda.*

virtute, poſita victoria eſt. Sed Vrſinius dum peſtem alit, vt ſit quod curet: nec vult Remp. eſſe ſine hoſte, ne ipſe ſit ſine dignitate, ſpecie periculi militem ab inſequendo continuit, & fractas recolligendi vires otium victo dedit. Ad hæc Ludouicus horrere bellum, in quo multùm ineſſet periculi, nihil emolumenti, & in Galliam reſpicere, cum in Italis vel amicis non plus experiretur fidei, quàm in hoſtibus. Ad hæc impius metu liber, inſtare grauiùs, & ditionem Pontificiam fœdè diruere. Nec tam, ex indicti in ſe à Ioanne XXIII. ſacri belli metu, ferrum inhibuit; quàm magno pretio inducias vendidit. Tali offa abducendus fuit ille Cerberus à Gregorio, quem hactenus tutatus erat. At nec propterea pax bona fide; inſtitit inde ferociùs, quia in imparatos ſecuriùs, & occupata Vrbe, totaque ditione Pontificia rapinis, & cædibus etiam Præſulum vexata, viſus eſt à falſo Pontifice non defeciſſe, niſi vt verum, (qui tamen fuga euaſit) interciperet: nec ante ſceleribus finem, quàm vitæ, eo quem meruit exitu, impoſuit. Nam medicus eius Peruſinus, Florentinorum, quos tunc maximè vexabat emptus pretio, filiæ, qua tyrannus abutebatur ad libidinem, perſuaſit, vt pharmaco, (id erat virus præſentiſſimum) pudendis illito, illum acriùs ad ſui amorem excitaret. Inde vtriuſque interitus, & Italiæ ſpes quietis. Serui fraude ſic periit, qui nulli vnquam fidem ſeruauerat.

*Ladiſl. Romam vexat.*

1414

*Perit medici fraude.*

## CAPVT X.

### *Tertium ex ſchiſmate Neapolitanum bellum.*

LAdiſlao ſuffecta Ioanna Soror nouorum motuum ſeminariũ fuit. Nam etſi redditis quæ pertinebant ad Eccleſiam, & Ma-
1419 rito Iacobo, quem, vt ſui Caracioli amplexibus liberiùs frueretur, vinculis addixerat, liberato, coronam tandem, à Martino V. impetraſſet, in Caracioli tamen odium, à Iacobo Sfortiâ vexata; (qui propterea Ludouicum I I I. Andegauenſem prioris filium aduocauerat,) vt vindicem haberet,
1420 Alfonſum Aragonium adoptauit in filium; vt cujus ope regnaſſet per vitam, Regem eum faceret poſt mortem. Felix cui vel otioſo Regnum fortuna parauerat: ni quod tutò ſperare poterat, maluiſſet occupare: ſibi jam tum omnium vendicato arbitrio, & de Reginâ in Hiſpanias abducendâ ſumpto conſilio. Inde abdicatus, & poſt quædam certamina pulſus ab Sfortiâ, quem ſibi Re-
1423 gina conciliauerat, locum Ludouico fecit, quem & noua Reginæ adoptio, & jus paternum, & Synodi Conſtantienſis, ac Martini V. ſuffragia ei adjudicauere. Inde nata illo in Regno Francohiſpanica bella, quæ nec dum ita deſierunt, vt ſi daretur occaſio, non atrociùs exardeſcerent. Alfonſus igitur, non facilè concoquens Regni damnum, quod jam non ſpe ſolâ deuorauerat;
1423 intercepta dum Hiſpanias regreditur atque direptâ Maſſiliâ; ſacriſque D. Ludouici li-

*Aragonius adoptatur à Ioanna II.*

*Abdicatur & pellitur.*

*Ludou. III.*

*Maſſilia*

pſanis,ex primâ Andegauenſium ſtirpe Præſulis Tholozani, Valentiam deportaris; vt in Pontificem quoque vltionis virus euomeret,in Petri Lunenſis interea mortui locum; Ægidium quemdam, ſub Clementis nomine, curauit intrudi, & quantum licuit ſchiſma recudit. Nec quamquam percuſſus anathemate ante reſipuit; quàm Petri Fuxenſis Cardinalis ad hoc in Hiſpanias ter Legati dexteritate & patientiâ demùm expugnatus, Ægidium & illius factionis, qui ſupererant, Cardinales adegit, vt poſitis inſignibus, vota ſua quantum poterant, in Martinum conferrent. At voluit ambitioſus homo vt ſuum ſibi Regnum redderetur, qui ſuum ſacris cultum reddiderat: & quatenus vltro non reddebatur; vi rapere illud conſtituit. Iamque Ioannâ mortuâ, quæ in Renatum Ludouici defuncti fratrem jus tranſtulerat, occupatâ Capuâ, Caietam vrgebat, cum ſolenni fortunæ ludo, ad imum rotæ truſus eſt; vt majori prodigio ad ſummum rurſus euaderet. Nam vnà cum fratribus, Ioanne, & Henrico, & multis proceribus, à Genuenſibus, duce Blaſio Aſſereto, nauticà pugnà captus: ſic Philippum Mediolani Ducem, & Genuæ tunc Dominum in partes traxit; vt liberaliter ab eo dimiſſus, majora cladi debuerit, quàm ſperaſſet à victoria. Caietæ enim, quam interea frater illius Petrus cladem elapſus occupauerat, exceptus, ita feliciter ſuam rem promouit, vt quà deluſis arte, quà deuictis manu hoſtibus, Regno tandem potitus fuerit. Per intromiſſos aquæ ductu milites, ca-

*direpta ab Aragonio.*

*Qui ſchiſma renouat.*

1426

*Sed reſipiſcit.*

*Renouat bellum Neapol.*

1435

*Regno potitur.*

1442

pta Neapoli, ejectoque Renato, in Eugenium IV. Martino ſuffectum machinas intendit, quò illum ſibi conciliaret: nec enim inſuetum Magnatibus; quos minori prouocauerunt injuriâ, majori placare. Ab inuadenda per Antonium Piſanum Vrbe, Vuitelеſci Florentini Præſulis, à quo non leuia ſæpe damna in Apulia ſenſerat, diligentiâ prohibitus, Baſileenſibus ſe addixit, & Pontificis hoſtem ſe profitetur in ſacris, vt eum Amicum faciat in politicis: vt dum à falſo Pontifice ſuffragium mercatur ad jus Regium, impetraret à vero. Tunc demum Baſilea reuocatis ſuæ ditionis Epiſcopis, Eugenio ſe morigerum profeſſus eſt, quando illum ambitioni ſuæ obſequentem habuit. Talis nimirùm ſæpius eſt Principium Religio, Pij ſunt, quando pietas in lucro eſt. Quid verò Papa de alieno Andegauenſium jure anxiè curaret, qui nec ſuo tuendo erat? Prudentis eſſe credidit non negare, quod auferre non poterat; ne ſibi ſuum, quod ægrè retinebat, auferretur.

*Suffragio Pontificis.*

## CAPVT XI.

### *Bella à Braccianis, & Sfortianis in Pontificem & inter ſe.*

BRaccius Iacobi Sfortię bellatorum tùm in Italia celeberrimi laudem bellicam ſic æmulatus eſt, vt nōn minùs *Braccianis*, quàm ille *Sfortianis*, (fuere tum illa, inter Italos milites, factionum nomina) gloriæ comparauerit. Hunc ab Eccleſia Martinus V. Papa expulit, qui Peruſio, Spoleto, & finitimis,

finitimis, Eccleſiæ politicam poteſtatem expulerat. At militares inter lituos innutritus *homo*, tonitru de cœlo non audiit. Coactus *Braccius.*
itaque Pontifex ei veniam petenti prædæ partem ſinere, dum alteram redderet; & in- 1419
ſuper Bononiam, quæ tum, vt ſæpe alias, authore Antonio Bentiuolo rebellauerat, ad obſequium reuocaret. At nemini pars Imperii per iniuriam adepta ſatis fuerit, ſi pronum ſit in totum inuadere. Quin & auſus iſte Neapolitanum ſolium ambire: ſi fortè de quo Andegauenſes, & Aragonii prælis, & cladibus litigabant, tertius ille gauderet. Inde obſeſſa Aquila. At vbi 1424
Imperii moliebatur initium, vitæ etiam finem habuit, à Franciſco Sfortia, qui Andegauenſibus militabat (patrem eius Iacobus, dum à naufragio militem abducere tentabat, vndis interea demerſus fuerat) victus, & cæſus. Inde Peruſio, Tuderto, Aſſiſio, & aliis recuperatis, ſpes pacis illuxerat; ni Philippus Mediolani Dux bellum *Philippus Viceco-mes.*
reduxiſſet. Fixum enim illi Pontificia per tyrannos inuadere, quaſi in alterius damno, ſolatium ſuo, quod à Venetis paſſus fuerat, haberet. Eius igitur impulſu, *Sforzia* & *Fortebraccius* Braccij nepos ditionem Pontificiam ita diuexarunt, vt ille multa in Vmbria & Piceno inuaſerit, iſte Romæ proxima populatus, Romanos deſertos ſe à Pontifice conquerentes ad rebellionem 1434
egerit; profugo Florentiam Eugenio, & Nepote eius Condelmerio cuſtodiæ tradito. Ad cumulum cladium *Nicolaus Picininus* in- *Picininus*
ſurrexit, qui puſillitatem corporis, quâ in-

ſra hominem decreuerat, ( & inde Picininus ) animi granditate, quà ſupra iuerat liberaliter emendans, Bononiam, Forum Iulium & alia ſubegit. Conatus quidem Eugenius; qui non minùs patiebatur moleſtiæ à Baſileenſibus Epiſcopis, ſibi non deeſſe, per Cardinalem Vitelleſcum Romà & aliis recuperatis Sed iſte ambitione corruptus, vt victorias faceret gradum ad Infulas, Picininum corrupit; & vt faceret dignitatis adjutorem, promiſit eum ſe facturum ſocium prædæ. At in arcem Angelicam pertractus, qui Tiaram ſomniauerat, vincula ſubiit, in pœnam perfidiæ. Si tamen illa non afficta ab æmulis, qui eius ex caſu creſcere, ſpoliis ſaginari, volebant. Iſtius, qui breui poſt in arce interiit, ſecurus Pontifex, ad alterum intendit, & vt hoſtem hoſte comprimeret, *Sfortiam* in gratiam recepit, relictis vltrò, quæ vi non dabatur recipere. Si tamen vltro, qui diploma quo eum Piceni Marchionem renunciabat; hac epigraphe ſubſcripſit: *Quod ei Petrus & Paulus male vertant.* Nec ipſe diſſimulabat, cui certùm erat vel toto inuito cœlo terrarum aliquid inuadere. Nec Religio erat, *inuictis Petro & Paulo*, Marchionem ſe Piceni inſcribere: Sed eę tum erant res Eugenii, vt *Veiouibus* iſtis ei eſſet ſupplicandum, vt placaret. Id tum in *Sfortiâ* factum, qui junctis Venetis fœdè ſæpius in Inſubriâ Philippum afflixit. Nec interea *Picininus* felicior, qui à Florentinis & Pontificiis, quibus Mediarota Cardin. præerat, ad Anglaram eâ clade fractus eſt, vt reuerſus in Longobardiam,

*Vitelesci Cardin. proditio.*

*Victoria Pontificiorum.*

Philippo magis ſolatio eſſe potuerit ſocietate cladis, quàm vltione. Breui tamen poſt Sfortianis ad Martinengum arcem in arctum redactis, habebat jam in manu Victoriam, ni de eius, ante ipſam, præmio au us eſſet paciſci cum Duce. Ab eo enim velut in ſtipendium poſtulata Placentia; quem modeſtiâ victorem & liberalem facturus erat, importunitate fecit ingratum. Nam eo ſtatim reuocato Philippus, Sfortiam quem captiuum facere poterat, generum fecit, data illi Blanca filia Notha in ſponſam, & Cremona in dotem. Ad hæc Alfonſus Aragonius potitus Neapoli, veritus ne pax Longobardiæ bellum in Apulia renouaret; cum Philippo egit, vt nouo Sfortiam bello implicaret. Inde promiſſa Eugenio, Duce Picinino auxilia, ad Picenum recuperandum: idque tandem Alfonſi auxilio perfectum. Nempe vt ediſceret bello melior, quàm pietate, in lubrico ſtare terrenam potentiam, quæ inuitis Petro & Paulo, atque adeo cælo creuit.

*Sfortia gener Philippi Ducis Mediol.*

## CAPVT XII.

### *Tartarorum noua eruptio, ſeu de Tamberlane.*

TVrcarum progreſſibus quatenus à Chriſtianis non erat obex, fuit à Tartaris: nam impietatis vindicandæ inſtrumentum in Dei manu nullum ſæpe aptius, quàm impius. Is tunc fuit *Tamberlanes*, qui ſuæ fortunæ faber, dum regit oues, regendis hominibus initiatur.

*Tamberlanes.*

bium ad tertium diem reſtitit, ſine excidii pœna. Dicunt eius in tentoriis, obſidionis primò die vexillum ex albo Clementiæ ſpem feciſſe ſtatim deditis; Altero rubeum vexillum, cladem incolis præmonſtraſſe, tertio demùm, Nigrum Vrbi toti funus indixiſſe. In eum dum tota ſuæ potentiæ mole accurrit Baiazethes, clades non vindicat, ſed auget, & ſui fermè ruinam Imperii cadendo trahit. Ab eo enim octingentis præliantium, vt volunt, millibus ſuccincto, ad radices Tauri victus captuſque eſt. Sic qui paulò ante imperii mole premebat, aut terrebat orbem, ſub vinculorum pondere ingemuit. In eum primò victor humanus, tùm ex eius, qui necdum ferociam exuerat, mordacibus reſponſis, immitis & atrox. Adeo eum vt Imperatorem non habuit, vt vix hominem. Parùm fuit, quòd ſibi equum inſcenſuro, eum eſſe incuruis humeris pro ſuppedaneo voluerit: adegit inſuper ad Canum cibaria, vt qui ante in ſolio ſupra Principes eminuerat, ad colligenda fruſtula decidua infra menſam, ad pedes accumbentium abiiceretur. In ferrea etiam incluſus cauea, ſpectaculum miſerandum fuit populis, quibus non ita pridem excidii cauſa fuerat. In vno, & in cauea, Regem ſe meminiſſe potuit, quod catenis aureis vinciretur: nam & in ſolio Reges iſtiuſmodi vinculis aſtringi ſolent. Cum itaque, non pateret ad libertatem exitus, ipſe fecit, & alliſo ad clathra, capite, ſe quaſi manumiſit. Actum erat de Imperii Turcici corpore, ſi qui volebant perditum; perdere auſi eſſent.

*Bajazete ſternit & capit.*

1042

Nihil tamen interea motum à Grçcis; quaſi fractę belluæ vererentur adhuc flatum, & vmbram; cuius integræ vngues non rarò ſenſerant. At vel ob hoc quia læſerat inſtandum lapſæ erat, ne vltra læderet. Nec inſ-

*Ignauia Græcorũ.* pectores tantùm tragœdiæ eſſe oportuit, quando Res & occaſio, vt eſſent Actores, poſtulabat. Factum igitur vt ad ſua reuo-

1414 cato Tamberlane, ſeſe rurſum erexerit jacens Imperium: & poſt longa inter quatuor Bajazethis filios diſſidia, in Mahometem ſeu Celebinum natu minimum tandem incubuerit, vt recollecto iterum ſpiritu in Chriſtianos incumberet.

## CAPVT XIII.

### *Turcarum noua in Europa Victoria ſub Mohomete I. & Amurate II.*

PVlchriùs Chriſtianis aliquando vinci, quàm nunquam pugnare. Apud eos illi imprimis nobiles, quos multus puluis ſignat, & frequens cicatrix. Hinc Turcis datum à caſu exurgere, vt nos ad caſum vrgerent; & acceptas à Tartaris clades noſtris vindicarent. Mahometes itaque recens adhuc à fratrum cædibus noſtras auſpicatus

1415 eſt, Vualachiâ, Boſiniâ, Dalmatiâ, fœdiſſimè deuaſtatis. Vltra promoturum retardauere Veneti, qui duce Petro Lauredano, profligarunt impium ad Callipolim; & claſſe ad noſtrum excidium parata, ſpoliarunt. Nec propterea refrixit ardor in Amurate filio, qui victis & ſtrangulatis duobus Mu-

ſtaphis, Patruo, & fratre, quos Ioannes Græcorum Imperator ſpe recuperandę Callipolis, & infirmandi ex diuiſione hoſtis, Imperio Turcorum Europæo promouerat; continuo victoriarum curſu, Phocidem, Atticam, Bœotiam, & alia ad Iſthmum ſubegit; Albaniam ſeu Epirum vectigalem fecit, acceptis in pignus fidei à Ioanne Caſtrito Deſpota, cùm tribus eius filiis, tùm Croia gentis Metropoli. Inde Bulgaria & Vualachia ſubactæ. Nec Georgio Deſpotæ Seruiæ profuit, Barbaro filiam dediſſe in coniugem, niſi vt ruina eſſet acerbior, quæ inferretur à genero. Reducere illum manu tentauit Albertus Auſtriacus, ſed vt mœror ingraueſceret, ex irrito conatu. Ad amiſſæ ditionis fines non eſt viſus rediiſſe, niſi vt inſpiceret, quàm ex alto cecidiſſet. Ac vt duobus filiis, quos ad Sanderouiæ præſidium reliquerat, effoſſos eſſe oculos de propiori cognoſcens, acriori dolore conficeretur.

*Amuratis II. victoria.* 1431

## CAPVT XIV.

### *De Huniade Chriſtianitatis in Amuratem II. & Mahometem II. vindice.*

AD tot Amuratis victorias, quàm non procul erat à iugo Europa reliqua, ni Deus illi ſtrenuos vindices Huniadem, & Scanderbergum indulſiſſet. Huniades enim ſuccinctus copiis Hungaricis, & Cruceſignatorum, quos Eugenii Pontificis iuſſu Iulianus Cardinalis conſcripſerat, hoſtes non

*Huniadis victoria.*

ſemel in Tranſyluania: tùm ad Morauam
1442 fluuium; mox ad Æmum montem, magnis
1443 cladibus fregit. Ad Herois fortunam Amurates, de ſua dubitare cœpit, & ne victum ambigeres, pacem petiit: actumque ſecum liberaliter credidit, quòd parte dumtaxat Europæi Imperii, eam emerit; quando totum nutauerat: Cum maximè tunc Scanderbergus tranſiſſet ad partes, & ad Caramanni motus Aſia fluctuaret. Ad illa; pacis malis malè concoctæ pudor, ſubiit animos, & pœnitentia. Non ergo difficilè fuit Eugenio Papæ, Condolmerio ipſius Nepoti & Chriſtianæ claſſi ad Helleſpontum præfecto, Iuliano Cardinali, & aliis Ladiſlaum Regem, & Huniadem ad armorum conſilia reuocare, vt fractum iam hoſtem, priuſquam pace reſurgeret, prorſus, vt pronum videbatur, exſcinderent. At ex quo in gratiam accepere Barbarum, à gratia ipſi fortunę exciderunt: victus enim ad Vuarnam flumen cæſuſque Rex, vnâ cum
1444 copiis, Iuliano, & aliis, pœnas vel initæ
1448 inconſultò pacis; vel temerè ruptæ dedit. Huniades fugâ euaſit, vt rurſum ad Coſouam in Raſcia victus, cladem augeret, dum tentat vlciſci. Sed quam tunc ſumere datum non eſt, non diu poſt ad Belgradam à Mahomete II. obſeſſam ad ſaturitatem expleuit. In eam enim vrbem, bimeſtri iam obſidione actam ad vltima, per hoſtium ſtragem ingreſſus, ferocientem Barbarum non leuiter ad papillam ſauciatum, caſtris exuit; & cæſis quadraginta obſidentium millibus, ad fugam egit. Fuit hæc inulta

*Amurates pacem petit.*

*Hungari eam rumpunt.*

*Clades Chriſtianorum.*

*Huniades eas reparat.*

inulta clades: quia breui poſt nobiliori multo victoria, ad eam triumphi gloriam victor euaſit, quæ omnem excludit iniuriam. Agnouit infortunium Mahometes, & ob id acriori cladis acceptæ ſenſu pungi ſe dixit, quod vltionis copia ablata ſibi eſſet. Quamquam alia ea ratione ſolari potuit, cum eum omnium qui vnquam fuerant ſtrenuiſſimum palam confeſſus eſt. Nec enim cuiquam ignominiæ poteſt eſſe victoria, vbi victor in tanta gloria eſt. *Huniadeas reparat.*

## CAPVT XV.

### *De Scanderbergo Chriſtianitatis in Amurathem & Mahemetem II. vindice.*

NEc minùs interea negotii Barbaris à Scanderbergo, hoc eſt, Alexandro. Ita enim eum circumciſum, dici voluit Amurates; cum Georgius antea diceretur. Hic Amuratem, cui vnà cum fratribus obſes à patre datus fuerat, virtutum & facinorum præſtantia adeo ſibi addixit; vt qui aliorum principum carnifex erat, eius quaſi cultor eſſet purpurati ſui factus purpuratus. Cùm ſuâ morte defuncto patre, fratribuſque ipſius fraude ſublatis; auitam Prouinciam ſæpius promiſſam non impetrauit à volente, abſtulit ab inuito. Nam ab Europæi Baſſæ Scribâ (quem vnà cum conſciis interfecit, vt diutiùs fraus Tyrannum celaretur) diploma extorſit, quo Epiri præfectura, Amuratis nomine, ſibi committeretur. Hactenus vulpes, poſthac 1481

etiam Leo, & non ſolo nomine Alexander, Dubites an irritatum hoſtem potentiſſimum, admirabilitate virtutum; an infortunio calamitatum magis perculerit. Fidem excederent, quæ ſæpe facinorum prodigia prodidit; niſi factus iterum Chriſtianus, ex cœleſtis militiæ ſubſidio, rerum geſtarum magnitudinem credibilem feciſſet. Non hominis ſolius fuit, ſeptem numeroſos exercitus, diuerſis temporibus, exuiſſe caſtris, & magnis cladibus perculiſſe; ipſum Amuratem à Croiæ obſidione iterum extorſiſſe; & Boſnæ, Raſciæ, Illirico, & ſuis alibi Deſpotis redditis, labentem Eccleſiam ſuſtinuiſſe. Id verò quàm exiguis viribus: cum in caſtris nunquam vltra ſena equitum, terna peditum millia habuerit. Virtus enimuerò penſabat numerum; & ipſe vnus, occulto Dei nixus auxilio, pro exercitu fuit. Ceſſit aliquando tamen ad aſſultus Mahometis; non victus, ſed vincendo defeſſus: & ex palmarum veluti onere, reſiſtendo minùs habilis.

## CAPVT XVI.

### *De Stephano Vuaiuoda Moldauiæ, Chriſtianitatis in Turcas & Tartaros altero Vindice.*

IN Moldauiâ etiam Vuaiuoda floruit, quem meritò inter ſui Heroas ſæculi, non infra Huniadem ponas, aut Scanderbergum; vt qui ex Barbaris non ſemel infractis, non minùs ſibi nominis, quàm ipſi,

parauerit. Eam gentem iam Amurates II. afflauerat ; ſed ita vt filio Mahometi II. reliquerit, in quod vim promeret ; an vt Vvaiuodæ Stephano , ad coronas , quas nomine præferebat, allaboraret. Vt iuris vmbrâ Tyrannidem veram obtenderet Mahometes, Palatinum Vualachiæ, quem Stephanus ditione pepulerat, in ſpeciem reſtitutum ibat. At ab Heroë nobili, modicâ popularium manu ſuccincto, cum ingenti centum & quinquaginta millium armatorum exercitu fuſus didicit, poſt Huniadem & Scanderbergum, ſupereſſe, in quem non impunè incurreret. Ac dum exaſperatus clade Barbarus vires reparat ; ne à victoriis interea ceſſaret Stephanus, in Tartaros manus vertit : eoſque iam ab aliquot annis animosè fractos iterum atque iterum attriuit, & vltra Boriſtenem abegit. In aliquo tamen modum exceſſit indoles illa Martia: nec enim mihi ſine culpâ, quòd Maniaci hoſtium Principis filium in acie captum, ob Legatorum ſuperbè illum repetentium oculos, in partes diuelli iuſſit ; ipſoſque Legatos palis configi : hoc erat in audaciâ vltra fines ire. Interea tota virium ſuarum mole (quingenta millia fuiſſe in acie dicunt) incumbens Mahometes, dum ſæpius vincitur, victorem ſe facit. Si tamen ille victor, qui hoſtem non aliter ſuperat, quam ſuis cum cædibus fatigando.

*Mahometem ſternit.*

*Immanitas.*

## CAPVT XVII.

## *Viceſima ſecunda in fidem Hæreſis. De Vuiclefo hæreſiarcha.*

QVo tempore, ſchiſmatis fluctibus ſcindebatur in partes Eccleſiæ nauis, incubuit etiam procella ex hæreſi: ſi fortè quæ prima vix poterat eluctari diſcrimina; ſecundis obrueretur. Iſtorum author Vuiclefus in Angliâ fuit, qui Epiſcopatus Vuingornienſis repulſam, bello in ſacra vltus eſt: vt ſi daretur, totam Eccleſiam hoſtis conuelleret, qui vnam amici ſpecie non rexerat. Itaque quidquid olim Arnaldus, Vvaldus, & id genus alij, *contra maieſtatem Eccleſiæ, authoritatem Præſulum, vel peccatorum ſupra laïcos, & inferiores miniſtros, ſacramentorum neceſſitatem, & efficaciam, clauium poteſtatem, traditionum vim, feſtorum obſeruantiam*, & ſimilia ſparſim deblaterauerant; in vnum collegit, vt majori periculo reuomeret. *Nemini patere ad cælum viam voluit, qui voto ſaltem non eſſet coniugatus: quaſi cælibes eſſent homicidæ, qui naſcituris vitam, & felicitatem præriperent.* Exitioſa illa dogmatum impiorum peſtis, quæ ex priorum authorum anathemate, ſuâque propriâ fœditate habebant antidotum, inualuit aliquandiu tamen, ex Ioannis Lanclaſtrij, Henrici Perſei, & aliorum Procerum latenti præſidio: nec non ex Præſulum ignauâ ſocordiâ, quos ad arcendos à grege lupos, fruſtra monuerat Gregorius XI. Nihil tamen in Eccleſiam potuere tu-

*Occaſio.*

1377

*Hæreſes.*

*Progreſſus*

midi fluctus ; quàm vt eam tollerent altiùs. Hęc tum imprimis debita palma Guilhelmo Courtenecio Cantuarienſi Epiſcopo, Academiis Pariſienſi,& Pragenſi, Ioãni XXIII. in Rom. Synodo, & demùm Conſtantienſi Concilio: A quibus intorto in impios anathemate, Euangelica placita, ab impuri lolij contagio, decretorum falce ſunt vindicata. Sed nemo efficaciùs Dei cauſam egit, quàm ipſemet qui ſubita paralyſi Vvicleſum perculit. Ne dubitaretur de causâ, & authore pœnæ, ipsâ die D. Thomæ Cantuarienſi ſacrâ, quem læſæ majeſtatis reum, ex more in Concione acturus erat, obrigeſcere incipiens, die ſacra D. Syluestro, quem ob acceptas à Conſtantino diuitias, Eccleſiæ corruptæ calumniâ ſolebat inſpergere, fœdam animam efflauit. In ſectarios edictis primùm Ricardus Rex, poſtea etiam pœnis egit. Maluit Regio nomini decus quærere ex repreſſis impiis, quàm opes fiſco ex Eccleſiis ſpoliatis. Prudenter ſanè, atque piè: imminutio enim potentiæ eſt, creſcere pietatis damno: nec vlli vnquam profuiſſent diuitiæ, quas Deo detraxiſſet.

*Refelluntur.*

1384 *Hæreſiarchæ pœna à Deo.*

*Et ſectatorum a Rege.*

## CAPVT XVIII.

### *Viceſima-tertia in Fidem Hæreſis Huſſitarum in Bohemia.*

VVicleſitica peſtis apud Anglos repreſſa erupit in Bohemiam. Ibi aſſertorem inuenit Ioannem Hus, quem non puduit, adductis ad partes quibuſdam Doctoribus, quos in conferendis Eccleſiæ Beneficiis Epiſcoporum iniquitas ab Eccleſiæ reuerentia 1405

*Huſſitarum ortus.* alienauerat, Vvicleſum in Academia Pium dicere, cuius ante impietates palam damnauerat. Recrudeſcenti vomicæ impreſſit ſtatim ferrum Subinco Archiepiſcopus, concrematis Hæreſiarchæ libris, & Hus à Concionibus interdicto, ex Alexandri V. Pont.
1409 iuſſu. Obloqui ad hæc proterui, quaſi ſacris fieret iniuria, dum ſacrum miniſterium, ab impietatis præſidio coërcebatur. Auſus etiam Hus recepta quædam dogmata ad diſceptandum proponere: vt iniquis ea interpretamentis conuelleret. Hinc maior *Et progreſſus ex vitiis Sacerdotum & Regis.* animis calor, & nouitatum prurigo, & pronitas ad turbas, cum vulgus, ex Albiconis Archiepiſcopi (Subinco enim nuper exceſſerat) & Sacerdotum vitiis, ipſorum doctrinam æſtimans, nouatores plauſu exciperet, nedum aſſenſu. Audaciam faciebat impunitas. Quid enim timerent à Vvenceſlao, qui de Rege nihil habuit prĕter nomen, & peccandi licentiam? Ex ſordibus quibus eius &
1412 vita & regimen polluta ſunt, facilè credas, ipſum, dum Norimbergæ intingebatur lotio fontem Luſtricum, & cum biennio poſt, in Bohemiæ Regem inungebatur, ſtercore aram comſpurcaſſe. Ad inualeſcentium tamen motuum fremitum, è ſuo tandem torpore excitus, ejecit ex vrbe, quos ab Eccleſiâ iam motos, è vitâ oportuerat. Cautiùs Conſtantienſe Concilium Hus & Hieronymum Pragenſem igni addixit, vt flamma tandem culpam elueret, quam pœnitentia non emendauerat. Hieronymus enim impietatem non ejurauerat, niſi in ſpeciem. Ideo meritò retractus à fugâ, cum

*Hæreſiarcha crematur Conſtantiæ.*

Hus coniunctus eſt ad pœnam, à cuius ſcelere non abſceſſerat. In flammâ mirùm quantam ſimulationem conſtantiæ præ ſe tulerint: nempe vt virtutis mentitæ faciem impietas periculoſiùs imponeret. Inde Martyres dicti à diſcipulis; habet enim & Dæmon Martyres ſuos. 1416

## CAPVT XIX.

### *Huſſitarum prima Tragadia.*

BOhemorum accendit animos flamma, quæ ſacrilegorum corpora conſumpſit. Ne territi crederentur ex duorum pœna; auſi ſunt atrociora. Adeo ſæpe pietatis intereſt vt impiis parcatur; ſi eo numero sũt, vt vlciſci pœnam per maiora, eaque impunita ſacrilegia valeant. Statim igitur Doctores aliqui Pragenſis Academiæ vſum calicis ad ſalutem laicis etiàm neceſſarium ex Chriſti præcepto & exemplo ſtatuerunt. Ab eis commotus populus irrupit in pretorium, & profugo, ex ignauiâ, Vuenceſlao, Magiſtratus, quos fuga non ſubtraxerat, è feneſtris dejecit. Cum intereà Ioannes quidam, nouæ Religionis idoneus promotor; quia antiquæ & Præmonſtratenſium deſertor; præmonſtrato in Calice Chriſti ſanguine, ad humanum alacrius effundendum truculentos accendebat. Inter hæc è vivis ablato Vuenceſlao; Sigiſmundus intempeſtiuâ ſeueritate res perdidit, quas ignauiori ſocordia frater afflixerat. Quaſi benè ceſſiſſet Conſtantienſium in Hus & Hieronymũ ſeueritas, eam ipſe in eos, qui Vratiſlauiæ tumultus egerant exercuit. Ex eâ ſic exarſe-

1419

*Pragenſis rebello Huſſitarum*

*Inualeſcit ex ſeueritate Regis.* re Pragenſes; vt quæ arma timor excuſſerat, metu reſumpſerint; & vt à ſe pœnam excluderent, toto cum Regno excludere cõſpirauerint: quàm verò proſpero ſucceſſu vix credas. Cæci animo, vt dignum ſe Ducem habeant, corpore cęcum volunt. Hinc illi cognomen *Ziſcha*. Hic ſuos, *Taboritas* dixit; quaſi non minus addicti Deo eſſent, quàm quos in monte Tabor ſuæ diuinitatis teſtes Chriſtus fecit. Ex illis prodierunt & *Sionitæ*; cum Ioannes Roatius Arci à ſe conditæ nomen à Sion monte quæſierit: ne ſcilicet *Bohemia*, *Catholicis Paleſtina*, & *Philiſtæi* ſine veri ſpecie dicerentur. Illam eis audaciam fecere victoriæ. Nam tres ſimul exercitus quibus Saxoniæ, Brandeburgi, & Treuerorum Principes præerant, egerunt in fugam; ſolo terrore nominis profligarunt: & quod luctuoſius, Conradum Archiepiſcopum traxerunt ad partes, vt iam ad libidinẽ ouile diſperderent, quando paſtor in lupum tranſierat. Victoriarum trophæa, exculpti paſſim ad ſacras prophanaſque Ædes, Calices fuere: ſed qui Bacchi potius cultores arguerent; quàm Chriſti. Auſi etiam in Pragenſi Conuentu, motuum inuidiâ, Sigiſmundum inficere, & eo velut in pœnam exauctorato, Vladiſlao Poloniæ Regi coronam deferre. Dubites an plus fuerit in offerentibus perfidiæ, qui alienum dabant; an in recuſante moderationis, qui nec Regni causâ jus violare ſuſtinuit. Adeo Heroibus, non perfidi ſolum ſed perfidia etiam quantumuis compendioſa, in odio ſunt. Nec ſe tantùm innocentem voluit Vladiſlaus, ſed &

*Bohemia dicta ab Huſitis Paleſtina.*

1421

*Catholicos armis vincunt*

*Et regem abdicant.*

*Regis Poloniæ moderatio.*

Coributum patruelem, qui Vuitondi fratris nomine ad Rebellium præſidium venerat: tanquã perduellem averſatus eſt, vt quem reum maieſtatis dixerit: & Sigiſmundum copiis juuerit; nempe vt & illæ fuſæ nouum decus adderent *Thuboritis* Ad hæc Imperator, quem armis inuictum ſenſerat, promiſſis adortus eſt, & expugnauit. Adeo plus eſt in aurum virium, quàm in ferro! Sed ante fructum euanuit tranquillitatis futuræ fiducia, Ziſcha interea defuncto. Peſte periit, qui ſuæ patriæ & Eccleſiæ peſtis fuerat. Nec datum reſarcire pœnitentiâ, quæ perduellione peccauerat. Ex morituri verbis quo pœniteret animo conſtitit; nam rogatus quid de ſuâ ſepulturâ præſcriberet; *Caro*, inquit, *volucribus cedat in prædam; cutis in vſum tympani, cuius ſonitum non ferant hoſtes, & quaſi me viuum exhorreant.* 1422

## CAPVT XX.

### *Huſſitarum ſecunda Tragedia.*

EX Ziſchæ interitu ita inter ſe diſſenſere ſectarij, vt vno tamen & eodem ſemper ſpiritu in Catholicorum perniciem conſenſerint. Alij *Taboritarum* ſeruato nomine ſibi præfecere Procopiũ non minùs tum ſtrenuũ bellatorẽ, quàm anteà Sacerdotem impium. Alij nullum, qui defuncto ſuccederet, dignũ rati, *Orphanorum* ſe nomine venditauere; & ſui regimen paucis proceribus commiſere. *Sionitæ* jam ante ſeceſſerant, Duce Bredricio. Ab iis duo potentiſſimi exercitus fœdiſſimè profligati ſunt; prioris Duce, ex Martini V. Pont. ſententiâ, Cardinali Vuinto- 1424

*Huſſita inter ſe diſſentiden*

*Vincun-tur Cathol. cos.* nienſi Anglo ; poſterioris Iuliano Cæſa-rino etiam Cardinali. Nec ſatis ; conatus eorum irritos, euaſtatis per veras clades Po-
1429 loniâ, Hungariâ, & Auſtria, vindicarunt. Dicas vltima Ziſchæ morientis verba, non fuiſſe phrenetici delirium ; ſed prophetantis vaticinium. Adeo ad eorum vel vmbram, quaſi ad lemures, expaueſcebant Catholi-corum ſtrenuiſſimi. Sed qui ſe armis inuictos in caſtris ſemper pręſtiterant, rationibus tã-dem Baſileenſi in Concilio ceſſere. Ibi enim poſt longas & inutiles diſcepationum pu-gnas promotum, vt in obſequium tandem Regis & Eccleſiæ ſaniores redierint, factâ laicis copiâ Calicis, & Clericis à politico di-tionum, quæ non pertinerent ad Eccleſiam,
1433 regimine ſemotis. Id indultum pertinacibus, vt mollirentur ; & ſapienter aliquid muta-*Pacantur à Synodo Baſile-enſi.* tionis permiſſum in ſacrorum ritibus; ne ip-ſa perirent. Sed *Concordata* ( id fuit pacis nomen ) Procopius noluit, quæ authoritati ſuę finem ponerent. Hinc in illum non ſo-lum Pragenſes jam alieni, quòd minorem in ſacris mutationem voluiſſent ; ſed nobiles e-tiam quique, qui ejus exoſi Tyrannidem, & indiſcretam ferociam, Ducem ſibi Alcio-nem Riſembergenſem, ad Mainardi Neua-hi monita, præfecerant, mouent : & juncti Catholicis proteruos primùm ad Pragam ; deinde ad Pilſinam, à cujus obſidione Baſi-leenſium patrum ſubſidia eos amouerant, magnâ clade ſternunt : ipſo Procopio tot *Pertina-ces ple-ctuntur.* ſcelerum pœnas, ſuo demùm ſanguine, luen-te. Nec actum mitiùs in ſuperſtites ; nam ab inermi plebe, quæ, vt in communi bello, fa-

cinoroſis ſe miſcuerat, ſemotos, quaſi eorum vellet vti probatâ fortitudine, & in horrea, velut ad accipienda ſingulorum nomina, incluſos comburi Mainardus iuſſit. Parùm fortè ex Chriſtianâ manſuetudine. Sed non viſum irato Duci, præter fas, in eos ſæuire flammis, qui in ſacra quæque prophanaque non tantùm diu ſæuierant, ſed & in poſterum, ſi daretur, ſęuituri erant. Poſt hæc iuratum paſſim in Sigiſmundi verba; & 1436
prima in Reges reuerentia viſa redire animis, vbi ſuum ipſos in gremium Eccleſia recepit.

## CAPVT XXI.

### *Decimum-nonum in Eccleſiam ſchiſma, ſeu de Synodo Baſileenſi.*

EX Conſtantienſis Concilij decreto, Baſileenſe prodiit, tanquam ex illimi fonte cœnoſus riuus. Molitiones eius 1431
velut afflatu præſentiens Eugenius Papa, *Initium*
ne Baſilea demum Baſiliſcum pareret, *diſsidij*
Præſules inde abire iuſſit, & Synodum *inter*
inſtaurandam alibi decreto reſcidit. At ei *Eugen. Pontif.*
adeo non obtemperatum, vt Iulianus *& Synod.*
Cæſarinus, Synodi præſes, Pontificem, *dum.*
de reuocando edicto, imperanti ſimilis monuerit; & Præſules, Concilium quod ex Conſtantienſis, & poſtea Senenſis decreto, atque Martini, ipſiuſque Eugenij ſuffragio cœperat, authoritate nullâ poſſe

vel reſcindi, vel transferri, ſe nolentibus, ſanxerint. Nec propterea Eugenius, vel ipſe venire vt monebatur, & iubebatur ad formulam, vel Legatos mittere. Inde

*Dies dicitur Eugenio.*

dies ipſi dicta ſæpius, & tandiu poſtea prorogata, donec tertio altercationis anno, allaborantibus per Legatos Sigiſmundo Imp. Carolo VII. Franc. Rege & aliis; quæ inuicem contra decreta aſperiùs fuerant reſciſſa ſunt, & ius ſuum vel

1433 relictum Concilio, vel reſtitutum ab Eugenio, Legatis ad ipſum miſſis. Maior

*Concordant.*

inde Baſileenſibus audacia, & de prærogatiua Concilij ſupra Papam, certior perſuaſio. Ac propterea Cenſores agere Pontificis, eum quaſi ferulæ ſubmittere; ac temerè ſtatuere ne ſuo arbitratu res gereret, ne ad dignitates vilas Eccleſiæ affines, aut conſanguineos promoueret, ne Cardinales ſupra viginti quatuor, aut ſine examine, & aliorum ſuffragio crearet; ne quid pro conferendis officiis, beneficiis, inueſtituris, & id genus aliis exigeret, & quod omnium inſtar fuit; vt Annatæ abrogarentur. Denique, vt vix ſuum Papæ nomen relinqueretur, & res de ſolo titulo fieret, dignitatum altiſſima & diuiniſſima.

*Synodi ſtatuta Papæ iniqua.*

1438 Præcipua hæc fuere capita; quibus, aliquibus immutatis, additis, demptis, ex Bituricenſium Comitiorum decreto, Pragmaticam in Galliis Sanctionem conflauit, & conſtabiliuit Rex Carolus. Ad hæc obniti non pauci Præſules, quos aliorum iniquitas Eugenio conciliauerat, & aſſentiri, atque poſtea decreto ſtatuere: vt Vti-

*Pragmatica Sanctio.*

num, aut Florentiam Concilium transferretur, quò Græci, de quorum cum Latinis concordiâ agendum erat, faciliùs accederent. At illis fixum animo, immotumque erat, omnia potius immutare quàm locum Synodi; niſi fortè magis Auenio, aut Sabaudia placuiſſent. Primis ita adhæſit Eugenius, vt nihil moratus iſtorum citationes, minas, atque adeo ſuſpenſionis in ſe dictam ſententiam, anathemate in illos dicto, Synodum Ferrariam edicto tranſtulerit. Exarſerunt ad hæc Præſules, & Pontificem à Pontificatu excidiſſe ſanxerunt, ſubſtituto *Felice*. Fuit hic Amedeus à Sabaudiâ; in quo nihil non dignum Chriſti Vicario reperias; niſi quod ita factus eſt, tanto munere digniſſimus, niſi ſuſcepiſſet ab indignis. Quamquam & in hoc reperias, quod minùs damnes: nam quem pietatis amor, Heremitam ex Duce fecerat; eumdem amor Eccleſiæ Pontificem fecit ex Heremitâ. Nec enim ſacras tandem admiſit Infulas; niſi vt purgaret, quas ab Eugenio pollutas, ex hoſtium rumoribus, audierat. Inter has turbas, ne in obſequio Germani errent: nulli deferendum cenſent, in Moguntiacis, & Francofordienſibus Comitiis. Galli ſic Eugenium malunt, ex nouo Bituricenſium Comitiorum decreto, vt quoad alia, Synodo parendum putent, è cuius nimirùm decretis, authoritas politica creuerat? Pontificiæ depreſſione, ob *Sanctionem Pragmaticam*. Alfonſus Rex Aragoniæ ſtetit à Felice in ſpeciem: vt

*Eugenij ſuſpenſio*

*Synodus Ferrariam transfertur.*

*Synodus facit Papam nouum.*

*Felix.*

1439

1439

Eugenium, qui Renato rebus in Neapolitanis, fauerat, ſeriò ſibi adjungeret. Actum interea inter Principes, variis in conuentibus, de pace. Sed nihil profectum, cùm nouæ Synodi conſilio, quam viam concordiæ multi aſſerebant, Eugenius, ex periculo cautior, non acquieſceret. Nempe vt ſuam tum quietem *Felici* Eccleſia deberet, & vni ſaltem Antipapæ obſtrictam ſe eſſe fatere-
1441 tur. Cum igitur omnes fermè Principes, vel Eugenio detuliſſent obſequium, vel ei ſuffecto Nicolao, iamque ad iſtum inclinaret Carolus Rex Franciæ, vt Lugduni Præſulum & procerum cœtus haberetur, Felix aſſenſus eſt. Nec abnuere Præſules, quos ſeu Delphini irruptio, ſeu ex Friderici Imp. iuſſu, ciuium fremitus Baſileà Lauſanam egerat. Inſtabat & Ludouicus, Felicis filius, cuius præſertim operà ſchiſma demerſum eſſe dici potuit; quando Bolmerium quendam, quod patri ne ſe abdicaret author fuiſſet, appenſo ad collum lapide in Lemanum demergi iuſſit. Atque ex iſtorum conſilio vltro deſcendit è gradu, quo nolens euaſerat. Et ex eo vniuerſi orbis plauſu & cultu dignum ſe fecit, quod noluit illum reddi, niſi virtuti. Felix ſanè, vel ob id, quod eſſe deſiit, & dignitatibus maior poſitis, quàm adminiſtratis. Poſt hæc ſuam rurſum Ripalliam adiit, vt pace tandem frueretur, quam orbi fecerat; & qui moderationis exemplar optimatibus fuerat, in vtràque Aulà, pietatis ſtimulus Anachoretis eſſet in receſſu, magnum vtrobique prodigium. Eius acta omnia, rata dixit

*Felix ſe abdicat.*

*Obiit pijſſimè.*

ex pacto Nicolaus per decreta; & Deus per miracula: vt ſimul vno Papa minor diceretur in terris per decreta Pontificia, & par Angelis proclamaretur in cœlis per diuina prodigia. Nec iure id elogij neges Ludouico Arelatenſi Cardinali: alteri Baſileenſium vindici, qui cæteris ad Eugenium digreſſis, ſolus Cardinalium Baſileæ ſubſtitit: vt iam non Synodum, ſed Synodi vmbram & cadauer, vt caput regeret, ac nominis & pietatis famà ſuſtineret. Eum enim abſoluebat ſuo in tribunali Deus, quando illum in ſuo damnabat Eugenius: & quem hic ſacris vt Reum mouerat, eum vt innocentem inter cœlites Deus adſcripſit, & vt Beatus ab omnibus haberetur & coleretur, cenſuit poſtea Clemens VII.

*Vt & Cardin. Arelat. qui pro Synodo fuerat.*

## CAPVT XXII.

### *Anacephalæoſis de viceſimo in Eccleſia ſchiſmate Græcorum.*

EX quo noua Roma Byzantium factum eſt à Conſtantino Imp. nouum apud ſe ſacrorum Imperium moliti ſunt eius Præſules: nec ita vnquam redacti ſunt in ordinem, quin rurſum in ſublime ſe, quodam quaſi pegmate ſuſtulerint. Hinc operoſa illa, & perplexa controuerſia de Vniuerſalis cognomine. Hinc plures eorum auſus nefarij, cùm in aliis Synodis: tum in eà, quam vt monſtroſam oſtenderent, biformem & quiniſextam dixerunt. In ea enim ſub Callinico Patriarcha, permiſſo Clericis matrimonio, & multis aliis, citra nutum Roma-

*Prima molitio.*

*Secunda.*

*692.*

*Tertia.* ni Pont. vel reſciſſis, vel innouatis; nouam ſibi Eccleſiam procuderunt: vt quatenus antiquæ primatum arrogare ſibi non poterant, in noua eminerent. Eorum inde in nos ſimultas inualuit, & obloquendi malignitas: pronum enim de iis malè loqui, quibus non benè velis. Diu tamen pudor in aliqua ſaltem pacis imagine inquietos continuit; nempe vt ferociùs authore Photio
367 *Quarta.* rebellarent. Nec ex damnato impio vulnus ita coaluit, quin ad cauſarum ſubinde vmbras recruduerit. Exulcerauerat nimirùm inuidos Occidentis Imperium tranſlatum ad Francos, operà imprimis Romani Pont. & eius in ſacris ſupremum Imperium detrectare apertiùs tunc viſi ſunt, cum ab eo factum eſt, vt ipſi minùs poſſent in prophano. Sic quæ apud ipſos veſania in ſacris cœperat, ex adeptà politicà potentià; accreuit ex deperdità, vt improbis tam ſua bona damno eſſent, quàm mala. Ad cumulum
934 *Quinta.* venit audacia, ex Ioannis XI. oſcitantia: ex quo enim, Theophylacto Patriarchæ, eiuſque poſteris indulſit vti pallio: non expectato Romani Pont. aſſenſu, apertiùs ſui ſe iuris credere, & vſurpare principatum, cuius habebant inſignia, & nec illum Primatem revereri, à quo habebant, vnde ſe Primates dicerent. Inde frequentes rixæ, & ipſorum demùm ſeceſſio, quaſi dedignarentur eſſe membra Eccleſiæ, cuius ſe capita, vel non infra capita dixerant. Vt minùs pu-
1053 *Calumnia.* deret exiiſſe ab Eccleſia, conatus eſt Cerularius Pſeudo-patriarcha ſordidam illam traducere, quæ olim Photiani, vel inania,

vel

vel falſa objecerant, recoctis, & peſtilenti halitu rurſum efflatis. Græculi delirantis ineptias, ita feliciter contuderunt Leo IX. & Humbertus Cardin. vt non fuiſſet duraturus in pertinaciâ, ſi potuiſſet ille ad viam reduci, qui extra ſe eſſe negabat. Obfirmatum in pereundi conſilio, vnà cum Leone Bulgarorum primate, Humbertus & Fridericus Cardinales, ad hoc Byzantium miſſi, mouerunt è ſacris: vt quos monentes non audierant, vindices experirentur, & damnati ſupremum Eccleſiæ Romanæ Imperium agnoſcerent, quod obſequentes pati noluerant.

## CAPVT XXIII.

## *Schiſma Græcorum exaggeratum per hæreſes.*

NOn vnum Gręcorum crimen fuit, *Schiſma*: ab eo, vt fit, prolapſi ſunt ad *hæreſes*: pronum enim errorum anfractibus implicari, vbi veritatis normam abjeceris; Cum Valeſio caſtratos admouebant ad ſacra: cum Simone mercabantur cœleſtia; cum Macedonio Sp. ſancti dignitatem violarunt, cum Donato & Nouatianis, apud ſe ſolos, eſſe Eccleſiam crepabant: è gradu Romanum Pont. excidiſſe, ſuffecto in eius locum Byzantino, quod adjecta, ad Symbolum Nicenum, voce *Filioque*, ſpiritum ſanctum à ſolo Patre productum cum ipſis non crederet. Ex iis, & ſimilibus ſe ſolos fœtus Euangelij; Dei charos, meros Chriſtianos: Nos verò transfugas & hære- *Græci hæretici.*

ticos eſſe perſuaſi, nihil non auſi ſunt, quo noſtri pernicie ſuum Chriſto zelum probarent. Nec tantum egere, vt ſæpe ante, calumniis, ſed & in noſtros aduersùm Barbaros in Syriam proficiſcentes occultis perfidiis. Inde factum, vt ſæpe Mahometanis victoriam maluerint, quâm Latinis: nec penſi habebant, an fouerent, à quibus erant perituri, in lucro erat excœcatis perire, dum nos perderent.

*Latinos habent Hæreticos.*

## CAVT XXIV.

## *De multiplici Græcorum cum Latinis concordia.*

Tentatam ſæpe Græcorum cum Latinis concordiam, atque adeo non rarò, in ſpeciem ſaltem, perfectam: vel ex eo conſtat, quod quæ Lugdunenſi in Concilio ſub Gregorio X. inita eſt, eam fuiſſe decimamtertiam ſcriptores memorent. Tela nimirum Penelopes texebatur, & quantum aliquorum operoſa perficiebat induſtria, tantum aliorum leuitas & pertinacia abrumpebat. Adeo ægrè exuitur perſuaſio, quæ hæret à teneris. Nec Lugdunenſi inter Eccleſias fœderi arctior nexus fuit, aut longior duratio. Si tamen illud duraſſe potuit, quod noc fortè fuit. Quippe à paucis Lugduni iuratum, omnes fermè in Græciâ abnuerunt. Michaële Imp. Becco Patriarchâ, & aliis cōcordiæ vel authoribus, vel adminiſtris inter transfugas, & hæreticos ablegatis, non ſine populari fremitu. Et maluere plurimi tandem ab Imperatore cohibiti, à patria ejici,

*1274 Concordant in Lugdun. Concilio.*

quàm à patriis ritibus. Nec propterea ipſe *An ex*
Palæologus, planè creditus ex Latinorum *animo.*
ſenſu fidelis. Certè Martinus IV. Pont. eum 1281
vt reuolutum ad priſtina ſacris interdixit.
Quamquam fuit illa fortè potius pœna non-
redditi Imperij Henrico Balduini filio,
quem Byzantio expulerat, quàm ſchiſmatis
rurſum admiſſi. Eum quippe ad mortem piè
ſenſiſſe, ex impietate Andronici filij proba-
tum eſt: nam quem impius ritu ſacro ſepe-
liri vetuit, eum in piorum ſenſu eſſe mor-
tuum videtur certum. Deſudauit etiam in
hoc puluere aliquandiu poſt *Barlaamus* Ab-
bas: vt quam Eccleſiam purgatam voluerat
ab *Hisychiſtarum*, ſeu quieſcentium deliriis, 1339
eamdem cum Romanâ conjungeret: ſiue *Hiſychi-*
dum per ſcripta rem ſtrenuè agit: ſiue dum *ſta.*
Auenionem ad Benedictum XII. Pont. pro-
ficiſcitur. At in vtroque illum ſucceſſus de-
ſtituit, cum in altero pertinacia, ignoran-
tia in altero, quid amplectendum eſſet ex-
cœcatis abſconderet. Nam Greci Præſules
ſuis in Conciliis; Palamæ Hiſychiſtarum
vindici, qui ex *Maſſalianorum & Eunomij*
ſenſu lumen, quo Chriſtus in Monte Tha-
bor inclaruit, increatum eſſe arbitrati, ſuis
orantium oculis corporeis aſpici aſſeuera-
bant, & in Deo operationem diſtinguebant à
ſubſtantiâ, palmam contra Barlaamum ad- *Quibus*
judicauerunt. Noluerunt apertiſſimam veri- *Græci*
tatem agnoſcere, cuius aſſertor eſſet vir La- *fauent.*
tinè ſentiens: nec oblatam Romanâ cum Ec-
cleſiâ concordiam voluerũt, quę magnitudi-
nem illis non ſuam demeret; ac vt ſic dicam,
ad ſoccum redigeret cothurnatos Patriar-

1353 chas. Præ ſe quidem inter hæc pacis deſiderium tulit *Cantacuzenus* per ſuos ad Innocentium VI. Nuncios. At quî bona eum fide cum Latinis egiſſe credas, qui Ioanni Palæologo genero ſuo, pupilloque perfidus, Imperatorem ſe dici curauerat, ſpecie recuſantis? An ſuum, ex animo cultum ſupremo Dei Vicario redditum ille voluerit, qui ſuam cognato Principi majeſtatem abſtulerat? Meliori, vt par eſt credere, fide Ioannes ipſe, ſocero ad Cœnobium tamdem compulſo,

1365 ad pacem incubuit, quippe non ſatis habens rem promouiſſe per nuncios ad Innocentium VI. & Vrbanum V. Italiam ipſe, quó tunc Vrbanus Auenione conceſſerat, profectus; ſe verè ac Romanè Chriſtianum profeſſus eſt. Nec dum tamen expreſſum à Græcis, vt piè ſentirent: adeo ægrè in habitum naturalem redit membrum diu laxatum! An quia Deo cordi non fuit reconciliatio, quæ fortè non erat ex corde? Nec voluit in Latinæ fidei ſenſu vel eſſe ex animo, vel perennare ſchiſmaticos, quibus tunc demùm pax cum veris Chriſtianis placebat, cum imminebat bellum à Turcis. Quippe Deo quæ dederis ingrata ſunt, vel ſi ex re & pretio magna, ni eis ex affectu, & voluntate pretium quæſieris.

*Et nolunt ſentire eum Latinis, & ſuis Imper.*

## CAPVT XXV.

### *Schiſma Græcorum in Florentino Concilio ſopitum.*

FVit illa qualiſcumque concordia gradus ad arctiorem, quæ in Florentino demùm Concilio inita eſt a Ioanne VI. Ema-

nuelis II. filio, vt quam pater per nuncios 1420
ad Martinum V. miſſos inire pacem voluerat, filius abſolueret. Spes tum maximè fuit, proceſſurum ex voto negotium; quando Baſileenſis Concilii ſpretis nunciis, & promiſſis; Ferrariam, quò Synodum Eugenius Papa tranſtulerat, accedere maluerunt, Ioannes Imp. Demetrius eius frater, Ioſeph Patriarcha, & compluresEpiſcopi. Securam cum illis pacem, non ſperauerunt Orientales ſchiſmatici; qui nouo ſchiſmate Occidentis Eccleſiam diuulſum ibant. Satius eis fuit, ad eā ire partem, cui vigor & ſpiritus manabant ex capite. Ibi poſt longam & inutilem verborum magis, quam rerum, pugnam de controuerſis Articulis, de Sp. ſancto, de authoritate Romani Pontif. de Sacramento Chriſmatis, de perennitate matrimonij; de ignis expiatorij certitudine, & ſimilibus, Ferrariæ primò, deinde Florentiæ; quò ex occaſione peſtis, Patres migrauerant, venere tandem Græci in fidem Latinorum, & antiqua Roma, nouæ parens atque adeo Princeps agnita eſt. Nunquam glorioſius Græcis vinci contigit à Latinis; cum enim primas in ſacris ceſſere alteri, ſecundas habere meriti ſunt: cum antea adeo primatum non haberent in Eccleſiā, vt nec infimo in ea eſſent ordine, vt quam immani diſſidio violauerant. Operis autem perfecti laus præcipua, ad Beſſarionem, ex Niceno in Bithinia Præſule Cardinalem, pertinuit. Et inde fortè facilius victi Græci, quia à Greco, minori dedecore. Durare tamen in pertinacia maluit Marcus Epheſi-

*Græci Ferrariam veniunt.*

*Articuli controuerſi.*

1438

*Concordia.*

1439

*Beſſarion.*

nus, vt confidentioribus ſæpe non placet, vel ad meliora mutatio. Hinc rurſum in Græ-
1440 cia turbæ, & ſpretis Præſulum prope omnium, ipſiuſque Imperatoris monitis, juſ-
*Populi durant in ſchiſmate.* ſiſque; populorum cum Marco paſſim adhæſio. Nempe vt minor jactura Deo & Eccleſiæ eſſet, ex ſchiſmaticis, breui poſt, extremo excidio perituris: quid enim ęgrè feras perire; quos dudum ſua culpa perdiderit?

## CAPVT XXVI.

### *Schiſma Græcorum Ruſſos peruaſit.*

IVgum Erebi paſſim excuſſerat Ruſſia, ex quo Chriſtianum induerat; ni plurimi jamtum ab antiquis hauſtos Græcorum ritus
*Ruſſi ex idololatris ſchiſmatici.* maluiſſent. Sic enim jus nouum acquiſitum Dæmoni; & quos vt idololatras ex plurium Deorum cultu non tenuit, tenuit vt ſchiſmaticos, ob vnum, quo ritu oportuit, non honoratum. Deo enim perinde ſunt, qui eum non credunt & colunt, atque qui malè. Conatus quidem Colomānus Andreæ
1206 Hungariæ Regis filius, in Regem ab Halicienſibus, quæ gens Ruſſica eſt, aſſumptus, eos Eccleſiæ Romanæ legibus ſubdere, qui ſuis ipſi ſe ſubdiderant: permiſſis ritibus, quos ſequi nulla fidei jactura eſt. In id etiam connisi Ioannes Planocarpinus Franciſcanus, & Anſelmus Dominicanus, quos ad Tartarorum Principem Innocentius I V. 
1246 miſerat. Nec non Opiſo Meſſanenſis Abbas, qui eò ex Poloniâ & Pomeraniâ, quò eum Pontifex miſerat, profectus, Danielem
*Rex perjurus.* gentis Principem, eiuſdem Innocentii no-

mine Regiis inſignibus & titulis decorauit. Succeſſu tamen labor caruit, nec aliud profectum, niſi vt Rex nouus audaciùs falleret: quaſi aliorum, non Regum eſſet, fidei vinculis adſtringi. Adeo enim Romané non ſenſit ex animo, & Tartaros, vt promiſerat, à Chriſtianorum finibus non prohibuit, vt eis aduerſus Polonos auxilium, & viam per ſua dederit. At non impunè pertinacibus fuit ſua perfidia. Quippe non diu poſt eos paſſi ſunt vltores iniuriæ, quos adminiſtros habuerant; & qui perfidiâ peccauerant; pœnas luerunt, crimine, vt fit, vertente in pœnam. 1287 Nam Tartari captiuorum, quos magno numero è Poloniâ abductos immaniter trucidauerant, corda præſentiſſimo infecere veneno, vt ex ipſis ad ima fontium demerſis inficeretur aqua, & ex aqua homines. Meritò ſané! vnde enim melius perirent, quàm ex venenatis cordibus; qui ad ſchiſma & impietatem ſæpius reuoluti, ſua ipſi corda corruperant? Quàm alté virus illud inſederat, cuius vis Synodi Florentinæ tempore nondum remiſerat! 1440 Nam Iſidorus à concilio reuerſus, vbi gentis nomine ſocietatem fidam promiſerat, poſt conuitia & carcerem è ſuâ eiectus Eccleſiâ, latronis ſalarium habuit, ex boni paſtoris officio. *Non acquieſcunt Concilio Florent.* Quin & eò venere immanitatis, vt præconibus Euangelicis, quos ad gentem adhuc Ethnicam Eugenius IV. mittebat, tranſitum per ſua negauerint. Satiùs eis fuit perire impios, quàm pati, vt eorum ſalutis curatæ gloriam ſibi Romani aſſererent. At illi demùm venerunt ad leges, à quibus alios 1595

excluſos voluerant : & in Breſtanâ in Lithuaniâ Synodo, cui Clementis V I I I. Legati adfuere, eiurato diſſidio, per Legatos Romam miſſos obſequium Pontifici detulerunt. Sed eâ lege vt eis rituum indulgeretur venia, quos fide integra ſeruari poſſe Synodus Florentina cenſuerat. Pudebat nimirùm ex aſſe ſapere: ideò voluerunt, vt, & dum ſaperent, cognoſceretur illos ante deſipuiſſe.

*Concordant.*

## CAPVT XXVII.

## *Huſſitarum tertia Tragedia.*

NOn longi æui fuit pax cum Huſſitis: in Sigiſmundum enim Regem quia nihil apertè auſi, clàm conſpirarunt: & poſt breue Alberti Auſtriaci, qui Sigiſmundum ſocerum exceperat, regnum, redierunt ad indolem. Hinc expreſſum, vt *Rokiſana* Preſbiter à Sigiſmundo antea pulſus reuocaretur, vt jacentem Sectam non tantum erigeret; ſed Catholicis inſultaret. Quâ verò id expectatione partium, & cauſæ fiduciâ? quando cum Caruaialo Cardinale Nicolai V. Legato, publico in cœtu congredi auſus eſt: At in diu meditatæ diſputationis exordio mirabiliter obmuteſcens, qui ſuos errores verbis tutatum venerat, ſilentio proſcripſit. Cum verba non procederent, ventum eſt ad facta. Nam accurrentibus incolis ad incendium, quod vnâ in parte Pragæ excitauerant, ex altera ſubiit Georgius Podebrachius, qui addicto vinculis Mainardo Præfecto, breui poſt mortuo, Præfectum ipſe ageret: donec Ladiſlaus

1440 *Turbant Pragã.* 1448

Rex Alberto poſthumus adoleſceret; an tolleretur. Nec enim dubitatum quin eorum interea fraude perierit, quorum intererat non ſubdi Principi, qui jam tum à teneris auitæ ſe fidei tenacem oſtenderat, & quem oblato jam ante ad Albertum Bauarum, & Fridericum Auſtriacum ſceptro, (quod illi tantâ gloriâ reſpuerunt; quantâ offerebatur perſidiâ) excluſum Regno voluerant antequam regnaret. Denique apud ipſos ſceleris præmium fuit, promoto ad ſolium Podebrachio, & Rokiſanâ Pragenſis Eccleſiæ regimen inuadente. Podebrachius tamen partâ per fraudem potentia ſecure frui poterat, Romanæ fidei ſtudium & Pontifici per Legatos obſequium palam profeſſus, & ob id ejus etiam ſuffragio inunctus; ni ſimul neceſſitate Calicis aſſertâ Hæreticis ancillatus multos proceres ad rebellionem prouocaſſet. Inualuere motus, quando eius demum à Paulo II. Pont. exauctorati Regnum, ad Caſimirum Poloniæ Regem, deinde, quia ab ipſo non ſuppetebat auxilium, nec Germani proceres inter ſe parum concordes, manum operi admouebant, ad Mathiam Regem Hungariæ tranſlatum eſt. At ne mortuo quidem Podebrachio, datum Mathiæ præualere. Ingratum eius in Socerum animum, à quo à carcere ad ſolium dimiſſus fuerat, regni damno, Deo mulctante. Adeo Vladiſlaum Caſimiri Poloniæ Regis filium Bohemico, quo eum Optimates promouerant, ſolio non excuſſit, vt Hungaricum illi moriens ceſſerit, ex Comitiorum ſuffragiis. At tunc maximè

*Regem infantem tollunt.*

1459 *Podebrachius Rex ambigua fidei.*

3466

*Abdicatur à Pontif.*

*Sed non cedit.*

1471

1477

proditum, ne vni quidem Regno Vladiſlaum fuiſſe parem, cum duobus præfuit. Nam qui antea ignauiâ vſque eò motus aluerat; vt pulſis in ſeditione Catholicis, direptiſque Cœnobiis, in ipſum aliquis ad feneſtram conſpicuum, arcu protenſo, cædendum porcum Polonum proclamauerit: poſtea oleum infudit incendio, dato Pragenſibus in Epiſcopum Auguſtino. Qualis enim ille vixerit, qui obiit Atheos! Probroſam illam de ſe opinionem ipſe fecit, cum morti proximus ait. *Si ſaluari nequeam vt malus Chriſtianus, ſalutem ſaltem obtineam vt bonus Marranus.* Sub iſto mirum quantum diſſidia inualuerint, etiam inter impios. Cum alij ex vſurpato tãquam omnibus ad ſalutem neceſſario Calicis vſu, *Calixtini*: alij Lolhardorum fœda ſoboles, & Veneris impura mancipia, *Pikardi* non ſegnius inter ſe, quàm omnes aduerſum Catholicos contenderint. Regio tamen edicto compreſſi Pikardi, & ad alterutros, Catholicos, ſeu Calixtinos accedere compulſi: vt non minus ipſi inter ſe, quàm ſimul cum Catholicis pacem tandem colerent. An vt nouis tragædiis vacua ſcena relinqueretur? nam in theatrum interea *Lutherus* prodiẽs recentibus ſpectaculis Cermanorũ animos ita pauit, & perculit; vt ſi quid inſuper tentauere Bohemi, in atrociori tumultu, ſui ſenſum non fecerit.

*Turba augentur.*

1494

*Huſsita diuiſi.*

# FLORI CHRISTIANI LIBER VNDECIMVS.

## CAPVT PRIMVM.

### *Imperium Conſtantinopolitanum à Turca exciſum.*

MAHOMETES II. Amurathi patri ſuffectus, vt auito ſe dignum Imperio probaret, Græcum excîdit: quaſi ſuam ſibi duraturam potentiam non crederet; niſi ex alienæ ruinis accreſceret. Ad hoc ipſi Byzantini manus commodauere: nam dum Arcis opus, quod ad Boſphori fauces, intercludendo aditu ab Euxino, & ſternendo ſuis ex Aſià, Turca moliebatur, adeo non diſturbant ex Conſtantini Imperatoris conſilio, vt ſubminiſtratis rebus neceſſariis promoueant; cudêre vincula quibus nećterentur: ac metu cladium, clades accerſiuere. milites ſaltem acciuiſſent ad præſidium. At quæ inertia Græcorum! vrbi ampliſſimæ, aduerſum

*Apparatus Mahometis.*

*Græcorũ inertia.*

quadringenta impugnantium millia, vix nouem millia fuere præſidio. Noſcas inde ablatam illis à Deo fuiſſe mentem, qui Deo fidem, & Dei Vicario obſequium negauerant. Id Ioannes Iuſtinianus Genuenſis, cuius imprimis virtute nonnihil tardiùs Byzantium corruit, apertè monſtrauit. Nam ab ſtatione ob vulnus abiens, cum ſibi recludi portas vrgeret, (pugnabatur enim in exteriori pomerio) eà ſe pergere dixit, quà
1453 inducturus in vrbem hoſtes Deus eſſet. Quanti momenti ad victoriam Dux eſt nam exinde miles, deficiente velut ſpiritu, inſtare ſegniùs, ſenſim cedere, & in vrbem reſpicere. At furor! dum receſſum quiſque præcipitat, omnes retardant, & confertim ad portam non ipſi ſolum ſe milites premunt, ſternunt, obruunt, ſed ipſum etiam, nefas! Imperatorem proculcant: vt quàm breui diſtaret à ſolio ſuppedaneum, documento eſſet. Sic intra duos, nec ipſos totos ab obſidione cœptà, menſes capta ciuitas, quidquid ſacrilegiorum ab impiis, rapinarum ab auaris, cædium à truculentis, ſtuprorum ab impuris, inhumani demum à barbaris Mahometanis timeri poterat, experta eſt. Nihil tamen in illa tragœdia triſtiùs exulcerauit animos, quàm quòd ſacræ olim Cœlitibus ædes ad Impoſtoris cultum traductæ ſunt. Quamquam in hoc fortè impietatem Mahometicam non magis horreas; quàm Dei iudicium expaueſcas: iuſtum enim vt, quæ à Dei vero cultu per ſchiſma diu deſciuerant, tranſirent in vſum Dæmonum. Indicio fuit; quòd Chriſtiani Principes, aliàs ad minima an-

*Vrbs capta.*

*Ex Dei iudicio.*

xij, & ad auxilia proni; nihil tunc, pro labantis Imperij ſubſidio conati ſunt. Vrbe captâ adhortati ſe quidem per Legationes mutuas Principes; quaſi faciliùs eſſet cladem vlciſci, quàm prohibere. Ob id in Ratiſponenſibus, & Francofordienſibus Comitiis decretum ſtrenuè bellum: ad quod Nicolaus V. per Legatos, & Ioannes Capiſtranus Eccleſiæ tum ex Franciſcanis decus eximium, & Ænæas Syluius per dicta ſcriptaque inflammatis ſua ſponte animis, addidere calcaria. Sed in neruum conatus. Verbis magnanimi, factis otioſi, quod maximè minabantur omnes, nullus præſtitit: quaſi juſtitiæ diuinæ intereſſe crederent, impiis ſubdi vrbem, quæ in pœnam impietatis corruerat. *Principũ Chriſtianorum torpor.*

## CAPVT II.

## *Turcarum ſub Mahomete II. nouæ victoriæ, & alicubi clades.*

INter has Chriſtianorum moras inſtans operi Mahometes omnia ſubegit in Græcia ad Peloponeſum; vbi & Demetrium Thomamque Imperatoris fratres, jam ad fugam in Italiam paratos, ſpecie pacis retinuit. *Mahometes inſtat operi.* Mox ad Belgradam in Hungariâ ab Huniade, Cardinale Caruaiale, 1456 Ioanne Capiſtrano & aliis fractus, vt jam ante memoratum eſt, in Aſiam deflexit, quò eum acciuerunt Vſumcaſſanis victo- 1461 riæ, & belli Perſici appendicem fecit Trapezuntini Comnenorum Imperij excidium, quod vnum Chriſtianis in Orien- *Trapezuntinũ Imp. ſubigit.*

te reſtabat. Quid enim jam veteranus non præſtet, cujus tyrocinium fuit Conſtantinopolis expugnata? Nec interea ceſſatum ab Europæis victoriis, Palæologis fratribus, qui per mutuas ſe clades exhauſerant,
1420 Peloponeſo pulſis; Leſbo, Eubœâ, & aliis occupatis inſulis: Venetis, qui Aloiſio Lauredano Duce, Peloponeſi partem & plures inſulas receperant, magnâ clade fractis, & ad pacem, ob id vnum non turpem, quia neceſſariam, adactis: Vualachiâ, magnam partem ſubactâ; & Stephano Boſnæ Deſpotâ pelle etiam ſpoliato, non modò purpurâ: denique, quod omnium inſtar fuit, Croiâ ad deditionem compulſâ. Auxilia quidem per hæc Pius II. laborioſè parauerat, quæ ipſe per ſe duceret; At ipſi conatus pro euentu fuit. Nam Anconæ, quò cum Cruceſignatorum copiis, & claſſe Venetâ trajecturus acceſſerat, vocatus ad triumphum à Deo eſt; quem ob hoc in cœlis meruerat, quòd bello Dei cauſam in terris tueri voluiſſet. Eius zelum Paulus II. æmulatus; non nihil apud Italos profecerat ad Hungarorum auxilium, qui ſoli coërcendis impiis videbantur. At quantum à promiſſis facta diſtant! nemo fuit qui non polliceretur magnifica, nemo qui exequeretur vel leuiſſima. Cum interea non in vmbrâ ſolùm pugnans adverſarius, tragica paſſim patrabat; & qui jam duorum Imperiorum, Regnorum quatuor, viginti Prouinciarum, ducentarum vrbium trophæis exultabat; & factorum atrocitate, ut Dei

*Peloponeſum occupat, &c.*

*Portentoſa Mahometis conſilia.*

carnifex diceretur meruerat; de vniuerſo demùm Orbe victoriam ſibi deſtinat, per 1481
trinam ſimul expeditionem. At exſufflatis diuinitus giganteis conſiliis, nihil caſui propius tandem eſſe cognouit; quàm quod peruenit ad ſummum. Licet enim Achomates expugnato, in Salentinis, Hydrunte, & direptis finitimis; quantum eſt in Italià Principum ita perculiſſet, vt magis de receſſu ad tutiora, quàm de periclitantium præſidio quiſque cogitaret; Meſithe tamen altero Impiorum Duce, ab oppugnatione Rhodi ſtrenuè depulſo, quam inſulam tyrannidis Arcem Barbari deſtinauerant, eam Albuſſonius ſacrorum Equitum ſupremus Magiſter fecit ſcopulum Barbarorum. Nec in tertià expeditione, cuius non alium, quàm ſe ipſe Ducem voluit; Mahometes felicior. Quippe Nicomediæ, Cyprum, Ægyptum & alia ad quæ accingebatur inter trophæa numerans; trophæum ipſe mortis factus eſt. Inde liberata metu Chriſtianitas; Italiæ, receptà à Ferdinando Rege Neapolis Hydrunte, reddita ſecuritas: & Chriſtianis non recuperandi ſolum perdita, ſed vlciſcendi clades oblata occaſio, ſi enatis inter demortui filios bellis in ſuam rem vſi, aliquando tandem maluiſſent inferre periculum; quàm ſemper propellere.

## CAPVT III.

## *Græcæ Muſæ in Occidentem digreſſæ.*

EX Barbarorum in Græciam progreſſu, ab Europa reliqua barbaries abſceſſit: nec enim Muſis, quæ nihil niſi diuinum ſapiunt, potuit eſſe commercium cum ferinę indolis hominibus. Iis igitur in Italiam, Galliam, Germaniam digreſſis, factum eſt, vt ad cultum elegantiorem Europam reliquam traduxerit Græcia etiam captiua, quæ olim victrix Aſiam manſuefecerat: quaſi eſſet in fatis, vt quæcumque ſors ingrueret; rectè ſentiendi, & loquendi nitidè norma à Græcis peteretur. Nouæ quaſi Coloniæ primus ductor Emanuel Chryſolora fuit; qui Emanuelis Imperatoris nomine contra Bajazethem I. rogatum auxilia in Italiam, & Galliam venerat. Nam præſagiens Muſarum patriam à Barbaris non poſſe deffendi; nouas eis ſedes in Italià parauit: Venetiis, Florentiæ, Romæ, Græcas literas profeſſus, cum ingenti audientium pluſu, atque adeo fructu. Eum poſtea ſecuti ſunt Gaza, Argyropilus; viri omnes, vel ex nomine pretioſi; Trapezuntinus, Calchondiles, & alij; qui à Mediceis præſertim liberaliter excepti, cum docendi in Academiis munere, tum in Latinum transferendi Græca ſtudio, politioribus literis plurimùm parauere gratiæ; quia è tenebris protraxerunt: nec enim meliùs rei

pretioſæ ſuum decus redditur, quàm dum in publicum datur. Sed ad id plus nemo contulit, quàm Ioannes Laſcaris, vt Rei literariæ nouum regnum Imperatorij ſanguinis viro niteretur. Is enim à Baiazethe II. Laurentij Medicei nomine, Bibliothecas Græciæ perſcrutandi impetratâ veniâ; omnigenæ doctrinæ libros in Italiam tranſuexit. Sic inter Victores Turcas, & Italos, fugientium hoſpites, diuiſa eſt Græcorum præda: illi maluere terrenas opes: diuinæ iſtis obtigerunt: & Gallinaceo Turca ſimilis, legit ſordes quibus paſceretur: aliis gemmas reliquit, quibus diteſcerent.

## CAPVT IV.

### *Neapolitani Reges placant Pontifices, pelluntur à Francis, & reſtituuntur.*

VT ſuæ Turcis victoriæ certiores eſſent, ortum inter Chriſtianos bellum fecit. Dum enim Franci, Regni Neapolitani iura proſequuntur armis, Italiam turbant; & vel vincendo faciunt, ne inani poſthac prouerbio Gallorum buſtum dicatur. Cæterùm iam tum ab Alfonſi exceſſu, moueri cœptum à Calliſto tertio Pontifice, 1458
qui Ferdinando Alfonſi notho interminatus eſt anathema, ſi Regno, quod iure Feudi, ad Eccleſiæ dominium redierat, non abſtineret. At ea ex gente Ferdinandus erat, cui ſub diademate, metus nullus erat ab-

anathemate. Sed quem parùm mouit ſacrorum ratio, arma forte continuiſſent: ni Antonio Picolomineo Pij ſecundi, qui interea Calliſtum exceperat, Nepoti data Maria notha in ſponſam, & Amalfitano tractu in dotem, Pontificis noui ſibi patrocinium comparaſſet. Sic data parte, totum retinuit: eius enim præſertim ſubſidio, cui Franciſcus Sfortia, & Scanderbergus adjunxere copias;

*Pius II. fauet Aragoniis in Calab.*

1460 Ioannem Renati filium, Regni parte procerum defectione potitum, & reportatâ ad Sarnum victoriâ perſultantem, ad Troiam Apuliæ vicit. & breui poſt, regno toto expulit, proceribus, quos tutiùs poſtea perderet, in gratiam tunc receptis. Nec diu ſecuritas.

*Andegauenſes victi.*

1489 Cum Innocentius ſextus, ob negata vectigalia abdicationis in ipſum dicta ſententiâ, Carolum octauum Franciæ Regem ad ſuum ſibi ius armis aſſerendum impelleret. At & iſtum Baptiſtinâ ipſius nepte, Ludouico Aragonicæ ſtirpis Principi collocatâ, ſibi Ferdinandus adjunxit. Adeo muneribus & Diui

1492 cedunt. Feliciter id iam bis expertus Ferdinandus, in Alexandro quoque ſexto verùm nouit: vt quem ex ſpe Principatuum facta ipſius filiis, ſibi contra Carolum addixerit. Nec ſegniùs Carolus tranſmiſſis Alpibus, &

*Innoc. VI. fauet Aragon.*

1493 fuſis hoſtium tum nauticis ad Genuam, tum terreſtribus in Romaniâ copiis, eo terrore Italiam totam perculit: vt vel ſolâ famâ bellum profligauerit. Ad tantam ſeu Francorum fiduciam, ſeu Italorum ignauiam obſtupeſcens Pontifex, verè tunc non armis, ſed cretâ, quâ venientium deſignabantur

*Carolus VIII. Neapolim ſubigit.*

1494 hoſpitia, victam eſſe Italiam dixit. Quid

mirùm nec Florentinis, nec ipſi Pontifici, nec aliis fœderatis fuiſſe reſiſtendi fiduciam; cum Alfonſus ipſe Rex (Ferdinandus pater interea exceſſerat) ſeu conſcientià ſcelerum, ſeu cæſorum impiè nobilium ſpectris exagitatus, ac territus, ſeu etiam hoſtium felicitate conſternatus, tranſmiſsà in filium Ferdinandum purpurà, ad Cœnobij in Sicilià Aſylum piè breui poſt obiturus effugerit. Quin ipſe Ferdinandus, in Ænariam inſulam profugus, non credidit ſe fore tutum in Regni Arcibus, qui populorum animos, patris & Aui culpà à ſe alienos nouerat. Statim iuratum paſſim in verba Caroli, & Regnum tot olim cladium arena, ſine pugnà receptum eſt. Dicas non ad ipſum vincendum tanquam tunc alienum, ſed viſendum tanquam ſuum Regem veniſſe. At non longi æui excelſa ſunt, quæ de facili ſurgunt. Sine pugnà parta victoria, proximæ cladis omen fuit. Interea enim Itali, velut excuſsà ſenſim formidine, quà obſtupuerant, inter ſe fremere, Francorum ſuſpectare potentiam, eos amicos malle, quàm vicinos, miſcere per Legatos conſilia, & demum obliti ſacramenti, quo ſe Carolo tranſeunti plurimi obſtrinxerant, Venetiis aduerſus ipſum fœderari. Ad partes etiam venere Maximilianus Imperator, & Ferdinandus Hiſpanus, qui nihil moturos ſe jurejurando promiſerant: nempe Regum multis ſacramenta ſoluere in facili, ſi in tuto: vt qui fidem, & Religionem commodis metiantur; quaſi, veteri ex dicto, *iurata ipſis lingua eſſet, animus iniuratus*. Cum igitur Rex intercludendo reditu volitare va-

*Reges Neapolit. conſternati fugiunt.*

*Itali contra Carolum fœderantur.*

dique ſigna audiret, Regni præfecturam Montpenſerio, & aliis ſub ipſo Francis, indigenis excluſis, (vt & intra Regnum hoſtis eſſet) commiſit: & ſine obice obuia permenſus, Pennini quoque iuga, ad Forum nouum, non procul à Parmà ſuperat: atque hoſtibus, qui Ducibus Gonzagà Mantuano, Sanſeuerinate Neapolitano, & Contareno

*Eos Carolus ſternit* Veneto, ſeni minimùm in ſingulos eò confluxerant, memorabili clade perculſis; Aſtam non incolumis ſolum, ſed victor euaſit, non ſine Dei, quem Diuorum Dioniſij & Martini patrociniis inuocauerat, manifeſto præſidio. At non ita ex voto in Apulià res fluxere: vt Rex qui ex *Sauanarolæ* Vaticiniis, ad Italorum vindicanda ſcelera inſtrumentum Dei fuerat, ſuorum ipſe ſeu criminum, ſeu errorum, dum Florentinis iuratam fidem violat, Arces Pontificias inuadit, & excluſis indigenis, Regnũ incontinentibus, non tam gubernandum, quàm exhauriendum tribuit, pœnas daret. Nam interea Ferrandus Gonſaluus, ex Francorum cladibus *Magni* cognomen habiturus, Hiſpani Regis nomine

*Regnum Hiſpani recuperant.* Ferdinandum reduxit, eumque, quamquam primò victus ad Seminarã, ab Albinio Præfecto, Neapolim aſſenſu ciuium, quos Caroli in diſpenſandis muneribus iniquitas, & Præfectorũ libido alienauerat, reſtituit; Francis vbique ſeu æſtu & lue abreptis, ſeu acie pro-

1496 fligatis. Nec alius ipſis reportatus ab expeditione fructus, quàm morbus venereus. Eum ad eluendam ignominiam, altera natio, de alterà nominat, nec minùs vtraque rea: quippe innocentem vix angit illa peſtis; nec ab

Hiſpanis communicari potuit, nec à Francis contrahi, ſine vtriuſque gentis incontinentiæ conſcientià,

## CAPVT V.

### *Rex Neapolis pellitur à Francis & Hiſpanis, & poſtea Franci ab Hiſpanis.*

IN nouo expeditionis Italicæ conſilio abreptum Carolum VIII. Ludouicus duodecimus excepit; qui victoriam de Regno inciperet à Ducatu, & Mediolanum Valentinæ Auiæ nomine ſibi debitum, ſubactum, vincendæ Neapolis auſpicium faceret, Nec erat ab Alexandro Pontifice timor; à quo nihil non ſperari poterat, vel ex alieno; dum pars aliqua prædæ ipſius filio Cæſari obtingeret. Accedebat, quod in Fridericum Regem commotus erat, quaſi Regno ſe indignum probaſſet, ex quo negatà eidem Cæſari filià, indignæ affinitatis labem refugerat. Difficilior in Ferdinando Hiſpano vincendus cuneus erat, quippe vel ſi patri ſuo potius Ioanni Aragonio, poſt Alfonſi fratris mortem, quàm Ferdinando notho Regnum fuiſſe debitum, aliud agendo, non indicaſſet; non videbatur tamen paſſurus cognatum Regem ſuo è ſolio impune pelli. At & hîc eàdem quà Pontifex arte expugnatus: ſtatutum enim vt ei Calabrià & Apulià cum Ducis titulo cedentibus, reliqua Francus haberet; fœderi per diploma ſuffragante Pontifice. Cum autem hic per Nemoroſium & Albi- 1502

*Inter Pont. Reges Franc. & Hiſp. de pellendo Rege Neapolis ſtatuitur.*

uum; ille per Gonſaluum rem agerent; non maior ipſis in ſubigendo regno labor, quàm in partiendo. Fridericus in Franciam abductus, lubrici regni damnum, Andegauenſis Ducatus poſſeſſione certâ, ſolatus eſt; cum interea victores inter ſe atrociſſimè concurrerent. Eos prædones dicas, quos prædæ partiendæ cura inter ſe animoſius committit, quàm rapiendæ cupiditas in innocentem impulerat. Belli noui occaſio, limitaneus ager paſcuis ferax; quem vt ſuæ quiſque parti aſſerat, de toto periclitari non dubitat. Sed vera cauſa infida inter potentes ſocietas, & par in vtroque totum habendi cupiditas; cum neutri fortè nec pars jure deberetur. Arridere primò Francis viſa fortuna, Hugone Cardonio per Albinium ad Terram-nouam fuſo: & alibi non ſemel hoſtibus profligatis. Nēpe ut ex more, mutata Hiſpanis tota ſe crederet: eiſque demùm Regnum aſſereret. Gonſaluus enim Barleta, vbi amiſſis reliquis diu obſeſſus, ad vltima prope adactus fuit, edomitos per patientiam hoſtes, atque ſummotos, ad Croïam primùm per Ferrandum Andradium, tum per ſe ad Criniolam, vbi Nemoroſius prorex interiit; magnâ clade fregit; ac demùm Caietâ redditâ, quę vna ipſis ſupererat, toto Regno in perpetuum ejecit. Conatus quidem Ludouicus Rex inſtaurare bellum, per Tremollium, Gonzagam, Marchionem Saluſſianum, & alios; ſed non alio tandem euentu, niſi vt nouis ſuis cladibus priores victorias hoſti conſtabiliret. Dicas Gallum & Hiſpanum

*Frider. Rex regno pellitur.*

*Franci & Hiſp. dimicant pro Regno.*

1503

*Hiſpani praualent.*

venaticos tùm fuiſſe canes, quorum ille bonus quidem commouendæ prædæ, ac agitandæ; ſed iſte capiendæ melior, ac retinendæ.

## CAPVT VI.

## *Alex. Pontif. & Cæſaris Borgiæ ambitio, perfidia, & caſus.*

AB Apuliâ in Romaniam cladium ſe furor deflexit authore Alexandro ſexto Pontifice. Præcipua cauſa, ambitio quâ ſuo Cæſari Borgiæ ſceptra vel per cædes parauit; vnde prophanum ſe planè ſub ſacris infulis prodidit. Inde enim Columnis, Vrſiniis, & aliis proceribus, quos ægre paſſuros agitatam magnitudinem ſuſpicio erat, indictum bellum ducibus Guidone Vrbinate, Bernardino Legato, & ipſo Cæſare tum Cardinale. Sed à Carolo Vrſino ad Brachianum cæſi Pontificij, capto Vrbinate, didicerunt operoſiùs eſſe aliena capere; quàm cupere. Nec ipſa Pontificia oppida fuiſſent in tutò; occupatâ jam inter alia Oſtiâ; ni adfuiſſet auxilio Gonſaluus. Nec ex periculo ambitionem Papa poſuit, ſed fecit cautiorem: vt qui ſuis non potuerat, alienis viribus filium promoueret ad ſolium, & quatenus à Friderico Neapolitano Carlotam filiam Cæſari, cum dotali Tarento, non impetrauit; ad Ludouicum XII. Franciæ regem reſpexit, ducendi Annam Britannam Caroli VII. viduam; dimiſſâ Ioannâ, ejuſdem Caroli ſorore, factâ ipſi veniâ. In premium Cæſar, qui

*In Proceres bellum.*

1496

*Illi ſe tuentur.*

*Ambitio Alex. Pont. pro filio.*

1498 diploma tulerat, factus Dux Valentinus, & Carlotæ Albretanæ maritus; (nam Romæ poſitâ publicé purpurâ prophanum ſe fecerat) & maiora ſperare juſſus, vbi res Italicæ proceſſiſſent. Ad hæc ſomniare iterum ſceptra; & nihil minùs, quàm Cæſaream fortunam; ſumpto in Symbolum, *aut Cæſar, aut nihil*. Nec facta abnuebant, Vrſiniorum ope pulſis Neapolim Columniis; & Francorum auxilio Flaminiâ, Vmbriâ, Piceno paſſim receptis; & Regulis vel per vim ejectis, vel per fraudem trucidatis.

*Ope Frãcorum multa inuadunt.*

1502 Ad hæc Vrſinij inhorreſcere, & ne monſtri, quod ipſi fouerant, præda tandem fierent, pauere. Ideo vnà cum Bentiuolo Bononienſi, Ballione Peruſino; Vitellio Tifernate, & aliis, in Tyrannum conſpirant, & ſubactis Vrbino, & aliis, eius etiam copias profligant. Cum vis minùs procederet, fraudem Borgia adhibuit; & Paulum & Franciſcum Vrſinios, Vitellium, & alios, quos bello non oppreſſerat, ſpecie pacis Senogalliæ ſtrangulat; Carnifex melior, quàm Imperator: cum interea Alexander nihilo humanior Cardinalem Vrſinium ſpecie reconciliationis accitum, & alios in Hadriani mole perimeret. Nec dum finis cladium. Etſi Ludouicus X I I. cuius fidem Iordanus Vrſinius implorauerat, furentibus interceſſerit; niſi, juſto Dei judicio, inſidiæ tandem vertiſſent in artifices. Vocatos aliquot ad cœnam Cardinales tollere decreuerant; ſimul vt auferrentur Æmuli; ſimul vt ex dignitatum ſpoliis pecuniæ corraderentur. Sed miniſter facinoris conſcius, fallente

*Caduntur.*

*Perfidiis agunt.*

fallente vaſorum ſimilitudine, medicatum vinum graſſatoribus infudit, ſanum inuitatis. Sic ſuis tandem artibus periere perfidi, & fraus nulli fraudi fuit; niſi authoribus. Nam Papa, ob ætatem veneno impar, breui poſt obiit. Nec filius, quamuis per antidota diſcuſſo veneno, planè conualuit: quippe ambitioſo conualeſcere non eſt, ſuæ dignitati ſupereſſe. Indignatum ſubinde ferunt in lecto, quod cum omnia ex patris obitu ſuperuentura, integris adhuc viribus prouidiſſet, numquam veniſſet in mentem, fieri poſſe, vt tunc æger decumberet. Adeo confeſſione quoque propriâ cœca eſt carnis prudentia! Qui igitur in caſus quoſlibet ſtabiliſſe fortunam putabat, per interregnum pro azylo habuit Hadriani carcerem, quo vno vim exulum reuerſorum effugit. Nec ante à Iulio II. dimiſſus eſt; quàm ditionem ipſe Pontificiam dimiſiſſet. Id enim in primis noui Pontificis curis; qui, cedentibus vltro ex Francorum, qui Pontifici aderant, metu, Ballionibus, & Bentiuolis, Peruſium præterea, ac Bononiam recepit. Sic tyrannus atrox ex duobus, quæ in Symbolo optauerat, cum primum non obtigerit, alterum habuit, & *qui Cæſar eſſe non potuit, nihil demùm fuit.*

*Pontif. veneno perit.*

1503

*Cæſar conualeſcit, ſed potentia excidit.*

*Ditio Eccleſiaſtica à Iulio recuperata.*

## CAPVT VII.

### *Pontifices ſæculi decimi-quinti.*

INnocentius VII. antea Coſmatus Melioratus Sulmonenſis Rauennæ Archiepiſcopus ac Cardin. ſuffectus Bonifacio ad no-

*Innoc. VII* CCIX. 2. Non.

proditum, ne vni quidem Regno Vladiſlaum fuiſſe parem, cum duobus præfuit. Nam qui antea ignauià vſque eò motus alu-erat; vt pulſis in ſeditione Catholicis, direptiſque Cœnobiis, in ipſum aliquis ad feneſtram conſpicuum, arcu protenſo, cædendum porcum Polonum proclamauerit: *Turba augentur.* poſtea oleum infudit incendio, dato Pragenſibus in Epiſcopum Auguſtino. Qualis enim ille vixerit, qui obiit Atheos! Probroſam illam de ſe opinionem ipſe fecit,
1494 cum morti proximus ait. *Si ſaluari nequeam vt malus Chriſtianus, ſalutem ſaltem obtineam vt bonus Marranus.* Sub iſto mirum quantum diſſidia inualuerint, etiam inter impios. Cum alij ex vſurpato tãquam omnibus ad ſalutem neceſſario Calicis vſu, *Calixtini*: alij Lolhardorum fœda ſoboles, & Veneris impura mancipia, *Pikardi* non ſegnius inter ſe, quàm omnes aduerſum Catholicos contenderint. Regio tamen edicto compreſſi Pikardi, & ad alterutros, Catholicos, ſeu Calixtinos accedere compulſi: *Huſſitæ diuiſi.* vt non minus ipſi inter ſe, quàm ſimul cum Catholicis pacem tandem colerent. An vt nouis tragædiis vacua ſcena relinqueretur? nam in theatrum interea *Lutherus* prodiẽs recentibus ſpectaculis Germanorũ animos ita pauit, & perculit; vt ſi quid inſuper tentauere Bohemi, in atrociori tumultu, ſui ſenſum non fecerit.

# FLORI CHRISTIANI LIBER VNDECIMVS.

## CAPVT PRIMVM.

### *Imperium Conſtantinopolitanum à Turca exciſum.*

MAHOMETES II. Amurathi patri ſuffectus, vt auito ſe dignum Imperio probaret, Græcum excidit: quaſi ſuam ſibi duraturam potentiam non crederet; niſi ex alienæ ruinis accreſceret. Ad hoc ipſi Byzantini manus commodauere: nam dum Arcis opus, quod ad Boſphori fauces, intercludendo aditu ab Euxino, & ſternendo ſuis ex Aſiâ, Turca moliebatur, adeo non diſturbant ex Conſtantini Imperatoris conſilio, vt ſubminiſtratis rebus neceſſariis promoueant; cudêre vincula quibus nécterentur: ac metu cladium, clades accerſiuere. milites ſaltem acciuiſſent ad præſidium. At quæ inertia Græcorum! vrbi ampliſſimæ, aduerſum

*Apparatus Mahometis.*

*Græcorũ inertia.*

quadringenta impugnantium millia, vix nouem millia fuere pręſidio. Noſcas inde ablatam illis à Deo fuiſſe mentem, qui Deo fidem, & Dei Vicario obſequium negauerant. Id Ioannes Iuſtinianus Genuenſis, cuius imprimis virtute nonnihil tardiùs Byzantium corruit, apertè monſtrauit. Nam ab ſtatione ob vulnus abiens, cum ſibi recludi portas vrgeret, (pugnabatur enim in exteriori pomerio) eà ſe pergere dixit, quà
1453 inducturus in vrbem hoſtes Deus eſſet. Quanti momenti ad victoriam Dux eſt! nam exinde miles, deficiente velut ſpiritu, inſtare ſegniùs, ſenſim cedere, & in vrbem reſpicere. At furor! dum receſſum quiſque præcipitat, omnes retardant, & confertim ad portam non ipſi ſolum ſe milites premunt, ſternunt, obruunt, ſed ipſum etiam, nefas! Imperatorem proculcant: vt quàm breui diſtaret à ſolio ſuppedaneum, documento eſſet. Sic intra duos, nec ipſos totos ab obſidione cœptà, menſes capta ciuitas, quidquid ſacrilegiorum ab impiis, rapinarum ab auaris, cædium à truculentis, ſtuprorum ab impuris, inhumani demum à barbaris Mahometanis timeri poterat, experta eſt. Nihil tamen in illa tragœdia triſtiùs exulcerauit animos, quàm quòd ſacræ olim Cœlitibus ædes ad Impoſtoris cultum traductæ ſunt. Quamquam in hoc fortè impietatem Mahometicam non magis horreas; quàm Dei iudicium expaueſcas: juſtum enim vt, quæ à Dei vero cultu per ſchiſma diu deſciuerant, tranſirent in vſum Dęmonum. Indicio fuit; quòd Chriſtiani Principes, aliàs ad minima an-

*Vrbs capta.*

*Ex Dei judicio.*

xij, & ad auxilia proni; nihil tunc, pro labantis Imperij ſubſidio conati ſunt. Vrbe captâ adhortati ſe quidem per Legationes mutuas Principes; quaſi faciliùs eſſet cladem vlciſci, quàm prohibere. Ob id in Ratiſponenſibus, & Francofordienſibus Comitiis decretum ſtrenuè bellum: ad quod Nicolaus V. per Legatos, & Ioannes Capiſtranus Eccleſiæ tum ex Franciſcanis decus eximium, & Ænæas Syluius per dicta ſcriptaque inflammatis ſua ſponte animis, addidere calcaria. Sed in neruum conatus. Verbis magnanimi, factis otioſi, quod maximè minabantur omnes, nullus præſtitit: quaſi juſtitiæ diuinæ intereſſe crederent, impiis ſubdi vrbem, quæ in pœnam impietatis corruerat.

*Principū Chriſtianorum torpor.*

## CAPVT II.

## *Turcarum ſub Mahomete II. nouæ victoriæ, & alicubi clades.*

INter has Chriſtianorum moras inſtans operi Mahometes omnia ſubegit in Græcia ad Peloponeſum; vbi & Demetrium Thomamque Imperatoris fratres, jam ad fugam in Italiam paratos, ſpecie pacis retinuit. Mox ad Belgradam in Hungariâ ab Huniade, Cardinale Caruaiale, 1456 Ioanne Capiſtrano & aliis fractus, vt jam ante memoratum eſt, in Aſiam deflexit, quò eum acciuerunt Vſumcaſſanis victo- 1461 riæ, & belli Perſici appendicem fecit Trapezuntini Comnenorum Imperij excidium, quod vnum Chriſtianis in Orien-

*Mahometes inſtat operi.*

*Trapezuntinū Imp. ſubigit.*

te reſtabat. Quid enim jam veteranus non præſtet, cujus tyrocinium fuit Conſtantinopolis expugnata? Nec interea ceſſatum ab Europæis victoriis, Palæologis fratribus, qui per mutuas ſe clades exhauſerant,
1420 Peloponeſo pulſis; Leſbo, Eubæâ, & aliis occupatis inſulis: Venetis, qui Aloiſio Lauredano Duce, Peloponeſi partem & plures inſulas receperant, magnâ clade fractis, & ad pacem, ob id vnum non turpem, quia neceſſariam, adactis: Vualachiâ, magnam partem ſubactâ; & Stephano Boſnæ Deſpotà pelle etiam ſpoliato, non modò purpurâ: denique, quod omnium inſtar fuit, Croiâ ad deditionem compulſâ. Auxilia quidem per hæc Pius II. laborioſè parauerat, quæ ipſe per ſe duceret; At ipſi conatus pro euentu fuit. Nam Anconæ, quò cum Cruceſignatorum copiis, & claſſe Venetà trajecturus acceſſerat, vocatus ad triumphum à Deo eſt; quem ob hoc in cœlis meruerat, quòd bello Dei cauſam in terris tueri voluiſſet. Eius zelum Paulus II. æmulatus; non nihil apud Italos profecerat ad Hungarorum auxilium, qui ſoli coërcendis impiis videbantur. At quantum à promiſſis facta diſtant! nemo fuit qui non polliceretur magnifica, nemo qui exequeretur vel leuiſſima. Cum interea non in vmbrâ ſolùm pugnans adverſarius, tragica paſſim patrabat; & qui jam duorum Imperiorum, Regnorum quatuor, viginti Prouinciarum, ducentarum vrbium trophæis exultabat; & factornm atrocitate, ut Dei

*Peloponeſum occupat, &c.*

*Portentoſa Mahometis conſilia.*

carnifex diceretur meruerat; de vniuerſo demùm Orbe victoriam ſibi deſtinat, per 1481
trinam ſimul expeditionem. At exſufflatis diuinitus giganteis conſiliis, nihil caſui propius tandem eſſe cognouit; quàm quod peruenit ad ſummum. Licet enim Achomates expugnato, in Salentinis, Hydrunte, & direptis finitimis; quantum eſt in Italià Principum ita perculiſſet, vt magis de receſſu ad tutiora, quàm de periclitantium præſidio quiſque cogitaret; Meſithe tamen altero Impiorum Duce, ab oppugnatione Rhodi ſtrenuè depulſo, quam inſulam tyrannidis Arcem Barbari deſtinauerant, eam Albuſſonius ſacrorum Equitum ſupremus Magiſter fecit ſcopulum Barbarorum. Nec in tertià expeditione, cuius non alium, quàm ſe ipſe Ducem voluit; Mahometes felicior. Quippe Nicomediæ, Cyprum, Ægyptum & alia ad quæ accingebatur inter trophæa numerans; trophæum ipſe mortis factus eſt. Inde liberata metu Chriſtianitas; Italiæ, receptà à Ferdinando Rege Neapolis Hydrunte, reddita ſecuritas: & Chriſtianis non recuperandi ſolum perdita, ſed vlciſcendi clades oblata occaſio, ſi enatis inter demortui filios bellis in ſuam rem vſi, aliquando tandem maluiſſent inferre periculum; quàm ſemper propellere.

## CAPVT III.

### *Græcæ Muſæ in Occidentem digreſſæ.*

EX Barbarorum in Græciam progreſſu, ab Europa reliqua barbaries abſceſſit : nec enim Muſis, quæ nihil niſi diuinum ſapiunt, potuit eſſe commercium cum ferinę indolis hominibus. Iis igitur in Italiam, Galliam, Germaniam digreſſis, factum eſt, vt ad cultum elegantiorem Europam reliquam traduxerit Græcia etiam captiua, quæ olim victrix Aſiam manſuefecerat : quaſi eſſet in fatis, vt quæcumque ſors ingrueret; rectè ſentiendi, & loquendi nitidè norma à Græcis peteretur. Nouæ quaſi Coloniæ primus ductor Emanuel Chryſolora fuit; qui Emanuelis Imperatoris nomine contra Bajazethem I. rogatum auxilia in Italiam, & Galliam venerat. Nam præſagiens Muſarum patriam à Barbaris non poſſe deffendi; nouas eis ſedes in Italià parauit: Venetiis, Florentiæ, Romæ, Græcas literas profeſſus, cum ingenti audientium pluſu, atque adeo fructu. Eum poſtea ſecuti ſunt Gaza, Argyropilus; viri omnes, vel ex nomine pretioſi; Trapezuntinus, Calchondiles, & alij; qui à Mediceis præſertim liberaliter excepti, cum docendi in Academiis munere, tum in Latinum transferendi Græca ſtudio, politioribus literis plurimùm parauere gratiæ; quia è tenebris protraxerunt : nec enim meliùs rei

pretioſæ ſuum decus redditur, quàm dum in publicum datur. Sed ad id plùs nemo contulit, quàm Ioannes Laſcaris, vt Rei literariæ nouum regnum Imperatorij ſanguinis viro niteretur. Is enim à Baiazethe II. Laurentij Medicei nomine, Bibliothecas Græciæ perſcrutandi impetratâ veniâ; omnigenæ doctrinæ libros in Italiam tranſuexit. Sic inter Victores Turcas, & Italos, fugientium hoſpites, diuiſa eſt Græcorum præda: illi maluere terrenas opes: diuinæ iſtis obtigerunt: & Gallinaceo Turca ſimilis, legit ſordes quibus paſceretur: aliis gemmas reliquit, quibus ditescerent.

## CAPVT IV.

### *Neapolitani Reges placant Pontifices, pelluntur à Francis, & reſtituuntur.*

VT ſuæ Turcis victoriæ certiores eſſent, ortum inter Chriſtianos bellum fecit. Dum enim Franci, Regni Neapolitani iura proſequuntur armis, Italiam turbant; & vel vincendo faciunt, ne inaui poſthac prouerbio Gallorum buſtum dicatur. Cæterùm iam tum ab Alfonſi exceſſu, moueri cœptum à Calliſto tertio Pontifice, qui Ferdinando Alfonſi notho intermina- 1458
tus eſt anathema, ſi Regno, quod iure Feudi, ad Eccleſiæ dominium redierat, non abſtineret. At ea ex gente Ferdinandus erat, cui ſub diademate, metus nullus erat ab-

anathemate. Sed quem parùm mouit ſacrorum ratio, arma forte continuiſſent: ni Antonio Picolomineo Pij ſecundi, qui interea Calliſtum exceperat, Nepoti data Maria notha in ſponſam, & Amalfitano tractu in dotem, Pontificis noui ſibi patrocinium comparaſſet. Sic data parte, totum retinuit: eius enim præſertim ſubſidio, cui Franciſcus Sfortia, & Scanderbergus adjunxere copias;

*Pius II. fauet Aragoniis in Calab.*

1460 Ioannem Renati filium, Regni parte procerum defectione potitum, & reportatâ ad Sarnum victoriâ perſultantem, ad Troiam Apuliæ vicit, & breui poſt, regno toto expulit, proceribus, quos tutiùs poſtea perderet, in gratiam tunc receptis. Nec diu ſecuritas. Cum Innocentius ſextus, ob negata vectigalia abdicationis in ipſum dicta ſententiâ,

*Andegauenſes victi.*

1489 Carolum octauum Franciæ Regem ad ſuum ſibi ius armis aſſerendum impelleret. At & iſtum Baptiſtinâ ipſius nepte, Ludouico Aragonicæ ſtirpis Principi collocatâ, ſibi Ferdinandus adjunxit. Adeo muneribus & Diui

1492 cedunt. Feliciter id iam bis expertus Ferdinandus, in Alexandro quoque ſexto verum nouit: vt quem ex ſpe Principatuum facta ipſius filiis, ſibi contra Carolum addixerit. Nec ſegniùs Carolus tranſmiſſis Alpibus, &

*Innoc. VI. fauet Aragon.*

1493 fuſis hoſtium tum nauticis ad Genuam, tum terreſtribus in Romaniâ copiis, eo terrore Italiam totam perculit: vt vel ſolâ famâ bellum profligauerit. Ad tantam ſeu Francorum fiduciam, ſeu Italorum ignauiam obſtupeſcens Pontifex, verè tunc non armis; ſed cretâ, quâ venientium deſignabantur

*Carolus VIII. Neapolim ſubigit.*

1494 hoſpitia, victam eſſe Italiam dixit. Quid

mirùm nec Florentinis, nec ipſi Pontifici, nec aliis fœderatis fuiſſe reſiſtendi fiduciam; cum Alfonſus ipſe Rex (Ferdinandus pater interea exceſſerat) ſeu conſcientià ſcelerum, ſeu cæſorum impiè nobilium ſpectris exagitatus, ac territus, ſeu etiam hoſtium felicitate conſternatus, tranſmiſsâ in filium Ferdinandum purpurâ, ad Cœnobij in Sicilià Aſylum piè breui poſt obiturus effugerit. Quin ipſe Ferdinandus, in Ænariam inſulam profugus, non credidit ſe fore tutum in Regni Arcibus, qui populorum animos, patris & Aui culpâ à ſe alienos nouerat. Statim iuratum paſſim in verba Caroli, & Regnum tot olim cladium arena, ſine pugnâ receptum eſt. Dicas non ad ipſum vincendum tanquam tunr alienum, ſed viſendum tanquam ſuum Regem veniſſe. At non longi æui excelſa ſunt, quæ de facili ſurgunt. Sine pugnâ parta victoria, proximæ cladis omen fuit. Interea enim Itali, velut excuſsâ ſenſim formidine, quà obſtupuerant, inter ſe fremere, Francorum ſuſpectare potentiam, eos amicos malle, quàm vicinos, miſcere per Legatos conſilia, & demum obliti ſacramenti, quo ſe Carolo tranſeunti plurimi obſtrinxerant, Venetiis aduerſus ipſum fœderari. Ad partes etiam venere Maximilianus Imperator, & Ferdinandus Hiſpanus, qui nihil moturos ſe jurejurando promiſerant: nempe Regum multis ſacramenta ſoluere in facili, ſi in tuto: vt qui fidem, & Religionem commodis metiantur; quaſi, veteri ex dicto, *iurata ipſis lingua eſſet, animus iniuratus*. Cum igitur Rex intercludendo reditu volitare va-

*Reges Neapolit. conſternati fugiunt.*

*Itali contra Carolum fœderantur.*

dique ſigna audiret, Regni præfecturam Montpenſerio, & aliis ſub ipſo Francis, indigenis excluſis, (vt & intra Regnum hoſtis eſſet) commiſit: & ſine obice obuia permenſus, Pennini quoque iuga, ad Forum nouum, non procul à Parmà ſuperat: atque hoſtibus, qui Ducibus Gonzagà Mantuano, Sanſeuerinate Neapolitano, & Contareno

*Eos Carolus ſternit* Veneto, ſeni minimùm in ſingulos eò confluxerant, memorabili clade perculſis; Aſtam non incolumis ſolum, ſed victor euaſit, non ſine Dei, quem Diuorum Dioniſij & Martini patrociniis inuocauerat, manifeſto præſidio. At non ita ex voto in Apulià res fluxere: vt Rex qui ex *Sauanarolæ* Vaticiniis, ad Italorum vindicanda ſcelera inſtrumentum Dei fuerat, ſuorum ipſe ſeu criminum, ſeu errorum, dum Florentinis iuratam fidem violat, Arces Pontificias inuadit, & excluſis indigenis, Regnũ incontinentibus, non tam gubernandum, quàm exhauriendum tribuit, pœnas daret. Nam interea Ferrandus Gonſaluus, ex Francorum cladibus *Magni* cognomen habiturus, Hiſpani Regis nomine

*Regnum Hiſpani recuperant.* Ferdinandum reduxit, eumque, quamquam primò victus ad Seminarã, ab Albinio Præfecto, Neapolim aſſenſu ciuium, quos Caroli in diſpenſandis muneribus iniquitas, & Præfectorũ libido alienauerat, reſtituit; Francis vbique ſeu æſtu & lue abreptis, ſeu acie pro-

1496 fligatis. Nec alius ipſis reportatus ab expeditione fructus, quàm morbus venereus. Eum ad eluendam ignominiam, altera natio, de alterà nominat, nec minùs vtraque rea: quippe innocentem vix angit illa peſtis; nec ab

Hiſpanis communicari potuit, nec à Francis contrahi, ſine vtriuſque gentis incontinentiæ conſcientiâ,

## CAPVT V.

### *Rex Neapolis pellitur à Francis & Hiſpanis, & poſtea Franci ab Hiſpanis.*

IN nouo expeditionis Italicæ conſilio abreptum Carolum VIII. Ludouicus duodecimus excepit; qui victoriam de Regno inciperet à Ducatu, & Mediolanum Valentinæ Auiæ nomine ſibi debitum, ſubactum, vincendæ Neapolis auſpicium faceret, Nec erat ab Alexandro Pontifice timor; à quo nihil non ſperari poterat, vel ex alieno; dum pars aliqua prædæ ipſius filio Cæſari obtingeret. Accedebat, quod in Fridericum Regem commotus erat, quaſi Regno ſe indignum probaſſet, ex quo negatâ eidem Cæſari filiâ, indignæ affinitatis labem refugerat. Difficilior in Ferdinando Hiſpano vincendus cuneus erat, quippe vel ſi patri ſuo potius Ioanni Aragonio, poſt Alfonſi fratris mortem, quàm Ferdinando notho Regnum fuiſſe debitum, aliud agendo, non indicaſſet; non videbatur tamen paſſurus cognatum Regem ſuo è ſolio impune pelli. At & hîc eâdem quâ Pontifex arte expugnatus: ſtatutum enim vt ei Calabriâ & Apuliâ cum Ducis titulo cedentibus, reliqua Francus haberet; fœderi per diploma ſuffragante Pontifice. Cum autem hic per Nemoroſium & Albi- 1501

*Inter Ponta Reges Franc. & Hiſp. de pellendo Rege Neapolis ſtatuitur.*

uum; ille per Gonſaluum rem agerent; non maior ipſis in ſubigendo regno labor, quàm in partiendo. Fridericus in Franciam abductus, lubrici regni damnum, Andegauenſis Ducatus poſſeſſione certà, ſolatus eſt; cum interea victores inter ſe atrociſſimè concurrerent. Eos prædones dicas, quos prædæ partiendæ cura inter ſe animoſius committit, quàm rapiendæ cupiditas in innocentem impulerat. Belli noui occaſio, limitaneus ager paſcuis ferax; quem vt ſuæ quiſque parti aſſerat, de toto periclitari non dubitat. Sed vera cauſa infida inter potentes ſocietas, & par in vtroque totum habendi cupiditas; cum neutri fortè nec pars jure deberetur. Arridere primò Francis viſa fortuna, Hugone Cardonio per Albinium ad Terram-nouam fuſo: & alibi non ſemel hoſtibus profligatis. Nēpe ut ex more, mutata Hiſpanis tota ſe crederet: eiſque demùm Regnum aſſereret. Gonſaluus enim Barleta, vbi amiſſis reliquis diu obſeſſus, ad vltima prope adactus fuit, edomitos per patientiam hoſtes, atque ſummotos, ad Croïam primùm per Ferrandum Andradium, tum per ſe ad Criniolam, vbi Nemoroſius prorex interiit; magnâ clade fregit; ac demùm Caietâ redditâ, quę vna ipſis ſupererat, toto Regno in perpetuum ejecit. Conatus quidem Ludouicus Rex inſtaurare bellum, per Tremollium, Gonzagam, Marchionem Saluſſianum, & alios; ſed non alio tandem euentu, niſi vt nouis ſuis cladibus priores victorias hoſti conſtabiliret. Dicas Gallum & Hiſpanum

*Frider. Rex regno pellitur.*

*Franci & Hiſp. dimicant pro Regno.*

1503

*Hiſpani praualent.*

venaticos tùm fuiſſe canes, quorum ille bonus quidem commouendæ prædæ, ac agitandæ; ſed iſte capiendæ melior, ac retinendæ.

## CAPVT VI.

## *Alex. Pontif. & Cæſaris Borgiæ ambitio, perfidia, & caſus.*

AB Apuliâ in Romaniam cladium ſe furor deflexit authore Alexandro ſexto Pontifice. Præcipua cauſa, ambitio quâ ſuo Cæſari Borgiæ ſceptra vel per cædes parauit; vnde prophanum ſe planè ſub ſacris infulis prodidit. Inde enim Columnis, Vrſiniis, & aliis proceribus, quos ægre paſſuros agitatam magnitudinem ſuſpicio erat, indictum bellum ducibus Guidone Vrbinate, Bernardino Legato, & ipſo Cæſare tum Cardinale. Sed à Carolo Vrſino ad Brachianum cæſi Pontificij, capto Vrbinate, didicerunt operoſiùs eſſe aliena capere; quàm cupere. Nec ipſa Pontificia oppida fuiſſent in tutò; occupatâ jam inter alia Oſtiâ; ni adfuiſſet auxilio Gonſaluus. Nec ex periculo ambitionem Papa poſuit, ſed fecit cautiorem: vt qui ſuis non potuerat, alienis viribus filium promoueret ad ſolium, & quatenus à Friderico Neapolitano Carlotam filiam Cæſari, cum dotali Tarento, non impetrauit; ad Ludouicum XII. Franciæ regem reſpexit, ducendi Annam Britannam Caroli VII. viduam; dimiſsâ Ioannâ, ejuſdem Caroli ſorore, factâ ipſi veniâ. In pręmium Cæſar, qui

*In Proceres bellum.*

1496

*Illi ſe tuentur.*

*Ambitio Alex. Pont. pro filio.*

fallente vaſorum ſimilitudine, medicatum vinum graſſatoribus infudit, ſanum inuitatis. Sic ſuis tandem artibus periere perfidi, & fraus nulli fraudi fuit; niſi authoribus. Nam Papa, ob ætatem veneno impar, breui poſt obiit. Nec filius, quamuis per antidota diſcuſſo veneno, plané conualuit: quippe ambitioſo conualeſcere non eſt, ſuæ dignitati ſupereſſe. Indignatum ſubinde ferunt in lecto; quod cum omnia ex patris obitu ſuperuentura, integris adhuc viribus, prouidiſſet, numquam veniſſet in mentem, fieri poſſe, vt tunc æger decumberet. Adeo confeſſione quoque propriâ cœca eſt carnis prudentia! Qui igitur in caſus quoſlibet ſtabiliſſe fortunam putabat, per interregnum pro azylo habuit Hadriani carcerem, quo vno vim exulum reuerſorum effugit. Nec ante à Iulio II. dimiſſus eſt; quàm ditionem ipſe Pontificiam dimiſiſſet. Id enim in primis noui Pontificis curis; qui, cedentibus vltro ex Francorum, qui Pontifici aderant, metu, Ballionibus, & Bentiuolis, Peruſium præterea, ac Bononiam recepit. Sic tyrannus atrox ex duobus, quæ in Symbolo optauerat, cum primum non obtigerit, alterum habuit, & *qui Cæſar eſſe non potuit, nihil demùm fuit.*

*Pontif. veneno perit.*

1503

*Cæſar conualeſcit, ſed potentia excidit.*

*Ditio Eccleſiaſtica à Iulio recuperata.*

## CAPVT VII.

### *Pontifices ſæculi decimi-quinti.*

INnocentius VII. antea Coſmatus Melioratus Sulmonenſis Rauennæ Archiepiſcopus ac Cardin. ſuffectus Bonifacio ad no-

*Innoc. VII* CCIX. *2. Nou.*

uos populi motus, quos Ladiſlaus Rex, qui ad Bonifacij mortem cum copiis accurrerat, furtim concitabat, partem regiminis permittere Gibellinis coactus eſt. Cumque nec dum quieſcerent; oleum flammæ Ladiſlao, ſpecie curandæ pacis ſuperfundente; *Quid vultis?* inquit, *quod meæ poteſtatis erat habetis* (nam aliquot ex illis Cardinales fecerat) *numquid & hanc chlamidem* (oſtentans veſtem Pontificiam) *optatis!* Cum Nepos vndecim ex ijs in-
*Veritas.* terceptos, necique traditos, é feneſtris ſuſpendi juſſiſſet, exarſit in furorem populus, ac Pontifice Viterbium elapſo, ædes Pontificias diripuit, multoſque aulicos trucidauit. Sed vbi Pontificem facinoris inſcium fuiſſe conſtitit, reuocatus
1406 eſt; Anathemate in Ladiſlaum præcipuum
*6. Nou.* motuum authorem Contorto. Obijt anno 2. d. 22.

*Greg. XII.* *Gregorius XII.* ante Angelus coriarius,
*CCX.* Venetus gente Senatoria. Statim poſt ele-
*30. Nou.* ctionem Benedicto, Cardinalibus eius ac Principibus per literas ſignificauit paratum ſe eſſe dignitatis ſuæ damno Vnioni Eccleſiæ conſulere, vt in conclaui juratum fuerat, ipſeque poſt electionem confirmauerat, ſi & Benedictus ſe abdicaret. At fuiſſe illa verba quibus luderetur orbis, & ambitio tegeretur, euentus monſtrauit. Nam adeo dignitati non ceſſit, vt poſthabitis religione ſacramenti, Cardinaliumque
*L. 10. c. 4.* monitis, nouos Cardinales creauerit. Hinc
*& 5.* Cardinalium ab ipſo diſceſſio, ac ipſo vnà cum Benedicto in Piſana Synodo abdica-

tis, Alexandri V. promotio. Non totos tres annos in dignitate fuit.

*Alexander V.* antea Petrus Philargus, ignotæ originis, ac oſtiatim mendicans, primò Minorita fuit; tum per dignitatum gradus ad Archiepiſcopatum Mediolanenſem, Cardinalatum, ac tandem Pontificatum, cum ſummâ pietatis, ac prudendentiæ laude euaſit. Poſt Menſem decimum Bononiæ, quò, vrbe à Gregorianis occupatâ, ſe receperat, obijt. Liberalitate in pauperes enituit. Vnde exhauſtis opibus, dicere ſolebat, *ſe fuiſſe diutem Epiſcopum, pauperem Cardinalem, Mendicum Papam.* 1409 *16. Iun.* *Alex. V.* *CCXI.* 1410 *3. Mai.*

Baltaſar Coſſa nobilis Neapolitanus Cardinalis authoritate qua tum Bononiæ Legatus pollebat, & commendatione Ludouici Andegauenſis, cuius partes aduerſus Ladiſlaum ſtrenuè tuebatur, eam ſibi dignitatem aſſeruit, ſub nomine *Ioannis XXIII.* contra ſapientiorum votum. Cum enim militari magis, quàm pio eſſet animo, qui Eccleſiæ potuit eſſe vtilis Legatus, ad ditionis Pontificiæ præſidium, non potuit eſſe Pontifex niſi pœnitendus. Quo euentu Concilij Conſtantienſis indictioni aquieuerit, alibi dictum eſt. Annos quinque in dignitate fuit. Poſt Concilium Conſtantienſe cuſtodiam elapſus, Florentiam ad Martinum ſponte ſe contulit, ac vt Cardinalium Decanus haberetur, & Pontifici proximus aſſideret obtinuit, quin quennio poſt ibidem obiturus. *17. Mai.* *Ioannis XXIII.* *CCXI.* *L. 10. c. 5.*

Otho Columnius, abdicatis Conſtantiæ

1417 Gregorio, Ioanne & Benedicto, à Cardi-
11. Dec. nalibus, qui Concilio intererant, & trigin-
ta quà præſulibus, quà Abbatibus, qui
Nationum quinque nomine in Conclaui
adfuerunt, Sacrorum Princeps dictus eſt,
*Martin. V.* ſub *Martini V.* nomine, quod die D.
CCXIII. Martino ſacrâ fuiſſet electus. Idque tan-
tâ omnium lætitiâ, vt non maiorem pro-
pria cuique promotio indidiſſet. Quippe
ex ſuaui virtutum omnium harmoniâ, id
apud omnes aſſequutus eſt, vt ſolus cre-
deretur par, qui Eccleſiam diuturno ſchiſ-
mate labefactatam priſtino decori reſti-
tueret. Nec obſtitit aliquandiu Benedi-
ctus, niſi vt qui etiamnum dignitatis vm-
brâ ambitioſum paſcebat animum, veram
numquam habuiſſe clariùs dignoſceretur.
Nonnullis itaque in fine Concilij ſtatutis,
quæ aduerſus Vvicleuiſtas & Huſſitas,
& pro morum emendatione, neceſſa-
ria viſa ſunt, in Italiam iter inſtituit;
ac donec quos motus Romæ Braccius
concitauerat, conquieſcerent, Florentiæ
conſedit. Ibi pulſo per Sfortiam Brac-
cio, & ad obſequium adacto accepit in
gratiam Expontificem Ioannem qui è car-
cere euaſerat, ac Ioannam Neapolis Re-
ginam coronari per legatum curauit. Po-
titus itaque ditione Pontificiâ, & Floren-
*Florentia Metropo-lis.* tinâ Eccleſiâ in Metropolitanam euectâ,
Romam tandem tanquam ſalutare ſidus
ingreſſus ingenti lætitiâ totam perfudit.
Imperatorem Byzantinum, ad vnionis ſtu-
dium accendit. Æquitate verè Pontificiâ po-
pulos regi voluit; dicere ſolitus ad præſi-

des, *Diligite iuſtitiam omnes, qui iudicatis terram.* Quod Conſtantiæ ſtatutum fuerat executus Concilium Ticini indixit, tum peſtis metu Senas tranſlatum diſſoluit, vt molitiones Alfonſi Aragonij anteuerteret, qui priuatam ſibi à Martino ob dictum Regem Siciliæ Ludouicum Andegauenſem illatam iniuriam, publico ſchiſmate vltum ibat. At victo interea cæſoque Braccio, quem ad rebellionem egerat, ſacris ipſe motus eſt, donec induſtriâ Cardinalis Fuxenſis in Hiſpaniam ad id miſſi, reuocatis quæ ſtatuerat pro Paniſcolenſi Pſeudopapâ, quem Benedicto, ſub Clementis nomine ſuffici curauerat, in gratiam receptus eſt. Ac tandem Cardinale Iuliano Cæſarino Legato dicto, qui ſuo nomine Concilio Baſileenſi præſideret; Obijt anno ſedis 13. m. 3. d. 12.

*Aragonius ſacris motus.*

1431 20. *Febr.*

*Eugenius IV.* antea Gabriel Condolmerius Venetus, familiâ populari, ſed honeſtâ, & quæ ab eius electione inter patritias allecta eſt. Statim ſpecie conquirendi theſauri, quem maximum à deceſſore collectum fuiſſe Impoſtor quidam Minorita ſuſpicionem fecerat, Columnenſes ad arma, vt ad præſidium ſibi neceſſarium egit. Nec ea ſopita diſcordia Impoſtoris ſupplicio, niſi vt eam poſtea Philippus Vicecomes Mediolani Dux, per Sforſiam & Fortebracciumatrocius inſtauraret, pulſo Româ Pontifice, & ditione Eccleſiſticâ occupatâ: cum interea non minùs ei diſcriminis à Concilio Baſileenſi incumberet, cui Sigiſmundus, quem Romæ

*Eugen. IV.* CCXIV. 11. *Martii.*

Imperiali coronà inſignierat, fauebat. Sed demùm conciliato Sfortià, Fortebraccio alicubi cœſo, Sigiſmundo mortuo, & per Cardinalem Vitelleſcum repreſſis Columnijs, ditione Pontificià recuperata, & Florentiam tranſlato Concilio, & ſe, & Eccleſiam tandem, ſi non in tranquillo
*L. 10. c. 20.* prorſus, certè ſupra diſcrimen poſuit. Quæ alibi dicta ſunt. Cum inſuper Eccleſiam Græcam, atque adeo Armenam, & Orien-
*Ibid. c. 24* tales alias Romanæ aſſenſas, & obſequium
1447 vltro profeſſas nouerit. Obijt Romæ anno
*23. Febr.* regiminis 16. completo 8. diebus minus.

*Nicol. V* *Nicolaus V.* ante Thomas Sarzana;
CCXV. patre medico, reluctans omnium aſſenſu
*1. Mart.* Eugenio ſuffectus eſt, vt qui Bononienſis præſul, vnà cum Æneà Syluio, qui & Pontifex poſtea fuit, adducendæ ad Eugenij obſequium Germaniæ feliciter laborauerat, & Cardinalatum in premium obtinuerat, Eccleſiam ipſe per ſe regeret, & voluntario omnium obſequio; Felice, ipſo Antipapà non excluſo, pleniſſimæ tranquillitati reſtitueret; Indicto Iubilæo. An. 1450. tanta vndique multitudo Romam venit, vt aliæ procul vrbes viderentur ci-
*Iubilæum* uibus exhauſtæ. D. Bernardinum Senenſem ſanctorum faſtis adſcripſit. Fridericum Imperatorem vnà cum Eleonorà Luſitanà connubiali nexu coniunxit, & Imperiali coronà inſigniuit. Stephanum Porcarium coniurationis reum, vnà cum
*Coronat. Imperat.* conſciis pœnà condignà plecti iuſſit. Græcos ad ſchiſma, quod Florentiæ ejurauerant relapſos ſeueré commonuit: eorum

Imperium triennio poſt, ni reſipiſcerent, à Mahometanis exciſũ iri, vaticinatus. Ad expugnati igitur, iuxta præſagium, Byzantij nuntium contabeſcens, Obijt an. Pontificatus 8. d. 19. *Byzantij excidium prædicit.* 1455 24 Mart.

Alfonſus Borgia Valentiæ in Hiſpaniâ præſul ita ſe Eugenio Papæ, Regis Alfonſi apud ipſum Nuncius, probauit, vt ab ipſo ſtatim dictus fuiſſet Cardinalis, niſi id, inconſulto Rege, cuius optata non impetrarat, honeſtum non fore putaſſet. Id honoris poſtea adeptus à Nicolao, Pontificem etiam ſe futurum ex Vincentij Ferrerij vaticinio perſuaſum ſemper habuit, tametſi iam octogenarius. Nec fefellit augurium: cum enim in comitiis inclinaretur in Beſſarionem, mutatis repentè animis collata in eum ſuffragia ſunt, dicique voluit *Calliſtus III.* Statim ad bellum Turcicum animum intendit, ſollicitatis ad id Principibus, etiam Perſis; collectis per concionatores pecuniis. Triremibus aduerſus eos miſſis, & indictis vbique precibus, tum aliis, tùm quæ adhuc in meridie ad campanæ ſignum dici ſolent. Cum Alfonſo Rege non benè conſenſit, quòd beneficia Indignis, vt rogabatur, non daret, & regnum Neapolitanum vel Eccleſiæ reddi, vel Nepoti dari mallet, quàm Ferdinando Alfonſi Notho; etſi eum ad id idoneum Eugenius & Nicolaus dixiſſent. Vincentium Ferrerium in Vaticinij præmium Diuis acceſuit. Obijt anno 3. m. 4. regiminis. 20. Apr. *Calliſt. I.* CCXVI *Zelus.* 1458 6. Aug.

*Pius II.* antea Æneas Syluius Senenſis, gente Picolomineâ, eloquentiâ, ſcriptis, & *Pius II.* CCXVII.

19. Aug. legationibus illuſtris Calliſto ſuffectus eſt.
Somnium ambiguũ. Eum mater grauida ſomnians mitratum, infortunium ex eo metuebat, quod dignitatis ſupremæ præſagium fuit. Statim indicto Mantuæ principum conuentu, bello Turcico ſe totum dedit, & ne pium adeo, ac neceſſarium turbaretur conſilium, dicto Siciliæ Rege Ferdinando Aragonio, vt pax vbiuis inter Chriſtianos ſtatueretur enixus eſt. In Francos, quod Ferdinandum, qui & Notham in ſponſam, & Almafitanum Principatum in dotem Nepoti dederat,
Francis iniquior. laceſſerent, parùm æquus fuit, à quibus tamen euicerat, vt pragmatica Sanctio abrogaretur. Beneuentanum Præſulem, quòd ſe in Gallos proniorem prodidiſſet, dignitate ſua exuit. Nec pepercit Interamnenſi Epiſcopo, quod Legatus in Angliam, Rebellium partes contra Regem
Sena Metropolis. fouiſſet. Catharinam Senenſem inter Diuas accenſuit. Senis Metropolitam Conſtituit. Sigiſmundum Auſtriacum Cardinalis Cuſani violati reum ſacris mouit. Fratres Malateſtas, ob ſacrilegia, diris deuotos, ditione exuit, ac veniam rogantibus vix precarium vnius Arimini dominium reliquit. In eos qui à Papæ decreto ad Concilium prouocarent, Anathema dixit. In
1464 procinctu tandem belli Turcici Anconæ
14. Aug. obijt anno ſexto completo, diebus quinque demptis.

Paulus II. CCXVIII. 28. Aouſt. *Paulus II.* antea Petrus Bàrbus, nobilis Venetus Eugenij IV. ex ſorore nepos, Pio ſuffectus. Non tantum flocci leges habuit, quos in Conclaui, ante & poſt electionem

ctionem ſeruaturum ſe iurauerat, ad fauſtum Eccleſiæ regimen; ſed vt contrariæ ſubſcriberentur à Cardinalibus extorſit, nemine præ metu refragante, excepto Cardinale Caruaial Hiſpano, qui Pontificis & amorem & odium infra officium conſtanter habuit. Deceſſores ſplendore anteceſſit, vtinam & pietate. Solis Cardinalibus permiſſo bireto coccineo, ſingulis quantum ſatis erat ad equorum inſtramenta purpurei panni dedit. Volebat & eos vti galero coccineo ſerico, at à prudentioribus, qui præciſum magis luxum voluiſſent, ab eo conſilio abductus eſt. In D. Marci Ædes, quas ſplendidè conſtruxerat, conquiſitas vndequaque ſtatuas inuexit, ornatum ante pietatem habens. Regem Bohemiæ hæreſeos reum, regno abdicatum dixit. Cum Friderico Imperatore, qui Romam aduenerat, de bello Turcico, non multo fructu collocutus eſt; nec felicius vt Ratisbonæ eâ de causâ conuentus haberetur, obtinuit. Borſium Marchionem Ferrariæ, Romæ ſplendidè exceptum, Ducem dixit. Iubilæum ad annum 25. reduxit. Ad antiqua Bacchanalium ludicra, noua ipſe adhibuit. At vnde populo gratificari voluit; piorum, quibus magis placendum erat, cenſuram incurrit. Obijt ex apoplexjâ nocturnâ, nemine conſcio, cum eo die Conſiſtorium lætus habuiſſet, ac hilariter cænaſſet. Sedit annos 6. m. 10. d. 26.

*Iuramenti contemptus.*

*Cardinalis generoſitas.*

*Ferrariæ Dux.*

1471 25. *Iul.*

*Sixtus IV.* antea Franciſcus Ruuereus Minorita, & Cardinalis, cum facturum *Sixt. IV.* CCXIX.

*9. Aug.* ſe promiſiſſet Vrſinio Cardinali, quod Beſſarion negauerat, ſuffectus Paulo eſt. Ad bellum Turcicum Principes hortatus eſt, ſed nullo ſucceſſu; Nec feliciùs ex Pontificiis, Venetis & Neapolitanis triremibus claſſis conflata in Egæum nauigauit Cardinale Caraffa Duce. Duos nepotes Ruuereum & Riarium adhuc iuuenes Cardinales dixit, non ſine collegarum murmure. Adultâ poſteà potentiâ bellum in Regulos Eccleſiaſticæ ditionis indicit, ſpecie vt eam Eccleſiæ aſſereret, re vt Hieronymum Riarium promoueret. Cum verò Medicei obſiſterent, vt vi & fraude tollerentur aſſenſus eſt, euentu alibi memorato. Ordinem Minimorum confirmauit; Vt conceptæ Virginis feſtum celebraretur inſtituit, vetuitque ſub anathemate, ne vllo modo damnarentur, qui eam ſine labe conceptam non dicerent. D. Bonauenturam Diuis accenſuit. Cum alia ad Vrbis ornamentum præſtitit, tum Vaticanam bibliothecam magnis ſumptibus amplificauit. Ne iunior Regis Aragonij Nepos Cæſaraugustanæ Eccleſiæ præficeretur prohibuit. Danorum Regem Religionis causâ in vrbem venientem ſplendidè excepit. Venetis aduerſus Ferdinandum Regem, quem belli Florentini adiutorem habuerat, ſe adiunxit. In Venetos poſtea pro Duce Ferrariæ tum armis, tum diris egit. Cum verò ad tot impenſas, exhauſto variis artibus populo, perſonarent vbique murmura, nec ad vota res fluerent; in morbum incidit, quo 13. completo regiminis anno, exceſſit.

*Margin notes:* *L. 11. c. 17* — *Ordo Minimorum.* — *Bibliotheca Vaticana.* — 1484 — *13. Aug.*

*Innocentius VIII.* ante Ioan. Baptiſta Cibo, Genuenſis, vbi Sixto ſuffectus eſt, nihil non egit quo motus Italicos & Europæos componeret, ſiue per monita ad Oratores Principum, qui tum in Curiâ erant; ſiue per Legatos ad ipſos Principes. Venetos à Sixto interdictos ſacris reſtituit. Ex priuatâ Vrſiniorum, & Columniorum diſcordia, publicum, inter ipſum, & Ferdinandum Siculum, bellum exarſit, pro ipſo ſtantibus Columniis, pro Rege Vrſiniis; Nec pax coaluit, niſi vt negante poſtea Rege cenſum, bellum recrudeſceret, & Rege ſacris moto, Regnum Francis adiudicaretur; donec connubium inter Regis patruelem & Papæ Neptem initum, pacem reduxiſſet. Leopoldum Auſtriacum Canoni Sanctorum adſcripſit. Herculem Ferrariæ Ducem ſplendidè excepit. Filium Franciſcum cum Laurentij Medicei filiâ copulauit, datis in feudum aliquot oppidis, ex ſuffragio Cardinalium. Gemem Baiazethi Fratrem profugum excepit, nec illum tyranno reddidit, etſi in præmium regnum Hieroſolymitanum promitteret. Reges Caſtellæ, quos ad ſubigendos prorſus Mauros pecuniis iuuerat, vt *Catholici* poſthac dicerentur, indulſit. Tam alto aliquando ſomno oppreſſus fuit, vt ad 20. horas pro mortuo habitus ſit, ac iam cogitaretur de exequiis, cum reſpiratione viuum ſe prodidit, pacatâ demum prorſus Italiâ obijt, an. 7. m. 10. d. 27.

*Innocent. VIII. CCXX. 29. Aug.*

*Bellum Siculum.*

*Filium promouet.*

*Reges Hiſpaniæ Catholici dicti. 1492. 26. Iul.*

*Alexander VI.* antea Rodericus Borgia, *Alex. VI.*

CCXXI. Calliſti III. ex ſorore Nepos ſanctiſſimam
11. Aug. purpuram dedecorauit, cum eam poſt Innocentium induit. Vt enim dignitate ſupra omnes fuit; ita & vitiis: vt de ipſo cum Iubilæum indixiſſet, non malè Actius ſcripſerit. *Pollicitus cælum Romanus & Aſtra ſacerdos, Per ſcelera & cædes, ad*
L. 11. c. 5. *ſtyga pandit iter.* Quid cum Carolo Fran-
& 6. corum Rege ad Neapolitanam expeditionem proficiſcenti; quid pro filio Cæſare
*Filios promouet.* egerit, alibi dictum eſt. Filiis, quos plures ex Vinociâ pellice habuerat, prouehendis, quàm Chriſtianis Legibus ſanciendis intentior fuit. Petro Ludouico, cui Cardinalis Gandiæ Ducatum emerat, mortuo, ſubſtituit Ioannem, qui à Fratre Cæſare apud matrem poſt cœnam cæſus eſt, relictâ ſobole, à quâ Franciſcus Borgia Ieſuita ſanctiſſimus ortum duxit. Quartus eius filius Gotefridus ab Alfonſo Siciliæ Rege aſcitus in generum eſt, datâ ipſi in ſponſam Sanctâ nothâ, & in dotem Squillano principatu. Hieronymum Sauanarolam celebrem Dominicanum; quod
*Sauanarola.* liberiùs eius vitia carperet, comburi Florentiæ vt Hæreticum curauit. Americam recens detectam Caſtellæ Regibus attribuit. Ferali obitu vitam nihil humanio-
1503
18. Aug. rem clauſit, vndecimo Pontificatus anno completo.

## CAPVT VIII.

### *Bellum ſociale prophano-ſacrum in Venetos.*

VT dignum ſe Alexandri loco Iulius proderet ; ſtatim ab inito Pontificatu belligerare, vincere, triumphare, ac planè Iulium agere, ditione Pontificiâ à Regulorum tyrannide vindicatâ. At in Venetis remora. Illi enim aliena reddere tam inſolentes, quàm inuadere faciles. Inde non Pontificis tantùm, ſed etiam Maximiliani Imperatoris, Ludouici Franci, Ferdinandi Hiſpani, & aliorum, penes quos erat Italia, primò fremitus; tum inter ipſos initum Cameraci Fœdus : ſimul ſecuta Francorum victoria, ad Abduam prope Laudam : per quam cæſis decem millibus Venetorum, ductore altero Liuiano capto, altero Pitiliano (ambo erant ex Vrſiniis) fugato, ſua cuique repetere datum eſt. Sic Franco reddita Crema, Cremona, Bergomum & Brixia, quæ Mediolanenſis Ducatus fuerant. Pontifici reſtituta Fauentia, Ariminum, Rauenna, Ceruia : Hiſpano Tranum, Brunduſium, Hydrus, Mola, Polignanum : Maximiliano, Vincentia, Verona, Patauium; & aliis ſimul ſua. Sic Franci labor & victoria, fructus omnium fuit: & ſuperba nuper Reſp. ad ſuas paludes acta, Æſopicam Cornicem expreſſit : & quæ reddere aliena noluerat, nec ſua retinuit. Quippe potentiori & ſua objicit, qui juſta negat. Quamquam ſua ipſi clades

[Margin notes: 1503 — 1506 — *Fœdus contra Venetos.* — *Sternuntur à Francis* — 1506 — *Exuuntur terreno Imperio.*]

glorioſior fortè fuit, quàm fuiſſet victoriæ: quando pia eſſe maluit, quàm politica, vel non petito, vel non admiſſo Bajazethis auxilio. Inde factum, vt quam Senatores cladem putabant, remedium ſuperbiæ fuerit, & qui reparatorem fortunæ impium noluerant, Deum, vel per hominum impietatem habuerint. Nam ab exorato Pontifice, cui Franci jam ſuſpecti erant, ſacris reſtituti, perdita recuperare cœperunt; quos paulò ante Maximilianus nec annuò promiſſo tributo, recipere in gratiam voluerat. Magna laus Pontificis, ſi ex humanitate, primo digna Iulio; cui plus gloriæ venit ex & erectis Pompeij ſtatuis, quàm ex euerſis.

*Erigun-tur.*

## CAPVT IX.

### *Bellum ſociale prophano-ſacrum in Francos*

NOn ſatis Iulio fuit erexiſſe jacentes, niſi ſollicitatis in Francos Chriſtianis Principibus, per quos jacuerant opprimeret, vel majeſtatis Eccleſiæ damno. Inde ſub ſpe auxilij indultum Ferdinando Aragonio, vt Neapolitani Regni tributum, ad Equum Candidum, tertio quoque annò præſentandum, redigeretur. Odij tam atrocis prætextus, fuit Alfonſus Ferrariæ Dux eius arbitrio non permiſſus. Hinc in Alfonſum, & in eos qui ei eſſent auxilio diræ. Nec dum tamen Rex oblitus reuerentiæ, per ſui regni Præſules Aureliis primùm, tum Turonibus coactos, ac licitum vim, vel

*Iulius Pontifex remittit tributum Regib. Neap.*

1510

Pontificiam, vi repellere annuentes, admoneri Pontificem curat; ne ſe gratuitis iniuriis ad vltionem neceſſariam accendat. Cum illa non procederent, itum ad acriora; ac edicto cautum, ne vllam ob cauſam è Regno Romam pecuniæ deferrentur, quæ poſſent in Regni damnum verti. Tum eius ex nutu, per Cardinales aliquot Piſis indicta Synodus, vt mimico illo Ludo (ſic Synodum vocabat) à tragœdiis Pontifex abduceretur. At aliquid iniuriæ pati præſtiterat, quàm illicitis intercedere per illicita. Quid profectum inde? niſi vt non mala alioqui cauſa corrumperetur iniuſto patrocinio. Credi enim poſtea potuit, non abs re in illum exarſiſſe Pontificem, qui Pontificia vſurpauerat. Quamquam videri poterat Rex non iniuria Pontificem agere, quando Pontifex agebat Imperatorem; qui tantum non loricatus, & galeatus obequitans caſtra, ſe magis Iulium, quàm Petrum meminerat. At efficaciùs repreſſus eſt, occupatâ per Triuultium Bononiâ: & per Fuxium ſtrenuè propugnatâ; reſtitutis Bentiuolis, & Cardinale Medicæo, Hugoneque Cardonio ad receptum adactis. Quæ ibi victoria cœperat, & magnâ Venetorum ſtrage, receptâ Breſciâ inualuerat, faſtigium habebat ad Rauennam, profligatis à Fuxio Pontificiis, ni eum tandem vincendi intemperantia corrupiſſet. Dum enim Hiſpanas aliquot cohortes, imperturbatis recedentes ordinibus incautiùs victor vrget, occiſus eſt. Et quamquam direptâ fœdè ab irato milite Rauennâ, eius manibus ſit parentatum, ſuo

*Regis Ludou. in Pont. cautio.*

*Pontificia vſurpat.*

*Cadit Pontificios 1511*

*Iterum*

tamen caſu rei Gallicæ ruinam in Italiâ traxit. Nam ſtatim Mediolano reſtitutus per Heluetios Maximilianus Sfortia, & Iulio datum Concilio Lateranenſi, quod
1512 ante indixerat, incumbere: & Ludouicum Regem ſacris motum, regnandi jure exutum dicere, & Piſanam Synodum proſcribere. Si tamen Piſana, quam Mediolanum, Taurinum, & Lugdunum tandem tranſlatam, ambulatoriam potius dixeris. Non tamen ei exſcindendæ par Iulius. Quippe occaſionem malo dare faciliùs, quàm reme-
1513 dium. Id honoris Leoni decimo reſeruatum Deus voluit: Hic enim receptis in gratiam aduerſariis, paternâ lenitate compoſuit, quę præcipiti ſeueritate deceſſor turbauerat. At qui diris deuotos Eccleſiæ reddidit, Ioanni Alberto ſuam Cantabriam, quam Ferdinandus Aragonius quaſi datam, vel dandam à Iulio inuaſerat, reddere non potuit. Viſcatas enim manus Reges habent: non facilè dimittunt, quæ ſemel ceperint, ſi ſint commodo; vt qui jus ſępe vtilitate metiantur. Nec minùs Ludouico Regi, à Maximiliano Imp. Henrico VIII. Anglo, & aliis fœderatis periculum imminebat, ſi tam pronum ipſis fuiſſet Galliam capere, quàm Iulio dare. Sed quatenus regnum transferre non potuit: vt titulus ſaltem *Chriſtianiſsimi* regno potior, transferretur ad Anglos, edixit.

*Italiâ Franci pelluntur.*

*Nauarra occupatur ab Hiſp.*

*Iulij Pont. iniquitas in Francos.*

## CAPVT X.

### *Mauri in Hiſpaniâ prorſus domiti captâ Granatâ*

FAſtidio ſint Italica ſi diutius in proſcenio; Ab illis igitur progrediamur ad Hiſpanica, & lætioribus triſtia mutemus: quantò enim ſuauiùs audire Mahometanos illic ſæpe cæſos, & ſemel tandem in perpetuum victos, quàm inter ſe concurrentes Catholicos, cladibus acceptis fractos: illatis reos: vtriſque miſeros. Porrò libertatis Hiſpanicæ reſtitutio, octo ſæculorum opus fuit; oppreſſio duorum annorum. Adeò faciliùs malum ſubit, quàm abit. Priores Reges, per octo ſæculorum victorias, magis proluſiſſe ad triumphum dicas, quàm triumphaſſe. Ferdinando Aragonio id decoris ante alios aſſertum. *Granata Regnum.* Hic antiquarum tandem vindex cladium ſubactâ Granatâ; quò fractas Maurorum vires Alhamar duobus ante, & ultra ſæculis collegerat, gentis impiæ verè victor, 1239 ſuæ reſtaurator, & Chriſtianus Ioſue jure audiit. Non duraturum Granatæ Regnum etiam tum conſtitit, quando incepit. Murcienſes enim Alhamaris excuſſo jugo, Hudielem ſibi præfecere: nempe vt qui concordes ſtare poterant, diſcordes conciderent, *Mauri diſsident.* & dum alter ſibi timet ab altero, vterque promiſſo, Ferdinando Caſtellano, in annos ſingulos tributo, qui & Giennium ab octo 1243. menſibus obſeſſum tandem domuit, ſecuritatem emeret. Inde ipſis diu incolumitas: *Tributarÿ.*

nam debiliori erga potentiorem reuerentia, & obſequium pro ſalute eſt. Expertus id Alboacenus, qui potentiam amiſit, ex quo nulli obnoxiam voluit. Ferdinando Arago-

*Belli Granatenſis occaſio.* nio, cui per Iſabellam conjugem Caſtella acceſſerat, negare tributum auſus, & quod animoſo Regi concoctu ægriùs, proteruiam exaggerare conuitio: quando *ſuis in officinis, non pecunias, ſed arma cudi,*

1478 Legatis reſpondit, procellam excitauit, qua demùm obrueretur. Ex eo velitatum aliquandiu, & per interceptas vtrinque vrbes, bello decretorio proluſum. Durauit illud ad decennium; eo euentu, vt quamuis alternauerit aliquando victoria; eam tamen Chriſtiani, expugnatis quotannis aliquot vrbibus, hoſtibus non raro cæſis; Boabdile primùm, deinde Mahumete Alboaceni filiis, acie captis, ſibi tandem

1492 *Granata capitur.* aſſeruerint. Granatam octimeſtri obſidione fatigatam dedidit Boabdiles: qui à tumultuantibus inter ſe ciuibus vocatus ad ſolium videri potuit; vt ex altiori rueret. Præcipuum conſummatæ victoriæ decus Iſabellæ Reginæ aſſertum. Nec ipſe Rex inuidit, qui ſponſam ſibi verè fuiſſe, ad opus hoc arduum, adjutorium expertus eſt. Quip-

*Diligentia Reginæ.* pe noua Zenobia aſſidua operi, comportare ſtipendia, curare machinas, annonæ proſpicere, ſupplere ordines, ſtimulare Duces, Maritum accendere, militibus integris animos facere per præmia, debilibus etiam per ſolatia, cum ſuo in Caſtris nomine, conſtructis Noſocomiis, tum propriis alloquiis. Denique ipſa ſola pro multis, pro

omnibus eſſe. Non minus Eccleſiæ, quàm ſibi Reges viciſſe agnouere Pontifices Sixtus IV. Innocentius VIII. & poſtea Alexander VI. quatenus & impenſæ partem *Pontif.* per Eccleſiarum decimas, & ad præmium *participes* victoriæ contulerunt, per elogium, quod *victoriæ.* ipſo Regno ſubacto nobilius eſt. Indultum enim vt Reges Hiſpaniæ, cognomen *Ca-* *Rex Hiſp.* *tholici*, Recaredo primùm, deinde Alfon- *dictus Ca-* ſo I. à Præſulibus collatum; titulis adde- *tholicus.* rent, & ad poſteros tranſmitterent.

## CAPVT XI.

## *Marrhani ex Hiſpaniâ ob impietatem & rebellionem eiecti.*

PVdebat Mauros noui obſequij, qui tandiu imperio aſſueuerant: & quorum vim integri non ſuſtinuerant, fracti attentarunt. Adeo nec in vltimis ſpem miſeri ponunt! Rebellarunt igitur, & inſeſſis Bœti- 1500 cæ montibus, Anguillarium quoque Regis *Mauri in* præfectum profligarunt. Sed demùm victi, *Hiſpaniâ* & ſolum vertere aut ritus iuſſi, qualem- *rebellant.* cumque pacem victis meliorem eſſe, quàm bellum didicerunt. At quem vnquam fidelem ex animo vis fecit? Reperti ſunt qui per ſummam impietatem domi circumciſi, maiori ſacrilegio baptizati in Eccleſiâ ſunt. In fronte Chriſtiani, in corde Mahometani. Prophanam cultuum mixturam vt exſcinderet Philippus II. ad Petri Guerrerij Archiepiſcopi Granatenſis monita edixit, vt 1567. illi Neophyti iiſdem vterentur lingua, & ritibus, quibus Hiſpani, qui eodem viuebant

*Iubentur viuere Hiſpano ritu.* in Regno. Inde verò noua rebellio, promotuſque in Regem à perfidis Aben-Humeian; eique poſtea intercepto, & ſtrangulato ſuffectus Abdala-Abenhabo. Mirùm victæ ſæpius fractæque genti ſuperfuiſſe, qui vrbes inuaderent, diriperentque, & exercitus Re-
1571 gios, Monteeano, & Velaſco ducibus, profligarent! Quippe ſupra vires non rarò *Rebellant iterum.* præſtant, quos agit, armatque deſperatio; Sed à Ioanne Auſtriaco demùm repreſſi, no- *Subiguntur.* uo iugo ſubdidere colla, quod poſthac iactarent, non excuterent. Nihil inquietis profuit cognatas Affricæ gentes ad auxilium ſollicitaſſe, nihil Henrici quarti Galliæ, & Iacobi quinti Britanniæ Regum, imploraſſe ſubſidium; niſi vt quas aliis clades parauerant, ipſi ferrent, & à Philippo tertio Rege
1610 migrare aliò iuberentur, qui amare Hiſpaniam vt patriam numquam voluerant. Exceſſere ad nongenta capitum millia, non me- *Et Hiſpania pelluntur.* dico regni damno, cuius poſthac agris defuere qui colerent, & vrbibus qui incolerent. Quamquam damnum non eſt purulenti miſſione ſanguinis ſanitatem aſſerere; præſtatque leue malum pati ſemel, quàm ſemper graue periculum.

## CAPVT XII.

## *Mauri in Affricâ à Caſtellanis vario ſucceſſu tentati.*

ELuendo in totum diuturnæ ſeruitutis opprobrio non ſufficere crediderunt Hiſpani, eliminaſſe impios, niſi eos inſequerentur trans maria; in ſuâ ipſorum vltu-

ri Affricâ, quas ipſi clades in Hiſpaniâ intulerant. Inde Metilla in Tremezano regno à Duce Medinæ Sidoniæ: & Oranum à Cardinale Ximenio, Ferdinandi auſpiciis expugnata. Quàm verum famâ ſæpe bella confici! & in quam ipſa partem, in eam inclinare 1509
victoriam! vnum enim Oranum feliciter ſubactum vicinos Regulos perculit, & ad annuum ſtipendium adegit. Reſiliit tamen Ænobarbus, cum occupato per fraudem Algerio, Tunetum etiam, ſpecie Raſcetis contra fratrem Muleaſſem iuuandi, inuaſit. Nimirum vt Carolus Imperator Europæis iam clarus victoriis; Affricanis illuſtrius inclareſceret. Ipſe enim tranſmiſſo cum claſſe mari, Barbaros ad Tunetum fudit; Goletam expugnauit, ipſumque Barbaroſſam Tuneto, quò euaſerat, excuſſit. Quamquam non vnius Cæſaris fuit illa palma: eius in partem venerunt captiui Chriſtiani ſex mille; qui ad Simeonis Melitenſium Equitum Commendatoris Taurinenſis monita, ex arce, an ergaſtulo aſylum, ex vinculis inſtrumenta libertatis fecerant; cæſis cuſtodibus & tyranno excluſo. Inde victor Cæſar illas apud gentes fidei rurſum propagandæ meditari conſilia; quæ ſuo tempore perficeret. At Deo viſum aliter. Cui enim tribuas, non ductam aliquanto poſt Algerum claſſem validiſſimam, niſi vt mergeretur imbrium, ventorum, & fluctuum violentiâ? Nempe vt Cæſar ad caſum, qui centum 1541
& quadraginta naues cum ſarcinis merſit, infractus non minori tum de procellâ, quàm ante de Barbaris triumpho, innoteſceret.

*Oranum captum ab Hiſp.*

*Carolus V. in Affrica.* 1535

*Captiuorum audacia.*

Quam enim palmam humanitati compares; *Clades à procella.* qua projici iuſſit in vndas equos, vt reportandis militibus naues ſufficerent; identidem ingeminans, ſatiùs eſſe vnum Chriſtianum ſaluum reduci, quàm mille Barbaros trucidaſſe? Acceptam à caſu cladem virtus reparauerat; quando Ioannes Vega Siciliæ prorex, & Andreas Auria, quibus Pontificis & Melitenſium naues aderant; acto in fugam Dragute pyratarum ſceleſtiſſimo, Monaſterium, & Aphrodiſum expugnarunt;
1550 & Alcandetus Comes Oranum ſtrenuiſſimè propugnauit; niſi ad Gerbim inſulam, regnante iam in Hiſpaniis Philippo, noua clades victoriam corrupiſſet. Cum enim validiſſima ex Hiſpanis, Pontificiis, & Meli-
1560 tenſium nauibus claſſis, ad Tripolim deſtinata; ducibus Ioanne Cerdâ, & Auriâ, cunctatur in Inſulâ; eique nuper domitæ potius *Mixta Cladibus palma.* ex arce lentè conſtructâ, quàm ex victa Tripoli præſidium quærit; nec illam ſeruauit, nec iſtam domuit, & ſe ad cladem vinculáque Piali & Muſtaphæ Baſſis ignauè prodidit. Suum tamen Hiſpanis decus redierat ex propugnato iterum Orano; expugnato feliciter, ſtrenuèque ſeruato Penolio, & ex claſſe barbarâ turpiter diſſipatâ, triginta nauibus, à Ioanne Cordubenſi occupatis; ni Tuneti poſtea, ſine vltionis ſolatio, clades obtigiſſet. Quàm verum, non tàm Arcibus ho-
1570 mines; quàm hominibus Arces defendi? *Goleta amittitur.* Quam enim vrbem Ioannis Auſtriaci virtus à Turcis recuperauerat, Biſertaque inſuper ſubactâ muniuerat, Portocarreræ ignauia perdidit. Goleta enim ignauè cedens ad Si-

nanis Baſſæ oppugnationem, aditum ad alia, quæ Tunetano in Regno Chriſtianis parebant, Mahometanis aperuit. 1574

## CAPVT XIII.

## *Caſtellanorum in Americâ Boreali progreſſus.*

NE Deo eſſet in damnis Turcarum, Lutheranorum, & Gregalium, antiquo in Orbe progreſſus; ex noui lucro prouiſum eſt. Ille enim vltra Atlanticum, ob amplitudinem verè *Nouus Orbis*, & ab altero inuentore America, ſub Ferdinandi & Iſabellæ Regum Hiſpaniæ auſpiciis, Chriſtophori Columbi diligentiâ innotuit, ſub exitum belli Granatenſis: quaſi piæ in Mauros militiæ ſtipendium eſſent, auro fœta Regna: & aſſerta Deo vna in Europâ prouincia, totum Orbem haberet in præmium; & quatenus antiquis in Orientem expeditionibus Hiſpani non innotuerant, nouis in Occidentem inclareſcerent. Ne iniuſta diceretur illa inuaſio, terras illas Caſtellanis principibus Dei Vicarius Alexander ſextus attribuit, 1493 dum eas illi Deo: quippe nihil Reges, titulo Iuſtiori ſuis legibus addicere videntur, quàm quod ſimul diuinis. Columbus autem quaſi non homo; ſed volucris re, vt nomine; Inſulas primùm varias aperuit, eaſque non minus Chriſto initiauit, per Cruces erectas; quàm Regi addixit, per arces conditas. Ab Inſulis itum ad Continentem: & in eo, breui tempore, tot regnorum ſubactum, vt in eorum comparatione, nullius nominis fuerint

*America nouus Orbis.*

*Columbus in America.*

veterum omnium victoriæ. Admirabiles illi ſucceſſus Pizarris ante alios fratribus, & Ferdinando Corteſio ſunt attributi. Illis obtigerunt Auſtralia, ſub nomine Peruuij. Hic, de quo iam; cis Tropicum poſita, ſub nouæ Hiſpaniæ nomine ſubegit. In iſto dubites virtus, an induſtria eminuerint; quia vtraque ſupra ſolitum fuit. Quid illa virtute admirabiliùs, quà mille tantùm Hiſpanis ſuccinctus, totidem fermè prouincias, Hiſpanas facere ſe poſſe credidit, & quod illuſtrius, fecit? Quid illà induſtriâ felicius, quâ indigenarum alios ſibi vltrò addixit, vt per illos, vi alios ſubigeret? Conſtat enim, quo tempore debellata Mexica eſt, ducenta minimùm popularium millia fuiſſe in caſtris; quaſi Hiſpanorum, qui pauci erant, ſanguini parcitum vellent; per ſuum largè fuſum, & mollius ſibi fore crederent ab exteris iugum, cui ipſi indigenas ſubdidiſſent. Illa tùm exciſa ciuitas, cum integra capi non poſſet, & Rex Quahutimoc addictus vinculis, & poſteà, quod victorum cæde libertatem tentaſſet, occiſus. Eius patruus Motecſuma Hiſpanis intra mœnia admiſſis, ſatius putauerat amicos hoſpitio facere; quam hoſtes excluſione. Inde tandem orta in vrbe ſeditio, quam dum Rex, an Regis vmbra & ſuorum hoſpitum verè mancipium pacare ſatagit, ictu lapidis à ſuis cæſus eſt: ſimul eiecti Hiſpani ſuorum quadringentis amiſſis. Nimirùm, vt quæ alienæ ignauiæ attribuebatur, vrbis occupatio, ipſorum poſtea virtutis opus eſſet: & majori gloriâ vinceretur, quando & vindicabatur iniuria. Vna illa

*Fernandes Corteſius.*

1420

*Mexicam ſubigit.*

illa victoria plurium auſpicium, & ſeminarium fuit, & poſthac non armis ſubactæ gentes, ſed famâ; nec venerunt ad obſequium ſola oppida, ſed Regna ampliſſima, & quod optatius auaris, opulentiſſima.

## CAPVT XIV.

## *Caſtellanorum in America Auſtrali progreſſus.*

NEc minus interea prodigioſi Pizarrorum fratrum, Almagrij & aliorum, verſus Auſtralia progreſſus: vbi non oppidatim ſolùm, ſed prope dixerim prouinciatim, atque adeo regnatim victum eſt. In Atabalipa Rege venit ad cumulum victoria. Piget enim alios, quaſi minorum gentium Dominos, victos eſſe memorari; quando ille iugum ſubiit, qui multis Regibus iugum induerat. In eo quantum animi? *Ero*, inquit ad Ferdinandum Soto, Pizarri Legatum, *tui Domini amicus, ſi ſtatim redditis quæ abſtulit, meis è terris abſceſſerit.* Ad Vincentium verò Vualuaredum, ex Ordine Dominicano Fidei præconem, adhortantem vt admiſsâ in Chriſtum Fide, vectigalem ſe Imperatoris agnoſceret. *Cuiquam ego*, inquit, *ſim tributarius; qui nullum mortalium ſupra me habeo? An ante Solem & Lunam, qui immortales ſunt, mihi Chriſtus foret, quem tu fateris fuiſſe cæſum?* inde quaſi Claſſicum inſonante Vincentio, non pugnæ, ſed Barbarorum cædes, & Regis denuum captiuitas, atque adeò cædes. Iuſtum id quidem, ſi rem æſtimes; ſed impium, ſi modum;

*à 1525 ad 1533.*

*Atabalipa.*

*Capitur & necatur.* & authores: nam etſi ob excuſſum ſolio, & vitâ fratrem Guaſcarum, non mitiùs haberi meruerat; non tamen ſine impietate ab iis occidi potuit, qui eum vitam & libertatem ingenti pretio mercatum in fidem acceperant. Exinde ſubactæ Cuſco & Quito Vrbium Metropoles, & longè latequè deuictæ prouinciæ. Rebellatum alicubi tamen, authore Mangone Atabalipæ fratre, quem *Hincam* (ſic Reges vocant) dici Pizarrus *Rebellio comprimitur.* indulſerat. Sed non alio euentu; niſi vt per nouas victorias à Lermio, Aluaradio, & aliis; primæ firmarentur. At vbi non fuerunt vltra indigenæ qui reſiſterent, & metu, pacem inter victores facerent; ipſi inter ſe pluſquam hoſtilia patrauerut. Vrgebant nimirùm impios Atabalipæ manes: An Dei manus, qui noluit vt fidei & humanitatis læſæ rei, bonâ ipſi fide inter ſe ſpolia partirentur.

## CAPVT XV.

### *Caſtellanorum in America Auſtrali rebellio.*

EX prædonum ſuorum cladibus ſolari ſuas indigenæ potuiſſent; ni maioribus inde ipſi fuiſſent obnoxij, alterutris, non *Indigenæ male habiti.* pro auxiliaribus tantùm, & lixis; ſed pro iumentis etiam onerariis addicti. Hinc humaniorum indignatio, & tandem ſtudio Bartholomæi Caſæ, ex ordine Dominicano, illas apud gentes Epiſcopi; qui ob id in Hiſpaniam venerat, à Carolo Rege legum ſanctio, quibus Hiſpanorum compreſsâ licen-

tià, Indorum miſeriæ lenirentur. At ex remedio morbus inualuit. Non multùm curauere Regis ipſi placita, qui ſe Regum arbitros fecerant, & ex mutuà inter ſe diſcordià, ad rebellionem in Regem venere, duce Conſaluo Pizarro, penes quem, victis, cæſiſque Almagriis, & amiſſis ferro duobus fratribus, altero vinculis in Hiſpaniâ addicto, rerum ſumma conceſſerat. Principio actum cautiùs & modeſtiùs, quaſi non ſublatas leges Pizarrus vellet, ob Regis reuerentiam; ſed mitigandas, in militum gratiam, admoneret. At vbi Blaſco Nonnio Proregi, in acie capto, caput amputari iuſſit; magni facinoris patrocinium quærendum credidit à maiori, & quando auſus Regia fuerat, enitendum illi fuit, vt & Rex eſſet. Nec fortuna abnuebat, quandiù actum armis. Ideo mutandam eſſe militiam ratus Imperator, Petrum Guaſcam eò deſtinat, ſub præſidis nomine; vt qui relatâ de proregibus, & copiis victoriâ exultabat, vnius Inermis prope Iuriſconſulti prudentiâ comprimeretur. Adeo ſupra vim ſæpe conſilium eſt, & Toga ſuprá arma! Nec enim minor iſtius laus Orbis noui compoſuiſſe diſſidia, Turbonibus pœnæ addictis; quàm Corteſij, Pizarrorum & aliorum armis illum ſubegiſſe. Sed quanto pulchrius; quòd poſt triennium, tantâ in Americâ mutatione factâ, in Hiſpaniam nihil ipſe mutatus rediit. Ille hercle; qui, ne teruntio quidem ipſe priuatim ditior, eodem vſus, quo ante profectio em, pallio, eâdem in victu cultuque parſimoniâ, poſt regreſſum, ex Orbe nouo tantum opum

*Ex legib. Caſaris rebellio.*

*Eam Gaſca componit.*

1546

*Iſtius continentia.*

detulit, quantum locupletando veteri ſatis eſſet.

## CAPVT XVI.

### *Chriſtianitas in America propagata.*

VT eximium ſit ad Guaſcæ gloriam, quòd ſupra rebellium ferrum, ſupra Americæ aurum, conſiliis & integritate fuerit, & nouum Orbem Regis Imperio reſtituiſſe; quantò pulchrius tamen, quòd, vt facilè cœlo aſſereretur, effecit? Nam hactenus militaribus animis, Barbarorum ſibi theſauros congerere, vna fermè cura fuerat; Cæleſtes illis impendere, nulla. Nec penſi quidquam habebant, an diuinis legibus Barbari ſubderentur; modò ſuis. Nempe vt eadem terra daret aurum, & per quos effoderetur. Sed in hoc atrociores multò, quòd Religio nulla erat, eorum è venis ſanguinem elicere, per quos aurum eruebant, è terræ venis. Quid in eis humanitatis fuerit, qui intra quadraginta annos, ſupra quindecies dena centena millia hominum, vario pœnarum genere contrucidarunt? Non mirum itaque ſi Buellio ſociiſque Benedictinis; nec non plurimis è Dominici, Franciſci, & aliorum ſodalitiis non admodum fauſtè promouendæ fidei conatus initiò ceſſerint. Quippe & illi pro meſſis copia pauciſſimi operarij, nec inter Martis lituos audiri poterat Euangelij tuba, nec Chriſti fides propagari poterat apud Barbaros, quando illi præerant, in quibus adeo non erat, bonâ fide Chriſtianitas; vt vix hu-

*Ferocia Hiſpanorum.*

*Immanis lanienæ.*

manitas. Sed per Guaſcam, amotis prædonibus, & conſtitutâ Regali potentiâ, de diuinâ conſultum maturiùs: & prouiſum ſeriò, vt qui iugum Regium nolentes induerant, diuinum volentes admitterent. Nec fruſtra laboratum, cum illi plerique populi perhumanâ eſſent indole, & in hoc dumtaxat impii, quòd pietatem non nouiſſent. Humanâ quidem veſci ſolitos dicunt; ſed quæ hæc in hominibus culpa, apud quos Dij humanis victimis placabantur? Haud multo igitur labore disjecta ſunt paſſim fana, ſublata ſimulacra, & quæ ex auro aut argento fuerant, in Europam tranſuecta: conſtructæ vbiuis Eccleſiæ, & qui eas regerent Antiſtites conſtituti: in quos Metropolitani Sandominici, Mexicæ, & Regiopoleos haberent imperium, ex Pauli III. præſertim ſuffragio. 1549. *Chriſtianitati ſeriò prouidetur.*

## CAPVT XVII.

### *Luſitanorum ad Orientem progreſſus.*

NEc minùs ſtrenuè à Luſitanis luſtratus Oriens; quem, ne quererentur de Americà Caſtellanis attributâ, eis permiſerat Alexander Pont. ſibi ſubigendum, dum ſimul Eccleſiæ, vt in Orbis extremis pietas refloreſceret, quo tempore intima depaſcebatur impietas: & plura Deo ſubderentur in remotis, quàm amittebantur in proximis. Cæterùm à Ioanne I. Rege ad Emanuelem, per duo & vltra ſæcula ij progreſſus facti ſunt: vt minùs mirabile vi-

deatur, quòd tandiu eæ gentes latuerint; quàm quòd tam facilè in Europæorùm obſequium venerint. Nec enim tantùm Affricæ littoralia paſſim domita ſunt, & per conditas arces aſſerta; ſed itum longè vltrà, & cùm in Continenti, tùm in Inſulis, tantum terrarùm domitùm, vt penè minùs vrbium haberent in ſuà Luſitanià Reges Luſitani, quàm in Oriente Regnorum. Tot Argonautarũ huiuſmodi progreſſibus, quatenus non obſiſtebant indigenæ, obſiſte-
1504 re conati ſunt Ægyptij, & Turcæ; ſed vt illuſtrarent. Dicunt Ægypti Sultanum, ad

*Ægyptij Mahomet. in Luſitanos.*

id conſilij impulſum à Venetis, qui Rerum Indicarum Emporium, Alexandrià, vbi ipſi frequentes erant ad commercium, Vlyſſiponem tranſlatum eſſe noluiſſent. In hoc ſanè mercatores parum Euangelici, quibus nihili erat Eccleſiæ lucrum, præ ſuo. Cum igitur Sultanus per minaces ad Iulium Pontif. literas, nihil promouiſſet,
1508 arma expediit. Primò impetu cæſus Almeida Proregis filius, vt leuis & nullius fructus felicitas, cladis atrociſſimæ occaſio

*Vincuntur.*

impiis eſſet. Mirhocemus enim eorum Satrapa inde ſecurior; ſimul quod Calecutianis junctus ad ducentas naues, in nouemdecim Almeidæ armauerat; ex certiori victoriæ fiduciâ cladẽ accepit; claſſe prorſus amiſsâ. Nec inſtaurauere feliciùs bellum Solimannus Turcarum Imperator, & poſtea Sofar prædonum Anteſignanus, niſi
1538 vt gentis ignominia accreſceret. Quando ad

*Turcæ à Luſitanis victi.*

Diu celeberrimum Indiarum Emporium tùm iſte per ſe, à Maſcarenâ Præfecto Vi-

bis,& Caſtrio prorege, tùm ille in Solimanno Ægypti Baſſà; à Sylueirà, qui vrbi præerat, magnà clade profligati ſunt. Nec ita ſuorum præſidio erant intenti, vt fœderatorum eſſent immemores. Illos vt tuerentur ea ſæpe præſtitere, quæ ex magnitudine & inſolentià fidem non habeant; niſi eam Dei præſentis opitulatio faciat. Inde Eduardus Pacicus, quem Albuquercius prorex ad Trimumparum Cochini Regem auxilio miſerat, cum vnà ſociorũ centurià Zámorumum Calecutianum; multas bellatórum myriadas oſtentantem, aggredi auſus eſt, quod virtutis fuit, & vincere, quod etiam felicitatis. Ne minùs heroicè Gama Iunior quadringentis militibus ſuccinctus Gradaametem Solimanni ſtipendiarium; qui Claudium Æthiopum Regem ſuo ritu Chriſtianum, ditione fermè tota exegerat, in terga egit, & magnis perculſum cladibus, non numero ſed virtute parari victorias docuit. Interceptus quidem poſtea per inſidias fuit, ſed vt maiori gloria, moriens pro Chriſti nomine, triumpharet, quàm viuens in caſtris pugnauerat: Ac tantùm animorum militibus qui ſuperfuerunt, inſpirauit, quantum ad hoſtes penitus conterendos ſatis fuit. Dicas eum certaſſe per vitam, viciſſe in morte, ac mortuum demùm triumphaſſe.

*Ne enim alij* 1504 *littorales.* 1541

## CAPVT XVIII.

## *Chriſtianitas in Indiis propagata*

LOngè lateque Orientem verſus procedentibus Luſitanorum victoriis, ſimul

Nec alibi minùs periculi, ex peruerſis Chriſtianorum moribus. Quippe iam conſenuerat primæuus ille vigor innocentiæ, & vitæ licentiâ corrumpebant laici, quidquid in opere diuino promouebant ſacri: nec enim facilè rudibus populis probabatur nouæ Religionis innocentia, quam profeſſorum vitiis dedecoratam videbant. At non vacillauit res fidei, niſi vt ex eâ per incrementa prodigioſa reſtitutâ, præco nouus inclareſceret. Fuit hic Franciſcus Xauerius, qui ab Ignatio Loiola & Paulo III. Pontif. illas ad gentes deſtinatus Apoſtolus, ſuum vt nomen ex vero impleret, ſine perâ, & viatico, ad iter ſe dedit. Sciebat enim ad victorias Euangelicas nullum veré idoneum, niſi qui non viuit ad normam Euangelij. Prima ipſi cura Chriſtianorum emendatio. Fruſtra enim ad bonum ageret per verba, quos trahebant ad malum exempla. Hinc diuino ſui zeli æſtu abreptus vaſtiſſimas infidelium prouincias non tàm obiuit paſſibus, quàm victoriis. Quippe diuinæ militiæ ſignifero, adire gentem impiam triumphare erat, & Deo addicere. Quis numeret quot idola confregerit? quot Eccleſias conſtruxerit? quot hominum Myriadas Deo initiauerit? Vna Comorím ſeu Piſcationis terra, de aliis probet. Vt in quâ non valdè amplâ, eàque iam ante Eccleſiæ legibus imbutâ, quadraginta hominum millia ſua ipſe manu breui intinxerit. Quippe vt Apoſtolos veteres æmulabatur zelo, ſic & aſſequebatur miraculis. Nec facilè quiſquam eius obluctabatur verbis, quibus per-

*Chriſtiani corrupti.*

*Xauerius.*

1542

*Chriſtianitatem propagat.*

ſuadendi efficiam facta dabant. Hinc ei ſemper ad vlteriora ſtimulus,& fiducia. Auſus & ad Siṅas ſperare aditum, qui vix Ali-
1552 tibus liber eſt. At illi tum demùm *voluntas* pro euentu fuit. Nouus Moyſes ad ipſum terrę diu quæſitæ limen exceſſit, vt relinqueretur poſteris vbi deſudarent.

## CAPVT XIX.
## *De Iſmaëlis Sophi orto in Perſide Imperio.*

NEc minor interea rerum rituumque conuerſio apud Mahometanos Perſas. Cum enim inter ipſos, & Byzantinos nulla diu fuiſſet in ſuperſtitione diſſentio, & æmula ex potentiâ Imperia, communione ſectæ coaleſcerent, ex nouâ *Harduellis* Perſæ interpretatione *Alcorani*, ſoluto conſenſu; qui ante fuerant ex potentiâ ęmuli, fuere poſtea etiam ex ſuperſtitione diſcordes. Cæterùm *Harduellis*, ad *Halim* Mahometis patruelem & generum, ſuum genus referens, eius etiam circa Religionem ſenſa, abiectis quę *Hamares*, Mahometis alter interpres, intruſerat, & amplexus eſt, & pro virili promouit. Hunc magnâ iam ſtipatum multitudine, cum opprimere tutò non poſſet *Vſumcaſſanes* Perſarum Imperator, Amicum fecit, & generum. Certa inde in longùm ſecuritas; ni *Iacupus* Vſumcaſſanis filius, dum Harduelle cæſo, periculum cauet, excidium acciuiſſet. *Iſmaël*
*Iſmaël* 1499 enim Harduellis filius ex Hircaniâ, quò ad Pirehalim Amicum paternum euaſerat; dum patris *Scita* vindicat, ea facie gra-

dum ad ſolium. Sectatorum enim ſuccinctus copiis, paternam primùm ditionem recepit; tùm ex occaſione Aluantis & Moratchami fratrum, inter ſe bellantium (Iacupus pater obierat) occupato Tauriſio, Armeniam; mox victis ſeorſim fratribus, Perſidem inuaſit. Ad tot victorias Byzantium intremuit; & fulmen, quo diſiecti è ſolio Perſici Reges ſunt, Baiazethem afflauit. *Techelles* enim Iſmaëlis Commilito, ex ſpeluncâ, vbi diu latuerat, egreſſus, non modicam minoris Aſiæ partem victoriis percurrit; *Orchanem* & *Mahometem* Baiazethis, ex filiis, nepotes, profligauit: *Caragium* Baſſam Cutheiæ captum palo infixit: & Hali Baſſam, ad Olygam montem prope Ancyram, in acie peremit. Per tot victorias properabat ad vnam, quæ aliarum pretium eſſet, ſimul & præſidium. Byzantio datum ibat alterum *Sophi*; ſic enim dictus Iſmaël & Reges poſt ipſum Perſici, ſiue ex opinione ſapientiæ, ſeu quod capitis tegmen, non ex lino, vt alij Mahometani, ſed ex lana, quæ Arabicè *Sofi* eſt, haberet. Quamquam qui ex eodem capitis tegumento rubro, *Kiſelbas* ſeu *rubrum caput* audiebat; cum Turci Album deferant, Tartari viride; id cognominis, & factionis teſſeram maluiſſet fortè facere, titulum dignitatis. At Deo viſum aliter, qui vt à Iunio Baſſa victus repelleretur in Perſidem permiſit: ſiue quia exciſi Turcarum Imperij decus reſeruat aliis: ſiue quia Turcas durare cupit: vt cum ipſis

*Perſidem ſubigit.*

*Techellis victoriæ.*

1509

Chriſtiani congreſſi, vel accepto damno patientiam probent, vel illato fiduciam.

## CAPVT XX.
## *De Xeriforum orto in Affrica Imperio.*

NEc minores in Affricà vices paſſi Mahometani, ex Xeriphorum Imperio: quî enim tenues ad magnam potentiam attollerentur ſine multorum potentium clade? Author primarius Zidametes
1511 fuit, qui Mahometis ſe nepotem iactans oſtentatitiæ ſanctitatis fuco (vnde *Xeriſius*, hoc eſt vir ſacer) eius potentiæ fundamen-
*Xeriſij* ta iecit, quam filij Hametes & Mahometes latè protenderent: & Mahometes in ordinem redacto fratre ad tria ſimul Regna Marochij, Feſſæ & Tremeſi propagaret. Porrò filij vel ſupra patrem pietatis apud ſuos opinione celebres armis inſuper inclaruerunt: vt ſi qui minùs illius palpo cederent; iſtorum viribus comprimerentur. Prima ipſis tyrocinia, cum aliquot equitibus, quos eis Rex Feſſæ attribuerat; Luſitanorum, & Maurorum etiam, qui Luſitanis ad maris littora ſuberant, terras diripere. Cum iſta procederent, & eorum ad ſigna vndique milites, tanquam ad ſacram militiam conuolarent, belli tandem piguit, quo non parabantur niſi prædæ vulgares. Angebat animum Regni deſiderium, nec ponebant in vitio quòd alteri deberet eripi; cum ex ſui prophetæ placitis non ſit Religio ius violare, dum ob regnum. Eorum itaque artibus Nacer Marochij Rex

veneno periit. Statim vacuum occupauere ſolium, eiectis demortui filiis, & Mahomete Feſſæ Rege tributi ſpe placato. Neceſſe tum erat officiis demereri principes, & eis per munera ſe profiteri morigeros, quorum in perniciem creſcebant. Vbi enim eſt irroborata potentia, adeo, tributum tunc non dedere, vt exegerint. Inde bellum, quo obſidione Marochij bis pulſus Rex Feſſæ, è ſuo demum ſolio excuſſus eſt à Mahomete; qui fratrem ſuæ portione prædæ & potentiæ, poſt varia certamina, ſpoliauerat, vt duorum laboribus ſolus potiretur. Nec id in longum: nam recepto per cladem & mortem Buaonis, qui auxilio Solaraiſij Elgerij Proſultani illud occupauerat, Feſſano Regno: à Turcis, quos in Satellitium allegerat, occiſus eſt. Adeo verum eſt, plures Reges domeſticâ fraude cæſos eſſe, quàm hoſtili virtute. Succeſſorem iam ante deſignauerat Abdalam filium, natu maximum; eâ lege, vt priùs fratres, qui ſex erant, ſecundum ordinem, quàm filij ſuccederent. At eius ſaporis res eſt Regnum, vt ſemel hauſta non facile euomatur; tenet arctiſſimè, vel ſi qui ipſam non tenent. Ideo *Abdala* paternæ voluntatis immemor, fratres eiicit, & Regnum filio Mahometi reliquit, non ſine præuiâ aliquorum cæde, quibus magis cordi erat, mortui Regis ſanctio, quàm Regnantis ambitio. At ô cæcam mortalium prudentiam! Dum filium Regem Abdala præter fas cupit; nec ciuem ſinit: nam *Abdemelecus* ipſius patruus Algerium profugus, Tur-

*Marochium occupant.*

1550

*Et Feſſam.*

1557

*Diſsident bello ciuili.*

1578 carum ope Nepotem deturbat è ſolio; & eo caſu propellit in præceps, vt ſecum *Sebaſtianum* Luſitanorum Regem, qui vel labentem ſuſtinere voluerat, vel lapſum erigere, in ruinam traxerit. Ex Sebaſtiani morte, qui amiſſis copiis in Campis Toniſenſibus, non procul à Mucazeno fluuio cæſus eſt; lis de ipſius Regno nata: quam Doctorum rationibus ſibi adiudicatam,

*Quo Sebaſt. Rex Luſitaniæ periit.*

1580 Regiis demùm, hoc eſt armis, prorſus decidit Philippus II. Hiſpaniarum Rex. Sic octingentos poſt annos, in idem rurſum corpus, ſub vno capite Hiſpania tota coaluit. Durauit ad annos ſexaginta illa conſenſio: tum enim pertæſi Luſitani membrum eſſe, qui diu corpus fuerant, promoto in ſolium Ioanne Bragantino, ſeceſſerunt. Inde rurſum bella inter gentes eiuſdem cæli, ſed animi diuerſiſſimi; nec ponenda, donec alterutri acceptam plenè vindicarint iniuriam; illi veterem, dum ſubiguntur; iſti nouam, dum relinquuntur.

## CAPVT XXI.

### *Turcarum progreſſus in Epirum & Illiricum.*

NEc interea Chriſtianis quieſcere datum à Turcis: licet enim poſt Mahometis II. obitum, eius filiis in nos mouere non ante in mentem venerit, quàm vtrius eſſet Imperium, Mars decidiſſet; Baiazethes tamen per plures victorias rerum potitus, Geme fratre ad Rhodios profugo, & Caramanno Ciliciæ Principe, ac Caithbeio

Ægypti Sultano, qui fratri adfuerant, non ſemel profligatis, in nos tandem arma vertit, & per Cadum Baſſam, & alios expugnato Dyrrachio, & Illiriorum, Pannoniorum, ac Croatarum coniunctis ſimul copiis, in Liburniâ non procul à Savo, fractis, totam, ad Forum Iulium, oram fœdè diripuit: & hominum, quaſi pecudum greges in ſeruitutem abduxit. Hinc atrociori fremitu itum in Venetos; ſiue illum Reſp. læſerat, dum Ioannem Caſtriotum Scanderbergi filium, & Ioannem Cernouitzum, in Epiro Regulum, apud ſe patitur, ſiue, Maurus Mediolanenſis ſollicitauerat. Vt enim ſolenne Tyrannis tueri per ſcelus, quæ per ſcelus occupant, quod ſolium Ioannis Galeatij Nepotis occulto parricidio, & emptis ab auaro Imperatore inueſtituræ literis inuaſerat, perfidiâ & impietate conſeruare conatus eſt. Ideo ad Neapolitanam expeditionem excitatis Francis, Alfonſum Regem Galeatij ſocerum à voluntate vlciſcendi genero factam iniuriam, ad neceſſitatem propellendi ſuas compulit. Et iam, 1499 excitato per Turcas apud Venetos incendio, quod apud ſe conflabatur à Francis extinguere ſategit. Duos annos bellum tenuit eo ſucceſſu, vt quia Antonius Grimanus Venetæ claſſis Præfectus, hoſtem vincere auſus non eſt; Cephaloniam Inſulam Leucadem in ora Macedoniæ, & alia quædam ſubegiſſe; atque naues aliquot hoſtiles per Benedictum Peſareum, cui Gonſalui Cordubenſis auxilia aderant, intercepiſſe Venetis fruſtra poſtea fuerit. Nam Methone,

*Turci in Venetos.*

*Sollicitati à Ludou. Mauro Mediolani Duce.*

*Veneti pacem emunt.*

Naupacto, Corone & alis amiſſis, & ab Schendero Baſſà, vaſtatâ ad forum Iulium orâ: emenda pax demum fuit. redditis quæ occupauerant, & quæ amiſerant, dimiſſis.

## CAPVT XXII.
### *Mamaluchorum à Selimo excidium, & Mahometanorum in Ægypto res.*

VEnetorum quaſi aggere prohibiti ab occaſu Turci deflexerunt ad ortum, & meridiem; vt quatenus non licuerat Chriſtianos in Italiâ exſcindere, in Syriâ & Ægypto exſcinderent Mahometanos, Mamaluchorum extincto Imperio. Porrò Ægyptios Mahometis poſteri ſubdiderunt; ad
706 *Caliphæ.* Alcairum, quæ & Ægyptia Babilon, poſitâ Imperij noui ſede: quod ſub *Caliphis*, qui etiam ſacris præerant, eò potentiæ venit; vt Babylonico in Aſiâ, non diu ante, ab iiſdem conſtituto vix cederet. Vltra quartum ab initio ſæculum progreſſa *Calypharum* authoritas, illius demum fraude concidit, qui eius ſe tutorem promiſerat. Saraco *Ægypti Imperio excidunt.* enim Syriæ Sultanus in Chriſtianos, qui Paleſtinam & finitima ſubegerant, accitus ad auxilium, Regni deffenſi præmium, Regnum fecit. Caliphas tamen ſacris præeſſe
1153 ſiuit; vt ſacrorum relicta adminiſtratio, politicæ amiſſæ ſolatium eſſet. Saraconi ſuffectus *Saladinus* frater, de noſtris in Pa- *Saladinus.* leſtinâ malis celebre ſibi nomen fecit, victoriis non magis per vitam Oriente domito clarus; quàm funere poſt mortem. Quip-

pe vt interior ſua tunica præferretur ad pompam iuſſit, & iſtud elogium inclamaretur; *id vnum reſtare ex Orientis domitore.* Vt bellè Saracenorum iſte Auguſtus fabulam ſuam egerit, melius certé peregit: hac enim clauſulâ quidquid egregij fieri diciue potuit, exſcripſit: quid enim Heroibus, è deuictis Imperiis, poſt mortem ſupereſt, præter linteum ſepulchrale; illudque breui deſiturum? Saladinum alij, atque alij ad Meleſchſala exceperunt. Hic quam dignitatem à Francis ſtrenuè vindicauerat, non vindicauit à præſidiariis: eos paſſus parricidas, 1250
quos ad ſatellitium allegerat: & qui Regi victo (D. Ludouicus is fuit) libertatem indulſerat; vitam ipſe à ſuis non obtinuit. *Mamaluchi.*
Erant illi *Mamaluchi*, quos ipſe ad Sultanorum præſidium inſtituerat. Cum enim ordinibus, quos diuturna cum Chriſtianis bella exhauſerant, ſupplendis indigenæ non ſufficerent, à Tartaris, qui tum è Septentrione eruperant, captiuos emit, quos ſuæ potentiæ faceret aſſertores. At eam illi ſibi maluerunt, in ipſius cęſi locum ſuffecto è ſuis Turquemio. Quin & lege cautum voluerunt, ne quis vnquam proueheretur ad ſolium, qui non fuiſſet è ſuis. Sic Mamaluchi, ita Regum erant præſidiarij, vt ſine iniuriâ, Regni poſſent eſſe candidati. Et captiuorum fœda colluuies fiebat ſeminarium Sultanorum. Cautum etiam, vt excluſis, & Mahometanorum filiis, ac proinde ſuis, illi ſoli admitterentur in ordinem, qui ex Chriſtianis orti, & iam Chriſto per baptiſmum initiati, à parentibus

quacũque ſorte abſtracti, venirent in manus adhuc teneri; vt ritibus in Mahometicis, & ad militiam diligenter inſtituti, in vnâ ſuâ virtute genus, opes, ſpem ponerent: & *Mamaluchus*; quæ vox ſtipendiariorum, aut Circumciſum Arabicé ſonare dicitur, eſſet nomen virtutis. Poſt ducentos & ſexaginta ab initio annos, à Turquemio ad Tomumbeium, perfidiâ concidit Mamaluchorum Imperium, quod perfidiâ ſurrexerat. Proditor fuit Emirus Caierbeius Alepi & Comagenæ Præfectus. Eo enim ad Selimum hoſtem in pugnâ prope Alepum tranſgreſſo, conſternatus Campſeus Gaurius
1516 Sultanus in fugam ſe dedit, vt ſi daretur Syriæ damno Ægyptum ſeruaret. At excuſſus equo, & fugientium obtritus pedibus ſuo caſu ruinam Imperii traxit. Nam *A Selimo excisi.* Tomumbeius ei ſubſtitutus, non eſt viſus induiſſe purpuram, niſi vt cariùs periret. Amiſſis enim ad Alcairum copiis è paluſtrium latebris retractus eſt, ad laniatus & mortem. Quippe victor non plenè alteri putaſſet ablatum diadema, ni vnà caput abſtuliſſet. Sic Selimus Syriâ & Ægypto potitus, celebre quondam Imperium, appen-
1517 dicem ſui fecit: & quibus poſteri Chriſtianitatem efficaciùs premerent, vires parauit.

## CAPVT XXIII.

### *Rhodos tandem expugnata.*

A Mahometanis ad Chriſtianos digreſſus
1522 Selimi filius Solymannus, Rhodo Hoſ-

pitalarios excuſſit, à quâ ducentis & duodecim ab annis, Mahometanos Hoſpitalarij 1310
iuncti Templariis excuſſerant. Sed extinctis *Rhodos*
interea iſtis tota ipſorum fuerat, vt iuſtius *Hoſpitalaris aſ-*
poſthac Rhodij Equites dicerentur. At erat *ſerta.*
in dubio victoria, ni Amedei Sabaudi *fortitudo*, disjecta Barbarorum incubantium claſſe, *Rhodum tenuiſſet.* Nec ſatis iam erat
à Turcis Aſiaticis, & Saracenis Ægyptiis 1313
ſua tueri, ni præterea crebris eos irruptionibus fatigarent. Hinc Mahometis II. conſilium prædatores, vt vocabat, à quibus irriium ſe,&irritatũ ſæpius indignabatur,é ſuo *ſcopulo* dejicere,duce Meſithe. At hic tertio
ab appulſu menſe, amiſſis multis bellato- 1418
rum millibus, depulſus; Rhodum verè Scopulum ſibi fuiſſe expertus eſt. Albuſſonij,
ſupremi Magiſtri, poſtea Cardinalis, tùm *Pelluntur*
virtus enituit: quem nimirùm victoriæ *Turci ope*
Chriſtianæ ſymbolum atque adeo inſtru- *diuina.*
mentum, *Crux aurea* deſuper aliquandiu ſplendens, vt certum de victoriâ, ſic ferocem in pugnis fecit, & quatenus à Sixto IV. Pont. & Ferdinando Neapolit. promiſſa cunctabantur auxilia, diuinum ipſe, quod certius & promptius, acciuit. Nam ad dìsjecta mœnia, quæ reparari citò non poterant, Chriſti, Crucis, Deiparæ, & Baptiſtæ expanſas imagines voluit eſſe pro aggere, ad quem hoſtes infringerentur. Adeo nulla vis premat; qui à Deo præſidium ſperare nouerit, & petere. Sed neceſſe demùm fuit, vt violentiæ virtus cederet. Nempe vt aliò digreſſa ſui admirationem latiùs faceret. Nam Ataui iam ſeneſcentis cœpta, Soly-

mannus Iunior redintegrans ingentem ducentorum armatorum millium claſſem cōmiſit. Sed eà cladibus iam fractâ, & ad reditum reſpectante, Inſulam ipſe cum ſupplementis appulſus, non ante receſſurum ſe iurauit, (vt inde militi rediret animus &
1522 conſtantia) quàm Inſulam ſubegiſſet. Vincendi quippe illi fiduciam faciebant, tum Iudæus, qui diu ante Chriſtianum mentitus vrbem inſpexerat; tum Amaralus Luſitanus Ordinis Cancellarius, qui vt à Lilidiamo ſupremo Magiſtro acceptam iniuriam vindicaret ſe Turcam prodidit, & per miſſas ad
*Capitur à Turcis.* hoſtes arcu, aut baliſtâ literas, eis præiuit ad victoriam, quâ & ipſe vinceretur. Adeo multi malunt ipſi perire, quàm ſibi vltionem. Complanatis igitur per machinas muralis propugnaculis; nec ſuppetente à Chriſtianis principibus, magno ipſorum dedecore, auxilio; iam non ciuitas, ſed ſepulchretum obſidionis ſeptimo deſinente menſe, in hoſtium manus venit. Fuit illa Cadmæa victoria, de qua victor, an ſibi gaudendum eſſet, dubitare ſe dixit: vt quam centum millium, minimùm, morte parauerit.

## CAPVT XXIV.

## *De Turcarum irruptionibus in Hungariam.*

A Rhodo deflexum ad Hungariam, vt quas ante Coruini clades vel intulerant, vel acceptas vindicauerant, vlciſceretur. Id quidem paulò ante Iacupus Boſſoniæ Sangiacus Bajazethis II. iuſſu, auſpicatus, Frangipane ad Morauium profligato,

eam ſtragem fecit, vt captiuorum gregibus ergaſtula Græciæ repleuerit, & cæſorum naſis currus aliquot onuſtos reduxerit. Inhumana ſarcina! quâ non magis victi debent erubeſcere, quàm victores. Vinci enim fortunæ eſt, & ſæpe præter vitium; victis inſultare inhumanitatis, & nunquam ſine probro. Excuſatior Solymannus, cuius irruptio ne crimini verti illi poſſet, Hungari per ſuum crimen fecerunt: dum Legatis eius impiè violatis, quam pacem obtulerat, ſtolidè reſpuerunt, ex Clementis VII. Pontif. & Venetorum conſilio: quippe iſtis id imprimis tùm curæ, vt Hungariæ periculo, ſuâ ipſi in Italiâ quieſcerent. Stolidæ temeritatis quas pœnas non tulit Hungaria! quando Belgradum inuaſit hoſtis. In campis Mohacſiis copias fudit, ipſo Rege Ludouico, dum fugam præcipitat, in paluſtribus demerſo, & incensâ Budâ, aliiſque circum vrbibus direptis, ducenta minimùm Chriſtianorum millia vel immaniter occidit, vel quod triſtius, in ſeruitutem abduxit. Triſtia illa ſanè, ad quæ vel ipſe victor ingemuit. Quantula tamen, ad ea quæ ſuperuenere! Regis vnius mors duos inuexit: hoc eſt Regnum direptionibus obiecit, dum Ioannes de Zapoliâ Tranſyluaniæ Princeps, ex Monachi Georgij conſilio, Regnum ſibi à turbonibus delatum, Solymanno tributarium mauult; quàm impunè relinquere Ferdinando Auſtriaco, quem procerum ſuffragia, & ſponſæ, poſt Regis fratris mortem, ius, Regem fecerant. Inde rurſum in armis Turca, quibus & ipſam Germaniam inua-

*Clades à Turcis in Hungaria*

1521 *Turca ab Hungaris irritatur.*

*Turcæ progreſſus, Regis mors.* 1526

*Hungaria Turcæ tributar & inde vaſtata.*

deret, ni ferocientis impetum Vienna fre-
1529 giſſet, Philippi Palatini, Rogendorfi & alio-
*Obſidio Viennæ.* rum ſubſidio, qui ad ſexaginta hoſtium mil-
lia trucidarunt. Vltionis meditantem con-
ſilia, triennio poſt, Caroli Cæſaris non
iam arma, ſed fama perculit. Adeo in He-
roibus aliquid eſt, quod magis Heroës ti-
meant, quàm vim bellicam. Interea iis cla-
1532 dibus abſumebatur Hungaria, vt ſi diutius
traheretur bellum, non videretur dignum
præmium futuræ victoriæ, qua ipſa conci-
diſſet. Inde pax iis legibus, vt Ioannes quan-
diu viueret Regis nomen, & Regni partem
haberet, moriens vtrumque Ferdinando ce-
*Pax Regum.* deret. At vidua, ex Monachi conſiliis, ne
1536 filius vix vndecim dies natus, regni parte
excidat, totum fermè Solymanno prodidit.
Victo enim ad Budam Rogendorfo Ferdi-
nandi Præfecto, vrbem aſtu occupat. Iſabel-
lam Reginam, cum ſuo puppo in Tranſyl-
uaniam amandat, ſibique victoriæ ſuæ fru-
*Rumpitur* ctum attribuit. Fælix ſaltem fœmina ſi ac-
1541 ceptis ex damnis cautior, in noua non incur-
riſſet. Sed miſera, dum præſentium odio, in
noua & incerta fertur. Et nunc cum Ferdi-
*Inconſtãs Regina.* nando de Tranſyluaniâ, & Hungariæ iure
paciſcitur; modò Solymannum rurſum ſol-
1552 licitat, qui ad Segedunum, & Lippam, per
Mahometem, & Achmetem Baſſas Chri-
ſtianos fudit: iis demùm ſe malis implicuit,
quibus & ſe, & filium, & patriam, & quod
luctuoſius, rem Eccleſiæ in Hungariâ per-
didit. Inter hæc id vnum Ferdinando ſola-
tium fuit; quod Monachum fidei ſemper
ambiguum, nec ita vnquam viri addictum

parti, quia alteri ſpem ſui faceret, & præcipuum tot cladium authorem, per Caſtaldum copiarum ductorem occiderit; & inducias demùm, annua triginta aureorum millium penſione impetrauerit. Ex Georgij, qui tum Cardinalis erat, morte præter fas legum Ferdinandum, cum alij, tum Iulius III. Pont. ſacrilegum, ex pacis verò legibus, ignauum prodiderunt. At ex iis erat Georgius, qui rei ad formulam agi non poſſunt, niſi poſt pœnam; & eo anguſtiarum venerat in Hungariâ res Chriſtiana, vt ignominiam pacis, neceſſitas affatim excuſaret. 1562 *Monachi Georgij cædes.*

## CAPVT XXV.

## *Turcarum in Calabriam, Dalmatiam, & Niceam irruptiones.*

NEc interea in tuto fuit Italia à Solymanno, quò cum Rex Franciſcus primus, per Foreſtium & Gozium Legatos dicitur acciuiſſe; non ſine pietatis periculo. Et vt innoxium fuerit, ac citra nominis labem ad præſidiũ aduocaſſe Barbaros, non tamen illos ad irruptionem in aliena ita commouiſſe, vt priuatæ iniuriæ vltio in Chriſtianitatis totius damnum verti poſſet. Quantùm enim Apuliæ impendebat diſcriminis, capto iam per Barbaroſſam Neoclaſtro, non procul à Tarento, ni Barbarus, ſeu quod Regi non eſſe fidendum cerneret, qui copias interea ex pacto in Inſubriam non miſerat; ſeu quod læſus eſſet à Venetis, quorum Nauarchi ſuorum aliquot onerarias demerſe- *Turca à Franciſco Rege ſollicitatur in Caralum.* 1537 *Apulia tentata.*

rant; ſeu quod ſuſpicati ſunt Veneti, occultis à Carolo officiis expugnatus, deſtinatum Neapoli fulmen, aliò contorſiſſet. Hinc ora Dalmatiæ fœdè vaſtata, & tentata Corcyra, & Italiæ toti ſecuritas, ex partis periculo. Denique in bonum commune ceſſerat, priuatum Venetorum damnum, inter ipſos, Pontificem Paulum III. & Cæſarem inito fœdere; ni ex nimià vincendi fiduciâ factum eſſet, ne vincerent. Nam qui victoriam cecinerant ante pugnam, & prædam prius inter ſe diuiſerant, quàm hoſti abſtuliſſent; ab Ænobarbo, qui, cum claſſe longè minori, in ſinu Ambracio, ſubſtiterat; ad Corcyram, vnde ſoluerant, fœdè repulſi ſunt: non ſine magnâ Auriæ, qui claſſi præerat, labe. Quippe & dum debiliorem cunctatur aggredi, & receſſum ſine causâ præcipitat, colluſionis cum hoſte ſuſpicionem, nec inanem fortè, Venetis fecit. Inde ſagaces illi patres, pacem velle cum Turcà, quando parùm ex ſententia procedebat fœdus inter Chriſtianos. Nempe vt interea Ænobarbus, quas vires Rex Franciſcus per Paulinum Baronem Gardiæ à Solymànno petiuerat, liberius commodaret. Hinc, non procul à Vari oſtiò, obſeſſa Nicea, & poſt alteram impreſſionem, in fidem accepta. Sed ſupra vim Arx fuit, quamquam validiſſimè aliquandiu impugnata. Solutâ demùm obſidione, potentiſſimorum Principum victrix pulcherrima ciuitas, nouo titulo meruit nomen à victoria.

*Inanis apparatus Chriſtianorum.*

1543 *Nicea obſeſſa à Turcis & Francis.*

CAPVT

## CAPVT XXVI.

### *Bella inter Francos, Hiſpanos & Pontificios in Inſubria.*

LEue quòd à Turcis non leues clades paſſa eſt Chriſtianitas: quid enim ab hoſte ſperet? At grauiſſimum, quòd Chriſtianos authores malorum ſenſerit, quos ſperaſſet eſſe vindices. In Franciſco Franciæ Rege, & Carolo Imperatore id probatum. Quippe verbis nihil magis ſæpe minati, quàm Turcarum excidium, re nihil magis ſępe, quàm Chriſtianitatem peſſum dederunt. Nam per mutuas clades ſe & Chriſtianitatem, quam alterutri habebant in partibus conficere, quid erat aliud, quàm leonem eneruem & fractum, vel ignauo cuique impetendum objicere, nedum Turcæ? Cæterùm Franciſcus in Galliæ ſolium ſuffectus Ludouico, ſtatim Mediolani ſe Ducem dixit, & quod pulchrius, fecit, quando tranſgreſſus Alpes, capto per Palicium Polemarchum, ad Francopolim Longobardiæ, Proſpero Columnâ Pontificiorum, Sforciæ Duci militantium præfecto; & ad Marignanum cæſis fœdè Helueriis, Maximilianum Mediolani Ducem ad deditionem egit, & vnâ victoriâ fregit Heluetios, ſubegit Inſubres, & Leonem Pontificem exterruit. Quamquam iſti ceſſit in lucrum clades: Quia Rex verè ſe victorem non putauit, niſi ipſi victoria probaretur. Ideò in aſſenſus & ſuffragij pretium, Bononiæ, quò ambo conuenerant, Pragmatica Sanctio Concordato mutata, quod Leoni fuit ſupra Inſubriam. At

*Rex Franciſcus Inſubria potitur.*

1515.

*Cum Papa pacem init.*

quàm rarò perennant parta ex facili! Mediolanum à Maximiliano Cæſare fruſtra tentatum armis, præſidiariorum incontinentiâ amiſſum eſt, & à Pontifice & Carolo, qui Maximilianum Auum exceperat, fœderatis, poſt victos ad Bicocam Francos, Franciſco Sfortiæ Maximiliani filio reſtitutum. Adeo plus ſæpe tibi tuum vitium nocet, quàm virtus hoſtis. Recuperatum quidem illud non diu poſt; ſed vt maiori clade perderetur, poſt victum captumque ad Ticinum Regem. Sic nouus in Longobardiâ Francorum dominatus, ad eam vrbem capto Rege concidit, in quâ Franci olim, capto Rege Longobardo, dominationis arcem conſtituerant. Illa clades vnius fuit; ſed viſa omnium, & creditum vulgò, non quieturum Cæſarem donec longè latéque per multorum ſtrages promoto Imperio, verè Cæſar eſſet. Quid enim non attentet, qui illo amoto obice, nihil non poſſe videatur? Inde conſternatus Clemens VII. qui nuper ſuffectus Hadriano, in Francos videbatur pronior, iniquiorum metu, parùm æquam cum victore pacem iniit, & eò parùm duraturam. Hinc cum frangendæ quæreretur non cauſa, ſed occaſio, ad Piſcarij contra Cæſarem perfidiam aſſenſum dediſſe dicitur, vt & fœderi, quod Angli, Veneti, Sfortia, ipſeque Franciſcus jam liber aduerſus eumdem inierunt. Nempe vt ab Hiſpano liberaretur Italia, & vtraque Sicilia Eccleſiæ redderetur. At in authores recidere machinæ. Nam intereà Piſcarius, quaſi primam perfidiam emendaturus, eſſet per

*Pellitur à Carolo & Pontif.*

1525 *Capitur Ticini.*

*Perſidia geminata.*

nouam ; Cæſarem coniurationis admonuit: & ſic à periculo, quo alios fraudulenter inuoluerat, ſe fraudulenter exemit. Quippe ſtatim in pœnam, per ipſummet Piſcarium excuſſus ſolio Sfortia, & Pontifex à Columniis in Arcam Angelicam tanquam in Carcerem voluntarium compulſus. Nec ei plené ſpes quietis facta, donec eam reuocatis ab Inſubriâ copiis, & venia coniuratis data, redemiſſet. 1526 *Roma in Pontificem turbatur.*

## CAPVT XXVII.

### *Bellum prophanó-ſacrum in Hiſpanos.*

NOn viſus Pontifex obtinuiſſe inducias, niſi ſvt Franci & Angli hortationibus animatus vlciſceretur iniuriam. Primò per diras in Columnios, à quibus Pompeius Cardinalis prouocabat ad Concilium; deinde per arma, quibus & Columniorum exſciderentur, circa Romam oppida; & in Apuliâ Aquila, Salernum, Burgum & alia ſubigerentur. Nec minus progreſſuum ſperari poterat in Inſubriâ; ni Dux Vrbinatis, qui copiis præerat, ſeu perfidiâ, ſeu incuriâ, rem prodidiſſet. Adeo enim Mediolano, non eiecti Cæſarei; vt Duce Borbonio, qui ante à Fráciſco ad Cæſarem transfugerat, Roma ipſa in Cæſareorum manus venerit. Quamquam ſub ipſum aggreſſionis initium, ab ſcalis glande mortifera excuſſus, id ſeu decoris, ſeu probri affecutus non eſt: quaſi in ſanguinis gratiam Deus nollet; vt eo Duce Roma 1526 *Apulia à Pontificiis ex parte ſubacta.* *Dux Borbonius.* 1527

caperetur, cuius ex Agnatis plurimi illam non rarò ſeruauerant. De authore mortis non liquet; de cauſa planè. Quia ſuum in Regem perfidus, & Pontificis parùm reuerens; in quem, neglectis Lanoij proregis Neapolis admonitionibus, qui cum ipſo octimeſtres inducias pepigerat, copias duxit: & Mediolanenſibus periurus; à quibus ad ſtipendia pecunias expreſſit, eo ſacramento (breui poſt violato) vt ſi nouas peteret, in pœnam, ad primam expeditionem ſclopi ictu tranſuerberatus occumberet. Eius cœpta proſecutus Auraugius vrbem demùm inuaſit, eamque per multos dies iis cædibus, ſtupris, latrociniis, & ſacrilegiis fœdauit; vt ad eorum famam Solimannum inhorruiſſe dicant, indignatum quod iniquius à Chriſtianis ſummus ſuus Hierarcha haberetur, quàm præſulem ipſe Byzantinum haberet. Quid in vrbe factum non credas; quando Pontifex intra Arcem Angelicam, quò euaſerat, admiſſis Hiſpanis ſe & oppida Pontificia, & quaſi in pretium relictæ vitæ, magnam vim auri victoris arbitrio permittere coactus eſt. De iſtis Cæſar factus in Hiſpaniâ certior, ſeu ex Religionis ſenſu, ſeu ex armorum, quæ Lautrechius Franciſci nomine, Alexandriâ, Ticino, Placentiâ, Parmâ, & aliis in Longobardiâ captis, multùm promouerat, formidine, vt Pontificem liberaret, Moncadæ (nam Lanoius intereà deceſſerat) imperauit. Sed, *Pontifex liberatur.* dum conduuntur leges, miniſtri habitu elapſus, ipſe ſe liberat; vt minori metu

Lautrechius cum fœderatis Venetorum, Florentinorum, & Pontificis copiis, Neapolim vſque progreſſus, totum fermè Regnum perſuaderet. Cum interea à Franciſco Franciæ, & Henrico Angliæ Regibus, bellum Cæſari eſſet indictum. Nutabat iam obſeſſa Neapolis à Philippino Auria nautico certamine cæſo Moncadà; Vuaſtio Comite, Aſcanio & Camillo Columniiſque proceribus captis; ni interea Andreas Auria Philipini patruus defeciſſet ad Carolum, & quam per nepotem victis Hiſpanis victoriam Francis pepererat, eam per ſe victis Francis, & Venetis in mari, & ſubmiſſis intra Neapolim commeatibus, Hiſpanis aſſeruiſſet. Inde ſi quos reliquos, vel peſtis, quæ ipſum inter alios Lautrechium abſumpſit, vel hoſtile ferrum, quo tum alibi, tum ad Auerſam cæſi ſunt, Francos fecerat, Apuliæ finibus eiecti ſunt, vt tum demùm qualemcumque pacem Franciſcus coleret: cum iam infauſte bellum cedebat. Eà Cameraci tranſactà Hiſpano ceſſit Italiæ iura Francus: Hiſpanus Franco filios reddidit: & indultum Pontifici, vt Medicæi patriæ reſtituerentur. 1528

## CAPVT XXVIII

### *Medicæi à Sixto IV. & Populo afflicti, & Clementis VII. Càroliique auxilio Florentia potiti.*

EX pace bellum prodiit, quod Medicæis ite ad ſolium ſtrauit.: vt quæ familia

iam in Leone, & Clemente, Romæ & apud alienos regnauerat, per Duces regnaret Florentiæ, & apud ſuos. Sic quos, nec ciues Florentini voluerant; coacti ſunt venerari principes. Nam quo tempore Clemens Romæ Hiſpanorum in manu erat, emendare conati ſunt Medicæorum exilio, quòd olim ſub *Sixto* I V. eorumdem patrocinio peccaverant. Tunc enim *Sixtus* parùm æquus in Medicæo ſpecie, qui ditionem Pontificiam violauerant; re quia Hieronymi Riarij nepotis eius commodis non

*Sixtus Pontif. in Medicæos.* ſeruierant, aſſenſus eſt, vt Pazzi, Saluiati, aliique proceres Florentini, quos ex ſuæ nobilitatis conſcientià pudebat, nouis, vt dicebant, Mercatoribus cedere, Iulianum & Laurentium fratres, in ſanctæ Reparatæ ad certum Miſſæ carmen occiderent: Cæſo Iuliano Laurentius euaſit. Coniurati tamen, rem ad votum tranſactam rati, concurrerunt ad palatium. Nempe vt ipſi ſe proderent; & ſceleris ibi pœnas ferrent, vbi præmium ſperauerant. Inter alios è feneſtra pependit Franciſcus Saluiati Archiepiſcopus Piſanus; & Cardinalis Riarius, qui Miſſæ, quã coniurati tam atroci facinore quaſi pollüerant, interérat, in cuſtodiam actus; ſed breui poſt, quia coniurationis inſcius, dimiſſus. Ad hæc *Sixtus* non magis indoluit quòd non cecidiſſet ex voto conceptum facinus; quàm gauiſus eſt, quòd in ſacros etiam fuerit vindicatum: vt

1478 *Archiepiſcopus in palatio ſuſpenſus.*

*Florentia ſub interdicto.* haberet ipſe, quod ſub æquitatis aliquà laruà, vindicaret. Nam ſtatim ciuitas, quæ viris ſacris non pepercerat, ſacris eſt in-

terdicta. Inde Florentini, quibus Veneti, Inſubres, & Franci etiam aderant; parùm vereri Pontificem, terrenis Ferdinandi Siculi nixum armis, vt quem, parùm ex Chriſti normà, vti cæleſtibus diceret, ac demùm expreſſere pacem, ſine noxa Laurentij, quem in pacis pretium & victimam ſibi dedi Sixtus ſemper voluerat. Non diu poſt illuſtrem familiam Leo X. Laurentij filius, & Clemens VII. Iuliani poſthumus ad rotæ ſummum extulerunt. Ad eius magnitudinem allaborauerunt æmuli, obluctando. Nec ad Clementis ab Hiſpanis cladem; eius, Leoniſque disjectis ſtatuis, gentiles omnes egerunt in exilium; niſi vt maiori gloria reuocarent. Non putauit enim ſe planè dignitati pace redditum Clemens, ſi non & cognatos in vrbem reducerçt. Hinc à Cæſare obſeſſa Florentia, ac vndecimo poſt menſe Alexandrum Medicæum, in perpetuum ſuæ Reip. moderatorem, coacta recipere. Sic disjecta mortua ſimulachra, nouo principi fuere pro gradu ad ſolium; & fortuna eò in celebrem familiam conatu velut exhauſta, regno dignos prodidit, quos à regno diutius excluſit. In nouum principatum dicas aſſenſum Carolum, quia pulchrius credidit Margaretę Nothæ dignum ſponſum facere; quàm inuenire. Eam non diu poſt, Alexandro, Laurentij cognati perfidia, cæſo, Octauiano Farneſio Pauli III. Pont. ex filio, Petro Aloiſio, Nepoti nuptum dedit, & ne Imperatore natâ filia priuatum coniugem haberet; vt Parma & Placentia Mediolanenſi ſubtracta. Im-

Margin notes: 1480 (beside "ſti normà … demùm"); 1527 (beside "reret. Hinc à Cæſare"); *Medici Florentiæ Domini.* (beside "rem, coacta recipere"); 1537 (beside "Eam non diu poſt").

perio, ei ſub Ducatus nomine traderentur; aſſenſus tandem eſt. Mira in Margareta fœcunditas: quæ imperiorum quaſi grauida, Ducatus ante pariebat, quàm liberos conciperet.

## CAPVT XXIX.

### *Pontifices ſæculi decimi-ſexti.*

*Pius III.* *CCXXII.* *22. Sept.* PIus III. antea Franciſcus Picolomineus Pij II. ex ſorore nepos multa de Eccleſiæ, & Romanæ imprimis Curiæ, quàm vitia Alexandri dedecorauerant, reformatione pollicitus, nondum completo menſe obijt.

*Iulius II.* *CCXXIII* *31. Octob.* *Iulius II.* ante Iulianus Ruuereus Sixti IV. ex fratre Nepos, Pio ſuffectus Cæſarem Borgiam liberum dimiſit, pacto alibi dicto. Vt Simoniæ labem, quâ Romana, in promotione Pontificum, Comitia laborabant, elueret, conſtituit vt electio Simoniaca nulla ſit, & Conſcij eligendi iure careant. At ex remedio malum accreſceret, ſi eius vtendi occaſio eſſet. Cuius enim tunc authoritate executioni mandaretur pœna, & nouus Pontifex ſubſtitueretur. *F. 11. c. 7. & 8* Peruſium Ballionibus & Bononiam Bentiuolis excluſis Francorum ope, Eccleſiæ aſſeruit. Inito Cameracenſi fœdere contra Venetos, in eos cenſuris & armis egit, vt & poſteà contra Francos pro Venetis. Succeſſu alibi explicato. *1513* *21. Febr.* Baſylicæ D. Petro ſacræ fundamenta iecit. Obijt Pontificatus anno 9. m. 3. d. 21 paucis ante mortem diebus ingeminaſſe dicunt. Vtinam nunquam fuiſſem Papa, aut

aut arma in Turcas conuertiſſem.

*Leo X.* ante Ioannes Mediceus ab Innoc. 8. duodennis adhuc dictus Cardinalis, Rauennenſi prælio à Francis captus, liberque dimiſſus Iulio tandem ſuffectus eſt, anno ætatis 37. Ad eius inaugurationis pompam Alfonſus Ferrariæ Dux, quem Iulius ſacris mouerat, accurrit, & ſacris reſtitutus Pontificium vexillum prætulit. Cardinalibus qui Francis contra Iulium adhæſerant, receptis in gratiam; Lateranoque promoto Concilio, Eccleſiam in tranquillo poſuit, & Ludouicum Francorum Regem ad obſequium illexit. Nec intremuit ad Victoriam Franciſci Regis, qui Ludouicum exceperat, niſi vt feliciori poſteà Victoriâ Sanctionem pragmaticam Concordato mutari à Victore obtineret. Franciſco Mariâ Ruuereo pulſo, Vrbinum Laurentio Mediceo Nepoti attribuit. Alfonſum Petrucium Cardinalem, quod Ruuereo apertiùs fauiſſet, bonis exutum Senis pelli curauit. Eumque poſtea parricidij in ſe tentati reum laqueo plecti; Cardinalibus non paucis, quod liberiora Petrucii in Pontificem dicta non denunciaſſent, pretio vitam aut libertatem redimere coactis. Vt autem haberet, quibus ſecuriùs fideret, vno die vnum & triginta Cardinales creauit, cæteris ad id metu magis, quam voluntate aſſenſis. Quid cum Luthero egerit alibi viſum eſt. Specie belli Turcici decimas beneficiariis indixit. At eæ ne exigerentur in Hiſpaniâ Clerus interceſſit. Præ nimio gaudio Mediolani à

*Leo X. CCXXIV 11. Mart.*

*Pragmatica ſanctio.*

*L. 12. c. 15.*

Cæſare capti, cum quo aduerſus Francũ fœdus icerat, ægreſcens obijt anno ſedis 8. 
1521 m. 8. d. 20. literas & literatos habuit in
1. Dec. deliciis & familiari commercio, nec paucos ex iis promouit, & tamen maledicum Sannazarij aculeum vitare non potuit.

*Hadr. VI.* *CCXXV.* 1522 *31. Ianu.* *Hadrianus VI.* Traiectinus patre aulæorum textore, Doctor Louanienſis, Præceptor Caroli V. Imper. Dertuſenſis in Hiſpaniâ præſul, Leoni à quo dictus Cardinalis fuerat, in Pontificatu abſens ſuffectus eſt. Nomen non mutauit cum gradu, quia nec animum. Nepoti habenti beneficium *Moderatio.* aureorum 70. vix adduci potuit, vt pinguius daret, vt qui diceret *ſe velle homines beneficijs, non beneficia hominibus dare.* Cum Leonis excubitores peterent, an eos vellet in famulatu retinere; *Quot eſtis?* inquit. Cum illi reſpondiſſent centum ſe eſſe; *Cruce frontem, quaſi ad portentum muniit, ſeque ex ijs duodecim retenturum dixit.* Et ſcriptis & Nunciis Lutheranæ peſti remedium adhibere conatus eſt; ſed vt cognoſceret ei ſe ſanandæ imparem eſſe. Nec culpâ caruit, quod quas in manu copias habebat recuperando Arimino, quod ad Leonis obitum Malateſtæ intereceperant, militare maluerit, quàm propugnandæ Rhodo, quam Solimannus expugnauit. Carolo *Hiſpaniæ priuilegia* Cæſari & Hiſpaniæ Regibus indulſit ius præſentandi præſules, quod Leo Franciæ Regibus attribuerat. S. Bennonem Miſnenſem, & Antoninum Florentinum Epiſcopos inter Diuos accenſuit. Multa in officiis & beneficiis ad vſum Canonicum reſtituit,

cætera propediem emendaturus, ni eum interea mori contigiſſet anno 1. m. 8. d. 6. qui nihil ſibi infelicius in vita duxit, quàm quod imperauerit. *Zelus.* 1523 14. Sept.

*Clemens VII.* ante Iulius Iuliani Medicei Nothus, Eques Rhodius & Cardin. Hadrianum excepit. Cum inter Carolum & Franciſcum Reges pacem conciliare non potuiſſet, victo & capto demum ad Ticinum Franciſco, Victori ſe addixit conditionibus non admodum æquis. Sed breui poſt cum Francis, Venetis, Sfortia, inito aduerſus ipſum fœdere, Columnios in ſe laceſſit, & Romanæ direptioni, propriæque captiuitati occaſionem dedit. Ad libertatis verò pretium Cardinalitiam purpuram, bonaque Eccleſiaſtica licitationi quaſi propoſuit. Cum verò minus proſperè arma, quæ Lautrechius Franciſci nomine Neapolim vſque promouerat, ſuccederent; Cæſari ſe rurſum addixit; vt per quem Mediceos, quos interea Florentini pepulerant; efficacius reductum iri ſperaret. Nec fefellit augurium, Cæſare; quem Bononiæ Imperiali coronâ inſignierat, Florentiam domitam Mediceis ſubdente. Henricum VIII. Angliæ Regem ob repudiatam ſponſam, Bolenamque ſuperinductam ſacris mouit, euentu alibi dicto. Sub eo orti Barnabitæ, Somaſchæ, Theatini, Capucini, qui quas clades Lutherani Eccleſiæ inferebant, piæ vitæ doctrinæque Apoſtolicæ præſidio reſarcirent. In Galliam profectus Henrico *Clem. VII* CCXVI. 1523 19. Nou. *Inconſtantia.* *Carolum coronat.* *L. 12. c. 9.* 1534 26. Sept.

Franciſci filio Neptem ſuam Catharinam ſponſam dedit. Obijt demùm an. 10. Pon-
*Paul. III.* tificatus m. 10. d. 6.
*ccxxvii.* *Paulus III.* ante Alexander Farne-
1534 ſius Clementi ſuffectus eſt magno populi
13. *Octob.* plauſu, quòd Romanum tandem Pontificem, poſt centum & vltra annos, rurſus veneraretur. Inter Carolum & Franciſcum Reges Niciæ ad Varum, quò ſimul conuenere, cum pacem non poſſet, inducias
*Indultum* ad decennium compoſuit. Et Franciſco indulſit vt Cancellarius, Præſidentes, & Senatus Pariſienſis Conſiliarij ad beneficia Eccleſiaſtica præſentare poſſent. Angliæ
*Henricum* Regem in pellicatu obfirmatum regnandi
*Anglum* iure excidiſſe pronunciauit. Cardinalibus
*abdicat.* ac Doctoribus aliquot pietate ac ſapientiâ inclitis, quæ ad reformationem Eccleſię viderentur neceſſaria, examinandi curâ commiſsâ, Concilium tandem, in quo eximium illud opus abſolueretur, Tri-
*L. 12. c.* denti indixit, euentu alibi memorato.
*30. & 40.* Fœdus contra Turcas, cui Cæſar & Veneti dedere nomen promouit, maiori ſtrepitu, quàm fructu, Auriæ qui claſſi præerat, nonnullâ, vt dicunt culpâ. Contra eoſdem Cæſarem in Pannoniâ copijs iuuit. Sed feliciùs multò aduerſus Proteſtan-
*Ibid. c. 4.* tes in Germaniâ. Suſpicio tamen fuit non inſcio Cæſare cęſum fuiſſe Petrum Aloiſium Farneſium, ipſius Nothum, quem Pontifex Parmę & Placentiæ Ducem dixerat: vt alibi obſeruatum eſt. Ieſuitas & Somaſchas approbauit. Congregationem Romę aduer-

ſus Hæreticos inſtituit. Inquiſitores & Præſules ſui aduerſus perduelles officij commonuit. Dominicanos ipſos, quos Coſmus Mediceus Florentiâ pepulerat, quod ad priſcã libertatem clam populum commouere dicerentur; & non alios eiuſdem Ordinis, Cenſurarum metu reſtitui iuſſit. Denique ad litteras quibus Octauius ex filio Nepos ad fratrem Alexandrum. Cardin ſignificabat adhæſurum ſe Gonſagę Cæſaris in Inſubriâ præfecto, qui Placentiam inuaſerat, ni Parma, quam Eccleſiæ reſtituere Papa decreuerat, ſibi redderetur, ægreſcens, breui poſt obiit anno ſedis 15. d. 28. 1549 10. *Nou.*

*Iulius* III. ante Ioan. Maria de Monte Romanus, Tridentino Concilio nomine Pauli præſes, illum in dignitate excepit. Iubileum ſtatim Romæ indixit. Stephanum & Simonem Sulaka omnium Eccleſiarum vltra Euphratem ad Indos vſque Patriarchas Romam ad profitendum obſequiũ profectos, liberaliter dimiſit. Ieſuitarum Societatem iam à Paulo approbatam confirmauit, & priuilegiis auxit. Ex decreto in Conclaui iurato Concilium Tridentum reſtituit, & Parmam Farneſiis. Sed inclinante poſtea ad Francos Octauio Farneſio, inter Franciſcum & Carolum Reges, atque adeo Pontificem, qui Caroli à partibus ſtabat, exortum eſt in Italiâ bellum, quod interturbato Concilio, Hæreſi in Germaniâ proſtratæ fecit ad reſpirandum animos. Mortuo in Angliâ Eduardo Rege per Mariam Catharinę repudiatæ

*Iul III.* ccxxxviii
1558 8. *Febr.*
*Concil. redintegrat.*
*Bellum.*

1555 ab Henrico filiam, & Cardinalem Polum
23. *Mart.* Legatum Inſulam Eccleſiæ obſequio reſtituit. Obijt anno Pontificatus 5. m. 1. d. 14.

*Marcellus* II. non mutato cum gradu nomine, nec immutaturum ſe cum honore mores, quibus verè Chriſtianis hactenus enituerat, oſtendit. Ne Frater Romam veniret prohibuit: nec paſſus eſt dari famulos nepotibus ex Fratre, eoſve in palatium adduci; dicens hic eorum non eſſe domum. Minùs promotum eſſe in concilio aduerſus Hereſes dicebat; quod non ſeriò actum eſſet de reformatione morum: ideo velle ſe inde ordiri: nec vereri ſe ob id authoritatis damnum; ſed ſperare potius incrementum, præciſo curię luxu, & miniſtrorum emendatis moribus, quibus ſacra dedecoratur authoritas. Hæc agitantem mors intercepit 22. ab electione die.

*Marcel.* CCXXIX. 1555 9. *April* *Moderatio.*

*Paulus IV.* antea Ioan. Petrus Carafa Neapolitanus adminiſtrationis poſt Marcellum proſperæ omen acceperat in Legatis, qui Angliæ Reginæ nomine ad Iulium miſſi; eum vt verum ſui regni paſtorem venerati ſunt, ni fœdere cum Francis contra Cæſarem inito, inductoque Franco ad violandas, quas cum Hiſpano inierat inducias, addictiſque Carceri non ſolum quibuſdam Cardinalibus, ſed ipſo etiam Philippi Regis Legato, quaſi coniurationis in ipſum Rei eſſent, ſe ſimul & Eccleſiam in magnum diſcrimen conieciſſet. Quod alibi enarratum eſt. Nec labe caruit quod Legatione, quâ ad reducendam ad obſequium Eccleſiæ Angliam tam feliciter vſus fuerat, Car-

*Paul. VI.* CCXXX 1555 23. *Mai.* *Bellum mouet.* *Iniquitas.*

dinalem Polum exuit. Nec felicius aliquandiu obſtitit ne Ferdinandus, in quem Carolus Frater Imperium tranſtulerat, Romæ agnoſceretur. Ex nimiâ in admittendo Elizabethæ Anglæ, quæ Mariæ Sorori ſucceſſerat, obſequio moroſitate; defectionis, quam ex peruerſitate propriâ factura erat, nonnullam ipſe culpam incurrit. In emendandis moribus, proſcribendis libris impiis, reſcindendâ ſimoniâ, reuocandis ad cænobia Monachis, quâcumque ex causâ profugis, abdicandis Nepotibus, & id genus aliis adeo ſeuerus fuit, vt nec in bono, quod præſtitit culpam euaſerit. Niſi in quo ante Pontificatum ad inſtitutum Theatinorum vnà cum Beato Gaëtano collaborauerat, & quòd in ſe incorruptis omnino moribus fuit. Piiſſimè obijt anno 4. Pontificatus m. 2. d. 24. *Seueritas.* *1559 18. Aug.*

*Pius IV.* ante Ioan. Angelus Mediceus Mediolanenſis ſuffectus Paulo, ſtatuas Pauli, quas populus poſt eius obitum disjecerat, eius vbiuis inſignibus abraſis reſtitui iuſſit: at Carafas ipſos, qui patrui authoritate ad proprias libidines abuſi fuerant, neci addixit. Affines & cognatos dignitatibus auxit: at quæ in aliis ferè ſunt incentiua libidinis, in Carolo Borromeo fuere ſtimuli pietatis. Concilium Tridentinum redintegrari curat, & feliciter tandem completum ſuo ſuffragio roborat, reuocatis priuilegiis, quæ contra eius decreta indulta fuerant; & inſtitutâ Congregatione, quæ difficultates in exequendis eius decretis enaſcentes explicaret. Durante *Pius IV.* CCXXXI. 1559 *26. Dec.* *Concil. reſtituit.*

Concilio non pauca in Romanis tribunalibus ad priſcam integritatem reſtituit; multa etiam, quæ Paulus ſeueriùs decreuerat, mitigauit. Melitenſes, quos ingenti apparatu Solimannus obſederat, commeatibus & copiis iuuit. Tametſi, in Hiſpanos pronior eſſet; &, vt Oratores Philippi poſt Francos non ſederent in Concilio Tridentino, indulſiſſet, Romæ tamen Gallis Oratoribus primas deberi ſupra Hiſpanos pronunciauit. Obijt piiſſimè, receptis Caroli Borromei manibus vltimis ſacramentis, Pontificatus anno 5. m. 11. d. 15.

*Francorum præcedentia.* 1565 & 9. Decemb.

*Pius V.* antea Michaël Ghiſlerius in Inſubriâ prope Alexandriam natus, ex Dominicano Cardinalis, & annitente imprimis D. Carolo poſt Pium Papa. Cum ad eius ſeueram grauitatem populus trepidare diceretur, ita ſe præfuturum dixit, vt grauior à morte, quàm ab electione mæror futurus in Vrbe eſſet. Ne à verbis facta deflecterent, Cardinalibus egenis, vnde ex dignitate honeſtè viuerent, ſuppeditauit; Liberalitate in pauperes & cœnobia prolixè communicatâ. Per Cardinalem Commendonum, ne in Comitiis à Maximiliano Cæſare indictis res fidei ſe inconſulto tractarentur, interminatus anathema, vetuit. Epiſcopos vt ad normam Tridentini Concilij Eccleſias regerent, & doctrinæ Chriſtianæ ſodalitia inſtituerent, commonuit. Ne Medici ægrotos poſt diem tertium non confeſſos inuiſerent prohibuit. Vt Presbyteri Latini præcique ſuo quique ritu ſacra celebrarent edixit. Caraffas ho-

*Pius V.* CCXXVII. 1566 & 7. Januar.

*Beneficentia.*

*Celus.*

nori reſtituit. Gallos aduerſus hæreticos, & Imperatorem aduerſus Turcas copiis & pecuniis iuuit. Coſmum Mediceum Magni Ethuriæ Ducis titulo decorauit, fruſtra ſuo in hoc iuri detrahi Maximiliano conquerente. Promoto aduerſus Turcas fœdere Victoriæ Naupacteæ pręcipuus Author fuit, non copiis tantùm & triremibus ſubminiſtratis, ſed ope Dei per preces accitâ. D. Thomam Aquinatem inter Eccleſię Doctores accenſuit. Elizabetham Anglam in hæreſi obfirmatam, omni regnandi iure excidiſſe pronunciauit. Sacris aliquot Ordinibus primęuæ diſciplinæ reſtitutis, Humiliatos parricidij in D. Carolum reos extinxit. Louanienſes Doctores, reprobatis Baij propoſitionibus, compoſuit. Dyſuriâ & renum dolore cruciatus, quadrageſimale tamen ieiunium non ſoluit, & ſubinde reſpiciens ad imaginem Crucifixi; Auge, dicebat, Domine dolorem, ſed & auge patientiam. Cognatos non prorſus egenos relinquere, idque aſſenſu Cardinalium, ſatis habuit, dicens ſe eſſe Pontificem vt Eccleſiæ, non vt cognatorum commodis ſeruiret. Obijt an. Pontif. 6. m. 3. d. 24. ſęculo poſt Diuis adnumerandus.

*Patientia.* *1572. 1. Mai.*

*Gregorius XIII.* ante Hugo Boncompagnus Bononienſis, per omnes Clericalis militiæ gradus ad ſupremum euaſit, vt Pius moriturus optare ſe ſignificauerat. Per Legatos ad Principes, ne fœdus contra Turcas diſſolueretur prohibuit. Eccleſiæ vt conſuleret, eius in caſtris vindices Imperatorem, Galliæ & Hiſpaniæ Reges, aduerſus

*Gregorius XIII. CCXXXIII. 1572. 13. Mai.*

hæreticos & Turcas pecuniis iuuit: & tri-
*Collegia.* bus ſupra viginti ſtudioſorum Collegiis apud varias gentes excitatis, qui eam in vmbrâ tuerentur inſtituit. Congregationem Oratorij Romæ approbauit. Ieſuitarum Societatem priuilegiis auxit. Abdicato Colonienſi pſeudopręſule Catholicum ſub-
*Beneficentia.* ſtituit. Vt anno Iubilæi ſupra 800 m. aureorum pauperibus Romæ diſtribuerentur prouidit. Ad vicies centena millia dicitur per vitam diſtribuiſſe ad pauperum vſum, & decies centena millia ad dotes puellarum. Horreis ad Diocletiani thermas ędificatis, abundantiæ publicæ allaborauit. Melitenſes Equites inter ſe diſcordes, ac de ſupremo abdicando Magiſtro deliberantes compoſuit. Subnaſcentem iterum inter Doctores Louanienſes diſcordiam extinxit. Philippo Hiſpaniæ Regi ad ſubigendam Luſitaniam fauit, miſſo ad hoc Cardinali Riario. Celebri ſui nominis famâ vt ex
*Calendarij reformatio.* Ægypto, Æthiopiâ, Indiâ, Moſcouiâ, Iaponiâ, mitterentur ad ſe Legati promeruit. Calendario emendato ne vnquam poſt-
1585 hac ęquinoctia, ſolſtitiaque ſuos limites trã-
*8. Apr.* ſilirent proſpexit. Obijt anno 12. Pontif. m. 11 d. 2.

*Sixtus V.* *Sixtus V.* ante Felix Peretus, Picenus,
CCXXXIV. obſcuri generis, Minorita Conuentualis,
1585 per omnes Ordinis & Eccleſiæ gradus per-
*24. Apr.* uenit ad ſummum. Seueriſſimis edictis in
*Securitati publica proſpicit. Vrbem ornat.* graſſatores, & in præfectos etiam, qui eos impunè graſſari ſinerent, Italiam pacatiſſimam reddidit. Vrbem ſtratis vis, conſtructis ędificiis, columnis & obeliſcis re-

teribus reſtitutis inſigniter exornauit. Henricum Nauarræ Regem, & Principem Condeum, ob hæreſim ſacris motos, indignos qui regnarent vnquam in Galliâ dixit. Catholicorum & Guiſiorum cauſam in Galliis, approbatâ promotâque Ligâ, vltra modum fouiſſe dicitur. Regem Henricum III. ob cæſos Guiſios in cenſuras delapſum, abſolui ante vetuit, quàm Cardinalis Borbonius, & alij eſſent dimiſſi. Vt Epiſcopi certis temporibus ſaltem per nuncios, ſuæ adminiſtrationis rationem Papæ redderent, edixit. Modum quo poſthac Cardinales eſſent eligendi preſcripſit. At ſuprema Pontificum authoritas modum talem neſcit. Fulienſium, Miniſtrantium infirmis, Minorum Exalceatorum, Clericorum Minorum Congregationes approbauit. D. Bonauenturam ſacris Eccleſiæ Doctoribus accenſuit. Elizabethâ Anglà iterum abdicatâ, Philippum Hiſpaniæ Regem ad eius inuadendum regnum accendit. Liberaliſſimus fuit in pauperes: & amplâ ad puellarum dotem, & captiuorum libertatem congeſtâ pecuniâ exceſſit, an. Pontif. 5. m. 4. d. 3.

*Ligam f. uet.*

1590 27 *Aug.*

*Vrbanus VII.* antea, Ioan. Bapt. Caſtanea Romanus 13. ab electione die pijſſimè excedens locum fecit Nicolao Sfondrato Mediolanenſi ſub nomine *Gregorij* XIV. Hic partes Catholicorum in Galliâ pecuniarum & copiarum ſubſidio iuuit, intentatis in eos Diris, qui pro Henrico Nauarro ſtarent. Cardinalibus Religioſis hactenus pileo coloris habitus Monaſtici vſis, vſum pilei Rubri indulſit. Pijſſimè demum

*Vrb. VII.* CCXXXV. 1590 *15. Sept.* *Greg. XIV.* CCXXXVI. 1590 *15. Dec.*

*Innoc. IX. CCXXXVII. 1591 & 29. Octob.* excedens m. 10. & d. 10. Pontificatus locum fecit ad duos Menſes Innocentio IX. qui antea vocabatur Ioan. Anton. Fachinetus Bononienſis.

*Clemens VIII. CCXXXIX. 1592 10. Ian.* *Clemens VIII.* antea Hypolitus Aldobrandinus Florentinus Innocentio ſuffectus, à Deo ipſo in conclaui, enixè petijt, ne ſe id oneris ſubire ſineret, ſi ad Eccleſiæ gloriam futurum non proſpiceret. Vt cognatis ſpem creſcendi ex Eccleſiæ damnis præcideret; quod Pius V. de non diſtrahendis Eccleſiæ oppidis, & Sixtus V. de non extrahendis ex Hadriani mole pecuniis ſanxerant, confirmauit. Nec id in ſpeciem tantum, *Ferraria Eccleſiæ reſtituitur.* cum breui poſt Ferrariam Eccleſiæ aſſeruerit, ibique duo inter Auſtriacos Germanos Hiſpanoſque matrimonia celebrauerit. Nec minori Galliam beneficio ſibi deuinxit. Licet enim primò ab Henrico Rege alienum ſe prodidiſſet, eiuſque, etiam poſt eiuratam hæreſim Legatos Cardinalem Gondium, & Ducem Niuernenſem agnoſcere negaſſet, poſtea tamen Perronio & Oſſato agentibus, cum Catholicum agnouit, *Francis æquus.* quem iam Galli præſules ſacris reddiderant. Nec diu poſt, ipſum ad pacem cum Hiſpaniæ Rege per Cardinalem Mediceum flexit. Arbiter ex voto partium, Franciæ ne an Sabaudiæ principibus Salutiæ deberentur, vbi ſuam in dubium integritatem vocari didicit, *Zelus.* quaſi ditionem illam ſuo Nepoti vellet à Victore dari, eam à ſe curam ablegauit. Romanæ vrbis Eccleſias, cœnobia, Xenodochia, ipſe per ſe, eximio pietatis ſenſu obiens, exemplis etiam, & non

tantum monitis ad Apoſtolicam ſollicitudinem inferioribus Epiſcopis præiuit. Carmelitis Excalceatis indulſit, vt non tantum ſpeciales Prouinciales haberent, ſed etiam proprium Generalem. Vt Auenione Doctrinæ Chriſtianæ Congregatio Authore Cæſare de Bus erigeretur, conſtituit. A Moſcouitis, Ruſſis, Lithuanis, Ægyptijs Legatos accepit. Seminariorum quæ pluribi Gregorius XIII. conſtituerat, alumnos per literas, & oblatas etiam Indulgentias ad pietatem & ſtudia hortatus eſt. Ne Anno Iubilei, peregrini temporali etiam indulgentiâ fruſtrarentur liberaliſſimè prouidit. Beatos Hiancyntum & Raymundum pro Diuis palam haberi voluit. 40. horârum preces, quæ à templo in templum tranſlatæ toto anno non deficerent, Romæ inſtituit. Vt placita de Auxilijs diuinæ gratiæ iuxta mentem S. Auguſtini ſtatuerentur in Congregationibus ad hoc habitis, ſcripto etiam libello præſcripſit. Sed interea pijſſimè decedens, an. ſedis 13. m. 1. an auxilia eſſent per ſe efficacia ſine libertatis damno ſicut determinaturus dicebatur, in cœlis ſine nube vidit.

*Doctrina Chriſtiana Congregatio.*

*1065 3. Martij*

# FLORI CHRISTIANI LIBER DVODECIMVS.

## CAPVT PRIMVM.

*Viceſima-quarta in Fidem hæreſis Lutheranorum; & de ipſorum ortu.*

EX Mamaluchorum excidio, inualeſcentibus Turcis Chriſtianorum timor inualuit. Quid enim Chriſtiani non paueant, à Mahometano, qui nec Mahometanis pepercerat? Cauendo periculo nihil efficacius viſum Leoni Pontif. quàm ſi ærarium impleretur. Victoriæ quippe gradus primus, prouidere de bello in tempore; quamquam à Deo magis Chriſtiani, de Chriſti hoſtibus, eam ſperare debent; quàm à ſuis viribus. Nullo autem meliùs exoratur Deus, quàm innocentiâ: Hinc ſacræ *Indulgentiæ*, cum alibi, tum in Germaniâ promulgatæ: vt dum cæleſtes opes populi terrenis mutant, & proui-

*Occaſio.*

deretur ærario, & innocentia quæreretur. At ô Dei arcana! vertit in damnum cautio: quæ parandis in hoſtem præſidiis facta ſunt, nouos hoſtes pepererunt; & dum proſpicitur, ne Turca præualeat in finibus, editur in ſinu monſtrum in quo multos Mahometes iure credas. Fuit hic *Martinus Lutherus*, Auguſtinianus Monachus, Iſlebię in Saxoniâ genitus, dubium an ab Incubo; certè, ipſius teſtimonio, Dæmonis conuictor. Occaſio, vt dicebam, nata ex Indulgentiis, an ex auaritiâ, & ſuperbiâ? Cum enim Stanpicius Auguſtinianorum in Germania pręfectus, in iis promulgandis Dominicanos ab Alberto Moguntino Pręſule, Pontificis ad hoc Vicario, ſuis, quibus id honoris deferri conſueuerat, antehabitos infremeret; Lutherum ſui, præ rabie, non benè compotem in Æmulos laxauit, & per eius Concionum flabra, tantum excitauit incendium, vt glaciales tractus totos corripuerit. Effræni furię faciebat audaciam; quòd in Indulgentiarum præconibus erat, quod etiam pij reprehenderent. In ea fabula eò diligentius inſtitit hiſtrio cucullatus, quod eam curioſis, & nouorum auidis, ad ſtomachum eſſe nouit. Quærebatur & ei gratia ex ſcommatis in Eccleſiæ miniſtros, quos ſuo parùm dignos eſſe gradu, certum erat. Simul de Indulgentiarum vi, poteſtate Pontificis, ignis expiatorij veritate, & ſimilibus, theſes in publicum datæ: Vt ſub eruendæ veritatis ſpecie, veritas conuelleretur. Nec Tzeſtio & Syluestro Dominicanis, aut Ekio profuit inſurrexiſſe in improbum, niſi vt irritarent. An Ekius ab eo & Carol-

1517 *Lutherus.*

*Eius pu-blice cum eo diſputat.* ſtadio publicà diſputatione Lipſiæ conuictis, pœnitentiam ſperaret, qui Dei cauſâ non ſe adiiſſe aleam, inter diſceptandum palam dixit. Quid quòd eum nullis rationibus Caietanus Cardinalis, & Miltitius Pontificis Legati ad pacis conſilia flectere potuerunt? Legatorum nempe dictis ille acquieſceret, qui Pontificem ipſum diu verbo tenus pro Dei Vicario habitum, tanquam Antichriſtum ſcriptis proſcidit? Nec Imperatori Carolo pepercit à quo fide publica Vuormatiam accitus erat, vt ſi quid adhuc remedij ſupereſſet, vlcus ſanaretur. Quid ſupererat, niſi vt hominem peſtiferum ejiceret ab Eccleſia Leo decreto, & Carolus ab Imperio, edicto? Vt qui ſępe monitus ſanari noluerat, tandem caſtigatus periret. Quamquam vulgò creditum, magis ex re futurum, ſi iam tum ab initio, ab eo fuiſſet expreſſum ſilentium, concionatorum ſilentio: aut certè in peruicacem actum ſeue ius fuiſſet. Debuit ſtatim, nec in vmbrâ ſolum, impius perdi, vt pij non perderentur. Salua erat in Eccleſiâ vnitas, ſi vnus ſeriò, & citò periiſſet.

1518 (margin beside "tanus Cardinalis")

*Vir pertinax.*

1520 (margin beside "Vt qui ſępe")

*Damnatur.*

## CAPVT II.

### *De Lutheranorum progreſſu & Lutheri fine.*

1520 AD Anathematis pœnam atrociùs infremens immanis bellua, eius ſeu remedium ſeu ſolatium ab audaciori ſcelere quęſiuit; Pontificis diplomate, Iuriſque canonici libris publicè incenſis, & inauditâ proteruiâ in Pontificem, Cardinales, Pręſules, Do-

ctores

ctores ſanctos, & ſacra quæque per ſatyras debacchatus. Nimirùm vt ex auſu ſatanico, in manus ſatanæ verè traditus noſceretur. At in meram & inanem ſpumam deſiiſſet ille furor, ni ei in Vuartbergenſis arcis Azylum abdito Fridericus Elector Saxoniæ præſidio fuiſſet. Arx illa Euangeliſtæ nouo *Pathmos* fuit. In eà cum ſuo Angelo, puta Cacodæmone, (cuius ſe rationibus inductum ad abolendam Miſſam ſcripſit) ſæpius collocutus, nouam Apocalypſim vidit. Proh, quot in ea iniquitatis myſteria nouit, & prodidit? In *Euchariſtia cum Chriſti adorando corpore panem voluit: Calicis copiam laicis fecit, inter Sacerdotes & baptizatos diſcrimen non poſuit: abiecto pænitentiæ ſacramento, fidem vnam vel operum vacuam ſatis eſſe ad ſalutem dixit. Traditionum vi negatâ, ſacra Biblia, è quibus libros aliquot expunxit, alios interpretationibus impiis violauit, credendi vnicam normam eſſe docuit. Damnauit etiam homo venereus continentiæ vota*: nam qui abjectis ieiuniorum ritibus, Cereri & Bacho litari voluerat, quid Veneri parceret? Hinc effracta paſſim Monaſteria, & ad obſcœnum commercium, præeunte omnibus Carolſtadio Vuitembergenſi Archidiacono, ab vtriuſque ſexus hominibus, cœnobitica vincula, coniugalibus mutata. Hinc facilius Proceribus in ſacras opes ius attributum. Magiſter in hoc felix. Mirùm quam dociles Auditores habuit. Inde verò quæ non conflagrarunt incendia? quæ ſacrilegia non proruperunt? quando eiectis paſſim Sacerdotibus, & Cœnobitis, ſacræ opes ce-

*Lutheri veſania.*

1521

*Hæreſes.*

debant in cenſum, & luxum Principum. At nec procerum, ſi qui minùs aſſentiebantur impio, reuerentior. Hos ſæpe veritatis hoſtes, fidei & dignitatis transfugas, Turcas baptizatos, indignos qui præeſſent,
1521 quibus pareretur, tanquam de plauſtro inclamauit. Hinc *Ruſticorum* turbæ, & *Enthuziaſtarum* veſania; quibus inter flammas & ſuorum ſanguinem Germania fluctuans in eo fuit, vt tam triſti conflagraret incendio, quàm naufragio mergeretur. His per populos euulgandis cum ſolus non ſufficeret, Apoſtolos è Cœnobiorum præſertim purgamentis, allegit. Quos enim potius Eccleſiæ Lutheranæ, ac Epicurçæ propagatores eſſe oportuit, quàm excucullatos Apoſtatas; & pecudes Veneri ventrique mancipatas? Tales Pomeranus, Peucer;, Bucer, Iſlebius, Ionas, & ſimilium grex numeroſus. Ab illis Melancthonem ſepoſui; quia tametſi patriarchæ in deliciis, aliis tamen longè verecundior fuit: nec partibus ad mortem hæſit: niſi quia puduit ſenem damnare, quæ iunior defenderat. Carolſtadium verò audaciorem, quàm pro diſcipulo, è ſuorum albo ipſe expunxit: nec dignitatis ſuæ putauit eum apud ſe pati, qui iniuſſu ſuo disiectis Vuitembergæ imaginibus, parùm Euangelicos dicebat, qui victum non pararent in ſudore vultus; & perſuaſo Melancthone piſtorem agere, ad aratrum ſe ipſe demiſerat. Nec Apoſtoli tantum fuere in partibus, qui populos Euangelij noui ſucco imbuerent, ſed principes etiam qui Apoſtolos tuerentur. Hi fuere Saxoniæ, Haſſiæ,

*Turba & ſtrages.*

*Diſcipuli primarij.*

*Proceres.*

Brandeburgi Principes & alij; qui & numero, & potentiâ, & inito pluries inter ſe fœdere, & audacibus ad omnia Cæſaris decreta proteſtationibus (*Inde Proteſtantes*) tam vel ipſi Cæſari metum facerent, quàm *Patriarchæ* nouo audaciam. Dementes! quibus ita vnus *Enthuſiaſta* placuit, vt à totius orbis conſenſu diuelli maluerint; quàm ab ipſius ſenſu. Ab infami ſaltem eius obitu reſipuiſſent; quem viuum ad inſaniam fouerant: deceſſit enim tandem aliquando Iſlebij lautè cœnatus, ex apoplexià, digna orco victima. Qui exequias celebrauerint nemo veriùs dixerit, quàm dæmon qui interfuit, & pompæ pars fuit: interrogatus enim cur quietam aliquandiu puellam in Belgio paſſus eſſet, adfuiſſe tùm ſe funereo Lutheri ſacro reſpondit. Nec eius iſta morientis ad Ionam diſcipulum, & Encomiaſtam verba diſſentiunt. Orate, inquit, *pro Domino Deo noſtro, vt ei benè ſuccedat, quia Concilium Tridenti, & abominabilis Papa ei aduerſantur.* Quis enim orandum eſſe pro Deo ſentiat, niſi qui Deum non credit, & Dæmonis in cenſu eſt?

*Scamaldi.* 1546 *Mors.*

## CAPVT III.

## *Lutheranis Pax indulta, & violata.*

INter hæc ſuos etiam vindices habuit Eccleſia, qui & libellis rem ſuam agerent; & ſi neceſſitas cogeret, bellis. Inter priores fuere tum Academiæ Nobiles, Colonienſis, Pariſina, & aliæ: tum Academiarum decora, Ekius, Colchæus, Clictoueus, Roffenſis & alij. Red ſupra omnes eminuit Do- *Vindices fidei.*

ctor diadematus Henricus Angliæ Rex, qui cum ferri cuſpide monſtrum procul allatrans configere non poſſet, ſtylo confecit,
1521 meritus inde in perpetuum à Leone Pont. *Defenſoris fidei elogium.* O quàm breui duraturum! Nec minùs, pro ſacris, ſtudij iu Cæſare, Ferdinando fratre; & multis aliis Germaniæ proceribus: qui de non deſerendis, atque etiam pro virili tuendis Eccleſiæ placitis, ſibi inuicem, & Deo ſacramentum Auguſtæ dixerunt. Actum ſæpe tamen de concordiâ, ut inteſtinis ſopitis motibus, in Turcam Pannonias tum maximè lacerantem, vires iungerentur. At cum perduellibus nulla pax probaretur, Norembergi tandem indultum, vt donec haberetur Concilium, nulli ſua religio fraudi eſſet: & *Confeſsio Auguſtana*, quam nouum qua-
1544 ſi Euangelium Melanctho procuderat, permitteretur. Additum poſtea, vt ſacrilegis præda è ſacris tuta eſſet; & Lutherani in Spirenſium Senatorum numerum adſcriberentur. Sic vltro impiis indulta multa, ne per vim plura exprimerent; & in plurimis diſſimulata impietas, ne proſerperet in omnes. Nec dum tamen quies; quippe dum quæ meruerant impij recolunt, ex animo data quæ acceperant, non credunt: Nec à Cæſare & Catholicis amari ſe, bonâ fide, putant, quos ſciunt ſe odiſſe. Hinc ad præſidium renouatum ſæpe *Smacaldicum* fœdus, ad ſocietatem ſollicitati Heluetij, Angli, & Franci; & qui tot nefaria patrauerant, proſpicere per quæ tuerentur. Auſi etiam Henricum Brunſuici Comitem ditio-

*Lutheranis multa indulta.*

ne ſuà eiicere; & quamuis iuberet Cæſar, & *Aliena*
Spirenſis Senatus decerneret, non reuocare: *inuadūt.*
quid enim curarent leges hominum, qui
ſuam vim diuinis abſtulerant? Vbi legum
formulis parùm proficit Henricus, Armis, 1545
quę principum optima ratio, agit: nempe,
vt ab hoſtibus, vnà cum Carolo filio, in acie
captus, ſe quoque perderet, non modò ſua.
Quamquam periiſſe ei demùm ſaluti fuit:
prodiit enim inde bellum, quo perduelles
tandem acti ſunt ad pacem.

## CAPVT IV.

### *Primum bellum Proteſtantium.*

VVlgare facinus erat Proteſtantibus, Imperij Principem excuſſiſſe ſolio, & libertate exuiſſe: idem in ipſum Imperatorem conati, attentauere palmarium; & clam collectis centum circiter bellatorum millibus factum accelerant, quod approbari non poſſe ſciunt, niſi perfectum. At nouis Titanibus mentem Deus abſtulit, qui à Dei cultu mentem ipſi abduxerant. Nam cum imparatum Cæſarem Ratiſbonæ poſſent intercipere; admonere maluerunt miſſo Lanzathum, in Bauarià, feciali, qui bellum indiceret: eumque jam tum prouocatorio in ſyngrapho *Caroli dumtaxat Gandauenſis* titulo inſignitum, quaſi abdicatum declararet. 1546 Non minus contemptu, quàm perfidià rebellium exaſperatus Cæſar, ex Italià, Belgio, Germanià, Veteranos, ad quinginta millia acciuit, & Albano Duce, ſic eos Bauarià totà, quam velut *Bellum indicitur Cæſari.*

arenam belli inſederant, egit, vt nullo loco paſſus conſiſtere, fame, laſſitudine, impatientiâ, magis quam ferro diſſipauerit. Incruenta victoria pacem reduxerat, ſi eâ Carolus verè Victor, nec poſthac precarius Imperator à rebellibus potuiſſet agnoſci: quamquam non reſtitit Saxo, niſi vt qui ante ſine pugnâ fugerat; nunc pugnâ frangeretur. Eum enim, recuperatâ ditione, quam Ferdinandus frater Caroli & Mauritius Saxonicus, qui quamuis Lutheranus ſtabat à Cæſare, penè totam ſubegerat, exultantem, ad Albim prope Mulbergum magnâ clade Carolus perculſum in manu habuit. Victoriam magis à Deo datam, quàm partam à milite Victor profeſſus, dictum Cæſareum ad rem piiſſimè aptauit; *Veni, vidi, Deus vicit.* Quidni verò, cum ad noui Ioſues pugnam ſtetiſſe aliquandiu ſolem; & auxiliarem de cælo militiam in aëre viſam eſſe; fama diuulgauerit? Id ſanè pius Imperator meruerat, quando ad Crucifixi imaginem, prope ripam, jaculis impiorum transfixam inardeſcens, *Fac* inquit, *ô Deus optime, vt tuam hodie iniuriam vlciſcar:* voluiſſe pro re fuit. Captiuus Elector, ditionum & dignitatis pretio, quæ Mauritio collata ſunt, vitam redemit. Langrauius qui ad euentum hærens pependerat: experiri voluit, an tam parcere Cæſar ſciret, quàm vincere. Cuſtodiç traditus eſt. At inde noui belli occaſio, & hæreſeos ad vltima iam redactæ inſtauratio. Dum enim Captiuum, contra pacta detinet, quaſi non eum omnino carceris, ſed tantum perpetui pœna exem-

*Rebelles diſſipantur.*

1547 *Saxo vincitur & capitur.*

*Langrauius captiuus.*

ptorum, ſub Germanicæ vocis ambiguitate promiſiſſet, & in hoc trophæo victoriam ſuam Germanis quaſi exprobrat, nouo bello dat anſam, quo Mauritius Elector Saxoniæ, & Ioachimus Albertus Brandeburgicus, quos vafra Cæſaris interpretatio alienauerat, Henrici Franciæ Regis freti ſubſidio, fractarum partium reliquias colligunt; Germaniam vaſtant, & inermem Cæſarem Æniponti tantùm non capiunt. Elapſus tamen, Paſſauij pacem emit, dimiſſo Langrauio, profitendæ ſectæ facta cuique copia, & *Interim* reuocato. Formula hæc erat fidei *Luthero-Catholica*, & *Politico-Chriſtiana*, quam ex concordiæ & pietatis ſtudio, Cæſar condiderat, donec aliter à Synodo eſſet ſtatutum. In eâ laicis Calicis venia indulta, dum in aliis ab auità fide non diſcederent, non hæreticos ſolum, ſed Catholicos etiam à ſe alienauerat, nec fecerat inter ſe concordes. Quam pacem expreſſerat amare non potuit Albertus; quia bellum non fecerat propter ipſam, ſed propter latrocinia. At proſcriptus à Cæſare, & à Mauritio fractus, nec in ſuis viuere potuit; qui tam ferociter alienis inhiauerat. Felix pugna, quà victus concidit, nec victor euaſit: debuit enim & hîc perire miſerè, qui fidei transfuga, & à ſuo Principe, de ſe magnificè merito deficiens, hæreſim ab interitu vindicaverat. Occupata tum quidem ab Henrico Galliæ Rege Meta, Virdunum, & Tullum, ſed tria oppida, quot exercituum ſtrage? quot Prouinciarum excidio vindicata? Quando hæreſis redditum

*Inde bellum.*

1552

*Interim.*

1548

*Nouum bellum.*

1553

ſibi tùm virus & robur, in Gallias poſteà effudit. Adeo crudelis eſt in ſe, & ſuos, qui malis eſt miſericors!

## CAPVT V.

### *Lutheranorum inter ſe diſsidia.*

Diuinæ deſertor militiæ Lutherus deſertores & ipſe ſuæ paſſus eſt: non qui redirent ad Deum; ſed qui Dæmoni, ſuo marte militarent. Nouus hic Nembrod, à veritate quæ ſemper eſt eadem, ſuam aberrare Doctrinam, vel eò debuit intelligere, quòd eius profeſſores primarij, vt Babelis Architecti, nec loquerentur conſona, nec eadem ſentirent: niſi quòd omnes in cælum nouam molē attollerent. Inter eos præcipui fuere *Sacramentarij* & *Anabaptiſtæ*, quibus ſuus ſeorſim dabitur locus. Nec quibus manſit à Luthero nomen, conſenſus certior: vt & iſti ab Eccleſià ſe alienos cognoſcerent, quæ nulla eſt, ſi varia, & multiplex. Primum diſſidium fuit à Philippo Melanctone, qui verbo & ſcriptis proceres & Eccleſias Saxonicas hortatus, ne ſacras veſtes, Latinos cantus, & receptos Eccleſiæ Romanæ ritus abiicerent, condidit *Molles Lutheranos*: Qui & *Semilutherani*, & *Adiaphoriſtæ*, & à libro *Confeſsionis*, quem Auguſtæ, gregalium nomine, Imperatori obtulit, *Confeſsioniſtæ* dicti. Accreuit iſtis numerus ex *Interim Cæſareo*: Nam qui à ritibus Catholicis alieni nonadmodum erant, à Principe Catholicæ Fidei formulam *Politico-Chriſtianam* facilè admiſerunt. Inter iſtos & alios

1525 & 27

*Molles Lutherani.*

*Interimiſtæ.*

alios Lutheranos, qui *Rigidi* audierunt, bellum *Adiaphoriſticum* ſeu *Interimiſticum* per verba & ſcripta tam pertinaciter deſæuiit, vt poſt Aldemburgenſe de pace colloquium, *Molles* ſibi ſcriptis *Lutheri*, Rigidi, *Melanctonis* tamquam *excratorum*, interdixerint. Quid verò mirum, inter primaria *monſtri* membra non fuiſſe concordiam, cùm nec ipſis ſeorſum membris pax fuerit: & noua ex ſe naſci non iam membra, ſed fruſta inhorruerint? Proh quàm informia! quàm multa! Ex *Rigidis Secta quatuordecim prodiêre*: omnibus grande nomen fecit author ſub Luthero præcipuus *Matthias Illiricus*, ex enormi *Centuriarum* opere; an mendaciorũ? In eo enim vix vſpiam veritati locus; ex Authoris arte, qui eam toties aduerſam ſenſit, quoties obuiam habuit. *Molles* verò *in decem Ramos præcipuos dicuntur diſciſſi*: quippe Author eorum, verè *Protheus* & nunquam idem, ſuam *Confeſſionem* toties nouam fecit, quoties in manus ſumpſit. Bene Cothurnus, & omnium pedum calceus ab aduerſariis, etiam cognatis dicta. Mitto *Extrauagantes*, & liberioris Sacramenti illis in caſtris milites; qui in ſeptem præterea diuerſi nominis Ordines diſciſſi, numero ſaltem, ſi minùs nomine, aut ſenſu Ductoris ſe venditarunt.

*Rigidi Lutherani.*

1568

*Centuriator.*

## CAPVT VI.

### *Viceſima quinta in Fidem hereſis de Anabaptiſtis.*

EX Lutheranis procuderunt *Anabaptiſtas* Pacimontanus, Storchius, Mung-

zerus, & alij, labore facili. Quid enim pronius, quàm ex impiis facere impios? Eos tamen vt ſpurios abiecit *Patriarcha Saxonicus*; quod parum morigeros experiretur. At illi etſi renouato *Millenariorum* delirio, & *permiſſo tantùm adultis Baptiſmate; quod etiam apud ſe tantum ad ſalutem prodeſſe volebant*, ab ipſo defeciſſent; per ſordes tamen, cædes & incendia, eo poſtea prodidêre ſe dignos. Nam *Ruſtici* paſſim Germani à primariis ſectæ ducibus per mētitos afflatus deluſi, ſpe immunitatum, ad impia quæque, & atrocia licentiam ſibi fecerunt. Heu quà tum rerum facie Germania inhorruit! Per fanaticos illos direptis, ac disiectis Nobilium arcibus, contrucidatis proceribus, cœnobiis exciſis. Ibat vlteriùs malum; ni Nobiles ad ſuum publicumque diſcrimen exciti, incendiariorum hujuſmodi centum & quinquaginta millibus contrucidatis, & quas fecerant iniuritias vindicaſſent, & quas facturi erant præuertiſſent. In turbà Muntzerus obiit, qui ſupra viuus eminuerat, & intra pectus glandes plumbeas excepit, qui vt ſuis clade perterritis animos redderet; eas ſe excepturum innoxiè, & ſeruaturum in manica iactauerat. Non tamen ſic tum evulſum infauſtum germen, vt non ſuperfuerit in quod dolabræ Catholicæ diſtringerentur. Nam ab Heluetiâ, quò ramos diffuderat, per cognatos etiam Sacramentarios eliminatum, in Auſtriâ radices egit, promoto in Regem *Auguſtino Boder*, qui vagum, & ambulatorium Imperium adminiſtraret. At imagi-

*Ruſticorum turba in Germania.*

1525

*Veſana præſidentia.*

*In Auſtria.*

nario excuſſus ſolio Rex ſcenicus; vix tum 1534
Regem animo exuit, cùm per cruciatus, hominem. Non diu poſt *Rothmannus* fabriferrarij filius, *Ioannes Mathias*; piſtor, Ioannes Bocoldus ſartor, & ſimilis farinæ alij, pulſis *Monaſterio* Lutheranis, qui paulò antè præſulem, & Catholicos pepulerant, novum Imperium excitarunt. Regiâ nimirùm digni ſellâ, ſellurarij opifices, ſi quibus imperauerunt, æſtimentur. Quis enim aptius ſordidam latronum fæcem regat, quàm ſordidi nebulones? Ioanni Mathiæ, cui ſuæ gentis primò idem annus & ſceptrum dedit & abſtulit; in eruptione quadam cæſo ſuffectus Bocoldus eſt. Hic vt 1534
iuſtitiam, à qua ſibi nomen induit, per orbem diffunderet, viginti Apoſtolos conſecrauit; &, ſi Diis placet, eorum intra os efflato ſpiritu, Deo impleuit. Quis Enthuſiaſtæ dementiam non rideat? qui tum noua cogitabat Imperia, & dynaſtias aulicis pollicebatur, cùm in manus ipſe præſulis venit: & qui diù enectam fame plebem inani auxiliorum ſpe pauerat, per vera ipſe ſupplicia, læſi præſulis iracundiam ſatiauit. Nec dum tamen deſiere Fanatici, in Belgio, & Germaniâ Regna ſomniare; qui tot exturbatos, non inani caſu, ex inani ſolio Reges viderant: nimirùm quos ſemel Deus in ſcelerum pœnam excæcauit, à ſuis Apoſtolis fallacias dici, ſentire poſſunt; fallaces eſſe, credere non poſſunt.

*Anabaptiſtarum Regnum Monaſterij.*

*Excidium.*

## CAPVT VII.

### *Hæreſis in Sueciam propagata.*

VIx dum bené Saxoniam Lutherana peſtis afflauerat, cùm iam Borealia quæque lutherizabant. Adeò facilis eſt malorum propagatio! In Sueciam autem, eam
1523 deportauit *Olaus* quidam Strengenenſis Eccleſiæ Diaconus; qui adducto ad impietatis conſortium Laurentio Archidiacono, Guſtauum Regem infecit, vt ab ſpe Regni cæleſtis excideret, ex quo terrenum inuaſerat. *Rex Sueciæ Lutheranus.* Saluus erat Princeps, cætera non malus, ſi vnà cum Sueciæ proceribus, Danici Lictoris gladio periiſſet. Quando Chriſtierni
1518. Regis perfidiâ, vnà cum multis Sueciæ proceribus, qui eius Stocolmi obſidionem ſoluere compulſi ſe fidei commiſerant, in Daniam abductus eſt; nec enim ſpecie venationis euaſit, niſi vt infeciliùs periret, & cum ipſo Regnum. *Hæreſis ſtabilitur* Obluctati quidem aliquandiu, Ioannes Legatus, & Regni Primas; ſed quo fructu? in Regno vbi non alia tum
1527 lex, non alia æquitas, quàm Regis iniqui libido. Hinc publico comitiorum aſſenſu, ſtabilita Hæreſis; Præſules exauctorati, & ſacræ opes Fiſco addictæ. Patris, anno huius ſæculi ſexageſimo defuncti impietatem emendare conatus eſt Ioannes filius, & Fratris Ericonis octennio poſt ob Tyrannidem è ſolio ad Carcerem detruſi ſucceſſor, reſtauratis pluribi Eccleſiis, & filio Sigiſmundo Romanis ritibus imbuto. Ipſe ex Poſſeuini Ieſuitæ illas ad gentes Gregorij XIII. & Clementis VIII. Legati conſilio, vt

vberiori fructu Catholicum ſe palam proderet; clam eſſe interea ſatis habuit. Acreſcebat ſpes ex Sigiſmundo, ad Poloniæ ſolium interea promoto. Quid enim pij ſibi non ſpondeaut; cum nouo Regno pium Principem auctũ vident? At, ô Dei arcena! non viſa pio Principi acceſſiſſe Polonia; niſi, vt ipſi, atque etiam Deo Suecia ſubtraheretur. Quippe in locum defuncti patris, admiſſus non eſt, niſi precariò: propè fuit, vt dicerem impiè: cum non ante, à Lutherano Vpſalæ Præſule coronam acceperit, quàm non paſſurum ſe aliam, quàm Lutheranam fidem, promiſiſſet. Verùm ad iniquas tùm leges inuitus non acquieuit; niſi vt eas æquiori tempore ſolueret. Iurante linguâ, injuratus animus fuit. Nec putauit impium, impietatis ſe vindicem verbo promittere, dum non corde, & faciliùs inde, pietatem promoueret. Aliorſum tamen cecidere vota: Nam reverſo in Poloniam Rege, Carolo ipſius patruo, Regni primum regimen, tum regium nomen audaci perfidiâ rebelles detulerunt; cùm antea Regem ipſum, qui, vt rebellionis vltima præuerteret, acceſſerat, repuliſſent. Sic ſuo ſubtracta Regi, cæloque Suecia, Tyranno Ereboque acceſſit. Dicas Deum populorum in ſe cultum deberi perjurio, aut ſimulationi noluiſſe: Adeò non iis artibus nititur, & creſcit Imperium diuinum; quibus humanum.

*1587*

*Iniquum juſiurandum.*

*1595 Rex verus eiectus à patruo.*

## CAPVT VIII.
## Hæreſis in Daniam, Pruſsiam & vicina propagata.

QVo tempore in Sueciam, eodem in Daniam Hæreſis peruaſit: in vicina enim non ægrè ſerpit contagio. Nempè non credidit Chriſtiernus II. Rex, ſe mortalium inquinatiſſimum niſi ad cætera ſua vitia, hæreſim, quaſi pro coronide, adderet. Vt ei ob tyrannidem pulſo patruus Fridericus ſe planè ſuffectum oſtenderet, hæreſim
Hæreſis in Dania. 1523 etiam hauſit: eamque vnà cũ Regno in filium Chriſtiernum III. tranſmiſit. Hic repreſſis, qui eum nolebant in Regem, qui Chriſti Regnum exciſurus penitùs erat, Lutheranos præfecit Eccleſiis, quarum ante bona Fiſco addixerat. Nempè ne locupletes auaris crederet: Ac ne ſacrilegij occaſio nouis emendatoribus fieret, ſacrilegus ipſe fieri maluit. Ad id operis ſtrenuè allaborauit Bugenhagius Pomeranus, eò à Vvitember-
1537 genſi *Calipha* delegatus. In Pruſſiam quoque Ducalem, quæ Teutonicis Equitibus ſuberat; ſeſe peſtis effudit. Id ignominiæ Ordini ſacro inuſſit Albertus Brandebur-
Et in Pruſsia. 1525 gicus, ex ſupremo Magiſtro Dux factus & Vxoratus. Quippe vt Prouinciam, ſub Poloniæ clientelâ hæreditariam ſibi faceret, auitam fidem exuit, & vt Dorotheam Daniæ Regis filiam in ſponſam acciperet, fidem Chriſto & Deiparæ votorum nexu obligatam violauit. Nec à tabe tuta Polonia, Bohemia, Hungaria, & hæreditariæ omnes Auſtriacorum Prouinciæ: vt in omni

ſui parte Germania pœnas daret, quæ in vnicâ monſtrum ediderat, nec vt oportebat, tenerum eliſerat.

## CAPVT IX.
## *Vieeſimum-primum in Eccleſiam Schiſma Anglicanum.*

QVaſi parùm ab orbe reliquo Angliam diuideret interfluens Oceanus; eam maiori Schiſmatis diſſidio Henricus VIII. divulſit. Quæ in hoc antitheſis! vt idem eiuſdem Eccleſiæ defenſor, & transfuga, vindex & perſecutor factus, ętate præpoſterá, continens & maturus adoleſcens, 1528
vir effrenis & inſanus euaſerit! Ea nempé ſunt amoris impuri prodigia; in bruta tráſformat homines, & fabuloſus cęcus veros facit. Ex quo infandis Annæ Bolenæ flammis ardere cœpit, jam non Rex, ſed ſcorti mancipium, cum Catharinâ Arragoniâ, quam Arthuro fratri antea nuptam, ab vnde-viginti annis, cum veniâ Iulij II. duxerat, diuortium facere ſtatuit. Quaſi ex quo fratri nupſerat, nullâ eam veniâ ducere licuiſſet. Ad hoc quia nec Doctores Angli dedere ſuffragium, nec Cardinalis Cãpegius ob id in Angliam miſſus, nec Clemens VII. Pontif. aſſenſum; quippe Regina ſuę dignitatis iuriſque tenax & ſollicita, ut cænobio ſe addiceret, adduci non potuerat; à Doctoribus alienigenis ſuę cauſę patrocinium mercatus eſt. Et Thomam Cramnerum Cantuariæ Prę ſulem ipſe fecit, à quo impetraret. Quid enim indigni ab eo 1533
non ſperet, quem indigniſſimum ipſe fece-

*Occaſio ab amore impuro*

*Rex Bolenam pellicem ducit* rat? Sed quanti conſtitit inauſpicatum repudium? Ex eo enim Rex planè vxorius; ad ſextam coniugem duxit. Duas Bolenam & & Hauuardam, ob adulteria capite mulctauit: Vnam Cliuienſem, vt parùm illecebroſam & Lutheraniſmo infectam, dimiſit: Semeiram mors ſua, & Parram ipſius ignominioſæ ſorti eripuit. At quod luctuoſius, ex Regis cum ſponsâ diuortio, Regni cum Eccleſiâ diuortium ſecutum eſt. Quippe non ruit ex alto Princeps, quin populos vel caſu obruat, vel in caſum trahat. Ex ſchiſmate

1554 *In eum anathema.* aliquid labis Clementis nomini inuſtum dicunt: Vt qui ipſum præcipitatâ anathematis ſententiâ, (quam poſtea Paulus III. abdicationis ſolenni diplomate exaggerauit) ad extrema præcipitauerit. Fit enim ſæpè vt vnius morbi parùm tempeſtiuum remedium, gradus fiat ad grauiorem. Vt vt fuerit, inculcatum efficaciter tunc eſt, Reges meliùs cedendo corrigi, quàm æcdendo: & cùm de illis agitur, illud imprimis obſeruandum, *noli eſſe iuſtus nimiùm.* Ex eo enim Rex furens, vt ſe, & poſt anathema membrum Eccleſiæ probaret, caput eius in Regno

*Se dicit Eccleſiæ caput.* ſuo ſe dixit, ſacras opes fiſco addixit, & Monachis vel redire iuſſis ad ſæculum; vel paſ-

1538 ſim contrucidatis, vitam Monaſticam aboleuit. Auſus & in Cælites ferociam exercere, D. Thomam Cantuariæ quondam Præſulem ad formulam citatum, reum Majeſtatis dixit: Diuorumque albo expunxit, & ſacra eius lipſana igni conſumpſit. Id verò in ſola-

*Sæuit.* tium procerum, ſacri politicique ordinis, Fiſcheri Roffenſis præſulis, Thomæ Mori,

Gardineri, & aliorum, quibus caput auferri iuſſit, quòd ab ipſis caput Eccleſiæ non diceretur. Non potuerunt iſti de pœna queri, quæ Diuos inuoluerat. Nec illis ſunt ad pœnam iuncti, niſi vt iungerentur ad præmia: nec id eis gloriæ contigiſſe tyrannus negauit, quando morti proximus, ſe reum confeſſus eſt. Nam qui cum Eccleſiâ in gratiam redire cupiit, ab eâ ſe excidiſſe, & eius ob cauſam, multos occidiſſe, teſtatus eſt. Qui verò Mariam ex Catharinâ genitam hæredem, poſt Eduardum, ex Semeirâ procreatum, dixit, matrem eius verè ſponſam agnouit. Excruciabat etiam impium ſacrilegiorum & Monachorum memoria, ſed magis vt in anteceſſum erebi pœnas iam ferret, nouus Antiochus, quàm vt nouas pœnitentiâ euitaret. 1547 *Stimulis angitur moriens.*

## CAPVT X.

## *Anglia ſub Eduardo ad hæreſim pertracta, & à Maria ad Fidem reuocata.*

LAiclericalis inſtitutor Monarchiæ Henricus, à fidei læſæ vitio tutus non fuit, tametſi eam, præterquam in articulo primatiæ, & per Hæreticorum pœnas, immutari paſſus non ſit. At res eſt delicata fides, ſi vel in puncto violas, totam perimis: nec quam viuens innocentiam amiſerat, moriens redemit, iuſſis Tutoribus, vt Eduardum filium adhuc impuberem, Catholico ritu informarent. Non enim ipſe ſuo in lecto ſpirare citiùs deſijt, quàm hæreſis in toto Regno cœpit. Authores præcipui Dux Sommerſetenſis Regis Auunculus, & Cramuerus, vt

*Anglia hæretica.* ab eo imprimis hæreſis prodiret, à quo pręſertim ſchiſma eruperat. Hi Zuinglianâ peſte Regem tenerum infecerunt, vt à capite, per omnia membra virus faciliùs promanaret. Ob id acciti Petrus Martyr, Ochinus, Bucerus & alij, qui præficerentur Academiis, & ſacra promouerent. Si tamen abrogato ſacrificio, disjectis Sanctorum imaginibus, ritibus antiquis abolitis, & Præſulibus in cuſtodiam actis, ſacra vlla apud ipſos remanſerant. Auſi quidem Catholici, dum *Catholici ſperant.* politica inter Tutores diſſidia à ſacris abducebant animos, prouocare Hæreticos, ac publicâ diſputatione, tùm Oxoniç, tùm Cantabrigiæ peruincere; ſed non alio fructu, *Sed leui fructu.* niſi vt, conciliatis inter ſe Tutoribus, perſecutio ferociùs inualeſceret. At non impunè demùm Tyrannis fuit, qui vel mutuis conci-
1553 dere fraudibus, vel Mariæ, poſt Eduardum fratrem, rerum potitæ iuſtiſſimo Imperio. *Præualent ſub Maria.* Indigni enim quibus liceret eſſe tutis, ſub Catholicis Regibus, in Regno, quod totum, fide Catholicâ expunctâ, à fundamentis conuulſerant. Pœnitet tamen quòd tam triſte fatum Ioannam Graiam abſtulit. Nam & naſcendi ſorte, (erat ex ſtirpe Regiâ) & ingenij dotibus (erat literis ſupra ſexum imbuta,) & ſi tollas hæreſim, digna ſolio, ni Dudleio Northumbrio coniugi aſſenſa, digniori, nempe Mariæ, illud præripere voluiſſet. Excuſſis qui hæreſim inuexerant, & hæreticis alienigenis, ad triginta millia iuſ- *Primatia disjecta.* ſis excedere, ſtatim Primatiæ idolum disjectum eſt: ac Angli, petitâ in Comitiis veniâ, & per celebrem legationem Paulo IV. Pon-

tifici promiſſo obſequio, à Cardinali Polo Legato in gratiam Eccleſiæ recepti ſunt. Deníque à ſuis veluti cineribus paſſim reſurgebat Eccleſia, cùm nouus ecce ipſius caſus, ex Reginę caſu, ſpem fidelium in herbà abſtulit, diu non rediturам: Dicas non Henricum, aut Eduardum, qui ſe dicebant, Eccleſiæ *Caput* fuiſſe: ſed Mariam quæ ſe negabat, nam illis excuſſis reuixit Eccleſia, iſtà ſublatà interijt. Nec enim in Polo fiducia, qui eodem quo ipſa die obijt; nempe vt qui ſimul pugnauerant in hydram hęreſeos, ſimul triumpharent. Nec à Philippo Auſtriaco ſponſo & Hiſpaniæ Rege maius ſubſidium: Cùm enim ei mortuà coniuge ſine liberis, nihil fuerit in Anglià iuris, nihil etiam fuit authoritatis, quà ius Eccleſię poſſet ab impiis vindicare. 1558 *Mors Reginæ & Poli.*

## CAPVT XI.

## *Anglia ab Elizabetha in hæreſim retracta, & inde cædes fidelium.*

MAriam excepit Elizabetha, Henrici ex Bolenâ filia, tam digna parentibus ſoboles, quàm Mariæ indigna ſoror. Ipſius enim exoſa mores, ſupra illorum ſacrilegia iuit. Se quippe læſam à Pontifice Paulo IV. cauſata, quòd de ſuo ad Regnum iure, ob natalium impedimentum, ambigere viſus eſſet: malè tectum hactenus hæreſeos virus palam effudit; Anglicanæ ſe *Caput* Eccleſiæ, cum Parlamenti extorto ſuffragio profeſſa. Quaſi quemadmodum Regium, ita quoque Pontificium ius eſſet illic ad colum deuolutum. Inauditum prodigiū: vt fœmina, cui vix 1559 *Anglia rurſum Hæretica.*

*Regina caput Eccleſia.* per leges ſui arbitrium relinquitur, ſuprema Præſulum & ſacrorum arbitra fuerit. Nouæ dignitatis auſpicium Regina ſumpſit à Præſulum fermè omnium, qui etiam in Comitiis nouum monſtrum horruerant; abdicatione & cruciatu. Illis ſubſtituti noui, nam à Sacramentariis deficiens, cùm alios Eccleſiæ Romanæ ritus, tum Hierarchicum inter Sacrorum Miniſtros ordinem retineri voluit. *Sauit.* Poſthæc in eos inſtituta inquiſitio, & indictæ ſæpiùs mulctæ, qui 1570 nouum Idolum non adorarent. Inualuit immanitas, cùm à Pio V. per ſeueriſſimam ſententiam abdicata videri potuit iure in membra iniuriam vindicare, quam acceperat à Capite. Sed venit ad cumulum ferocia, quando claſſis, quam operoſo conatu Hiſpanus armauerat, poſt renouatam à Sixto V. abdicationis ſententiam, ſeu agitatione fluctuum, ſeu Draci, quem Carolo Hauuardo Anglorum Thalaſſiarchæ Vica-1588 rium Regina conſtituerat, audaciâ ſtragem in vndis paſſa eſt, quam in terras parauerat. At in eos ſæuitum atrociùs, qui Hoſpitiis Romæ, Rhemis, Duaci, & alibi ad exulantium perfugium inſtitutis præerant; aut qualicùmque cum ipſis commercio iuncti erant. Tentauere quidem Hauuardus Norfolciæ Dux, Percius Comes Northumbriæ, & alij ad Pij V. monita, & pios à patiendi neceſſitate, & impios à ſæuiendi licentiâ prohibere: At in ipſo conatu oppreſſi non ſuſtulere tyrannidem, ſed auxere. Qui per varia ſupplicia diuerſo prætextu interierunt, quis referat

Cùm enim piorum numerum augeret tollendo, & patiendi ſtudium excitaret, affligendo, nunquam deerant in quos crudelitatis aciem diſtringeret. E procerum ordine ſupra reliquos eminuere Thomas & Henricus Percij, Northumbriæ Comites, Philippus Hauuardus Arundeliæ Comes, Eduardus Ardernus, Ioannes Feltonus & alij, magis ſui purpurà ſanguinis, quàm ſplendore natalium illuſtres. Sacrum autem ordinem Campianus Briantius, Georgius Nicolai, & alij ſuæ mortis gloriâ illuſtrarunt. Illis quidem affiĉta ſunt proditionum crimina, vt mortis gloriam cauſa vitiaret; & quos nobilitabant per ſupplicia, per calumnias infamarent. At id illis cedebat in cumulum gloriæ, ad quam & per calumnias euadunt Chriſtiani. *Martyres*

## CAPVT XII.
## *Anglia à Iacobo & Carolo Regibus in hæreſi ſeruata, & inde pœna fidelium, & Regis cædes.*

NEc minùs tenax hæreſeos & ſæuitiæ Iacobus Elizabethæ ſuffectus, vt qui matrem fidei martyrem habuit, (fuit enim Mariæ Scotæ filius) martyres ipſe faceret: 1603
& ei filios crudelitate daret, cuius ſe filium impietate negauerat. Non videbat conflare ſe fulmen, quod in ipſum recideret. Nam quod nefas conſpirationis Catholicis, ex falſo, imputatum ſæpiùs eſt, ad occaſionem ſæuitiæ, hæretici demùm ex vero patrauerunt in Carolum eius filium: *Iacobus Rex ſæuit.*

vt orbi conſtaret, id generis facinora, poſſe fortè concipi à Catholicis nonnullis, quos vis opprimit, ſed non poſſe patrari niſi ab hæreticis. Occaſio fuit, quia Carolus ſui Regni Eccleſias in ritibus concordes facere voluit. At in hoc non magis eum Dei Vicarium habuere plurimi, quàm ipſe Papam. Scoti enim qui *Caluiniſtæ Puritani* erant,
1638 ne depromptos ex Lutheri officinâ ritus induant, obſequium exuunt, & ad arma conclamant, nam apud tales menſuram fidei arma faciunt, & hoc Religionem vocant, de Religione ſentire quod libet. Nemo charius fidei ſuæ experimentum dedit, vt qui & ſuum Regem pro ipsâ prodiderint, fugauerint, vexauerint, peremerint. Quippe dum vtrimque animi pruriunt, & ſuam quiſque fidem armis tuendam fremit, ac inter colloquia de pace, proditionum conſilia promouentur; Anglorum magna pars, Lutheranâ laruâ poſitâ, ad rebelles tranſijt. Inde Parlamenti habendi expreſſa copia,
1640 vt quam iam armis tentauerant authoritatem regiam, conſiliis labefactarent, & deinde poſt victoriam penitùs abolerent. Nam Rex fuſus acie, ſui vix benè arbiter, ac in Regno ſuo profugus, non euaſit ad
1647 Scotos, niſi vt ab eis in Anglorum rebellium manibus traderetur. O verè fortunæ ludum! trium modò Regnorum Principem, non tantùm excuſſum eſſe ſolio, ſed etiam ductum in carcerem, citatum ad formulam à ſubditis, morti addictum! ſic planè contigit, vt ſuos ipſe amicos non haberet, qui Dei per vexata ipſius membra, hoſtem ſe prodiderat.

*Diſſidia Anglicana pro Religione.*

*Rex Angliæ capite truncatum*

## CAPVT XIII.

### *De Puritanis.*

PVritani, qui in Anglicanæ Tragediæ theatro non poſtremas partes ſuſtinuerunt, ex eo habuere cognomen, quòd è Caluini diſciplina *puriſſimi* euaſiſſent: hoc eſt peſſimi: nam in malis, quod purum id peſſimum: iſti verò, hæreticos inter, adeo puri, vt nihil de veritate retinuerint. Nam ſupra cognatos auerſati Eccleſiam, putabant impium pietatem in ædibus profiteri, quæ ſacris Catholicis vſui fuiſſent. Et Eccleſiam iam tum ab Apoſtolorum æuo corruptam conteſtati, Patres omnes, vt ex eius commercio infectos, abjiciebant. Sed, quod doctrinæ caput & ſumma fuit, pium cenſebant, non ſolùm negare obſequium, ſed & vitam adimere Principibus, qui minùs eorum impietati acquieſcerent. Haud ægrè Anglorum etiam procerum animos, ad noua pronos, lues peruaſit. Hinc eis Reginam & in ſacris aſſeclas, quos *Anglopapiſtas* vocabant, per ſcripta, conciones & turbas, laceſſendi fiducia: ac in tantùm furor inualuit, vt nec edictis regiis, nec Epiſcopalibus Vvintgiphli Cantuarienſis monitis coërceri plenè potuerit. Quin & ex ſe arbor infauſta ſurculos protulit, qui ſe puriores, hoc eſt *peſſimis peiores* venditarent. Tales ſanè, ſi rem pendas ex nomine, qui ſe Vnctos dixerunt. Quid enim ſupra vel cogites? *Vnctus* enim *Chriſtus*. Nec illo ex cenſu eximas, qui ſe poſteà

*Hæreſes.* 1583 *Turbant.*

ad expurgandam etiam *Purorum* Eccleſiam miſſos mentiti, vel *Chriſtos* ſine ambiguo vt Haketus: vel miſericordiæ *Prophetas*, vt Copingerus: vel *Vindictæ*, vt Artinctonus, apud plebeculam venditabant.

*Pſeudo-Prophetæ.*

## CAPVT XIV.

### *Scotia in hæreſim pertracta.*

Haud ægrè poſt Angliam infecit Scotiam lues, ſed habitu diſſimili: Anglia enim Luthero propior, Scotia Caluino. Nouorum dogmatum præcones primi fuere Maſſenius piſtor; Harlaus ſartor; Douglaſſius, Knoxus & alij Cœnobiorum transfugæ. Hi corruptis primorum multorum animis, vt noua ſacra faciliùs intruderent, politica peruertunt, & à regimine amotà Reginà matre (nam filia in Galliis Franciſco Delphino nupſerat) Iacobum defuncti Regis Nothum, & ex Priore Sant-Andreano, Morauiæ Comitem, Regentem dicunt. Nempe vt per Spurios Spuria Religio in totam Inſulam propagaretur. Reuerſà autem, poſt mariti mortem, in Scotiam Reginà, adeo non ceſſatum à turbis & ſacrilegio; vt eius ob oculos cæſo Riccio, ipſi, ob induſtriam chariſſimo, de ipſius quoque nece deliberatum ſit. Elapſa tamen, perculſis viriliter perduellibus; ſe in tuto repoſuerat, ni quam ſecuritatem diuturnam ſeueritas factura erat, venia corrupiſſet. Morauius enim poſt Amniſtiam ex Angliâ redux, Henricum Darlæum, quem in ſponſum Regina legerat, per Comitem Bothuelium

*1558* *Turbæ.* *1564* *Compreſſa.*

lium trucidari curat ; Regicidæ, in præmium, viduæ nuptiis promiſſis. Facilius tamen fuerat Bothuelio patraſſe parricidium, quàm Morauio munerare : ni Reginam ipſe Bothuelius non procul Edimburgo interceptam, atrociorum metu, ad aſſentiendum nuptiis compuliſſet. Nouorum hinc motuum perduellibus occaſio : qui dum ſe in Regicidam tantùm ( quem tamen ipſi & reum fecerant, & innocentem dixerant ) armaſſe peierant ; Dumbas excipiuntur : & ex Knoxi & Buchanani præſertim ſuffragio, fractâ fide, in Reginæ vitam conſpirant. Sanguinarium conſilium Trogmortonus, Elizabethæ ad ipſam legatus auertit : nempe, vt ab ipsâ Elizabethâ impleretur, & interea ad maiorem ignominiam Maria viueret. Quid enim Reginæ vita, quæ ius Regni in filium ab anno genitum, & regimen in Morauium transferre coacta fuerat, niſi ignominia ? Maximè quia libertatem captiuæ, vt promiſerant, adeo non conceſſere perfidi, vt nec ei cum Villaregio Caroli Regis Franciæ legato colloquendi copia fuerit. Ex arce tamen Lacus Leuini Georgij Douglaſij operâ euaſit ; ſed vt in vincula grauiora incurreret. Nam amiſſis, quas ad eius auxilium tum Hamiltonij proceres, tum alij copias adduxerant, in Angliam digreſſa, Elizabetham hoſtem nacta eſt, quam hoſpitem adierat. Ipſi quidem ad variorum legationes Principum oblata libertas eſt ; ſed pretio quo nec vitam vellet, fide eiuratâ. Hinc indigniùs habita, & à corruptis Iudicibus priuatæ in modum in-

*Reſurgunt.*

1567

*Et innaleſcunt.*

*Regina ſub jugo.*

*Euadit.*

1568

*Captiua fit in Anglia.*

1570

terrogata : vt non dubitaretur innocens ;
poſtquam nihil ab hoſtibus repertum eſt,
quod damnaretur vt nocens. Sed quæ ſuâ
vel infuſcari culpâ non potuit, Babingtoni-
1586 cæ coniurationis, ſi qua fuit, inuidiâ op-
preſſa eſt. Et regius ſanguis fuſus eſt ob
crimen, quod nec ipſe reus forte ſomniaue-
1587 rat. Id verò factum ex formulâ, pro tri-
*Capite* bunali, vt ſub ſpecie iuris, ea patraretur in-
*damna-* iuſtitia, ad quam & quantum eſt in orbe
*tur.* principum, & ipſa etiam quæ iuſſit inhor-
reſceret. Ipſa veró feralem ſententiam eâ
fronte ſuſtinuit, quâ libertatis, abhinc vn-
de viginti annis ereptæ auſpicium, & tran-
ſitum ad Regnum, in quod nihil fraudibus,
nihil tyrannidi licet. Diuini huius Regni
ſecura, quid terrenum curaret, in quo ni-
hil pacis ſperare poterat, hæreſi præua-
lente? Licet enim Morauius, à nobili quo-
dam Hamiltonio Caluiniſta cæſus, è ſolio
ante corruiſſet, quàm planè conſcendiſſet;
non tamen furor aut impietas repreſſa eſt;
quid enim quietis ſperari poterat, Rege
puero? Proregibus hæreticis, & Anglâ fu-
riâ, pro libidine omnia peſſundante? Quin
& adactus ipſe Rex iam grandior, inire cum
illâ fœdus, quæ matri tum maximè necem
parabat. Maluit enimuerò matrem impunè
cæſam pati, quàm auitum Regnum perdere,
aut ſperato fruſtrari. Niſi fortè vltionis con-
ſilia inhibuere pudor & conſcientia: Nam
matrem in odium fidei cæſam vindicare;
quid erat aliud, quàm ſe reum ob hæreſim,
& pœnâ dignum prodere?

## CAPVT XV.

### *Viceſima-ſexta in fidem hæreſis Sacramentariorum, ſeu de Heluetiis à Zuinglio in hæreſim pertractis.*

HEluetios iam ante peruaſerat hæreſis à Luthero, ſed in tam diuerſum transformata habitum, vt eam Patriarcha nuſquam agnouerit. *Zuinglius* tamen, per ſcommata & cenſuras in Pontificem, Indulgentias, & ritus quoſque ſacros, meruerat haberi filius, ni *Sacramentariorum* renouato delirio, Berengarium in patrem habere maluiſſet. Quidni pro nouo dogmate, vel contra Lutherum pugnaciter ſtaret, quod ab *Angelo ſibi dormienti reuelatum ſomniauerat*? At Heluetij deliranti Apoſtolo parùm creduli, dogma quod dormiēs didicerat, Lucernæ primum, tùm Badenæ in Comitiis, curâ vigili proſcripſerunt, Tigurinis, quorũ Eccleſiaſticus Rector, Pſeudoapoſtolus fuerat, in pertinaciâ obfirmatis. Hi, ne ſoli errent, Bernenſes pudore magis, quàm ſtudio veritatis aſſenſos ante reliquis, ad noua Comitia ſollicitant: & nihil morati Catholicorum obniſus, qui retractari nolebant, quæ publicus aſſenſus iterum approbauerat. Bernæ vnà cum Baſileenſibus, Schaffuſienſibus, Argentoratenſibus & aliis, Zuinglianos ſe profitentur. Statim ne reformatos dubitares, eiecti Sacerdotes ex vrbibus, è Templis ſacræ imagines, & ſacra omnia proculcata. Rei certus Lutherus

*Noui Sacramentarij.*

1524

*Explodunturę*

1526

1528

*Alicubi prævalent*

bilem non tenet, & quaſi de plauſtro, eò
*Cum Luthero rixantur.* furioſius infremit, quòd in fugitiuos. Nec
aduerſus tam acriter mordentem ipſi ſunt
edentuli, & in hac ferali logomachiâ di-
gnos ſe probant, qui ſuis auſpiciis in Erebi
caſtris militent. Ideo Marpurgi, quò vtrin-
1529 que, & procerum legati conuenerant, nulla
inter fanaticos iniri concordia potuit. Quip-
pe non putauit æquum Patriarcha Prima-
rius, vt illi haberentur fratres, qui ſe filios
negauerant. Hactenus verbis, poſthac &
ferro pugnatum. Quippe *Sacramentarii* pa-
rùm rati Lutheri iugum excuſſiſſe. Catholi-
cos ſub iugum ponere voluerunt. At quàm
1531 in vmbrâ ſibi victoriam ſpoponderant, reli-
querunt hoſti in luce, à Catholicis longè
paucioribus, quater intra menſem Octo-
*Sternuntur à Catholicis.* brem fœdè profligati. Adeo in bellis plus
cauſa ſæpe & virtus poſſunt, quàm nume-
rus. Inter alios Zuinglius ipſe, totius author
tragediæ cæſus eſt. Quaſi nouum Apoſto-
lum zelo inſtinctum eſſe oportuit, qui &
ferro ipſe, per ſe ſua dogmata promouebat,
vt quorum animos lue non infecerat, eorum
corpora enſe trucidaret. At non paſſus eſt
Chriſtus à Pſeudoapoſtolo impunè ad ſuo-
rum membrorum ſtragem educi gladium,
quem nec ad ſui præſidium olim à vero
Apoſtolo educi, impunè permiſerat. Poſt-
*Et concordant.* hæc pax, quà ita conſultum fidei, vt apud
ſeptem gentis Pagos, *Cantones* vocant, illæ-
ſa permanſerit, in ſex reliquos hæreſi fero-
cius præualente.

## CAPVT XVI

### *Hugonotorum à Caluino in Gallia ortus, & Geneuæ apoſtaſia.*

NVllibi atrociùs vim ſuam hæreſis prompſit, quàm in Galliâ, quià fortè nullibi reperti, qui animoſiùs reſiſterent. Author *Caluinus*, qui cùm non vulgaris, nec vulgariter exculti eſſet ingenij, ſuis (Gallus erat) decori eſſe poterat, ni hauſto Pariſiis & Bituricis à Vvolmario præceptore, & in ipſa poſtea Germaniâ, hęreſeos toxico, peſtis eſſe maluiſſet, progenitis *Hugonotis* (id fuit hæreticis in Gallia nomen, Ad eius intuitum Eraſmus Propheta ſubitaneus. *Video*, inquit ad Bucerum, *magnam peſtem oriri in Eccleſiâ, contra Eccl ſiam.* Quam verum vaticinium! Reuerſus enim, hauſtam ex Zuinglianis luem ita Pictauiis efflare cœpit, vt breui Galliam, Angliã, Belgium, Germaniam, Septentrionem totum peruaſerit. Statim aliqui, Iuris eiurato Pictauiis magiſterio, eius facti ſunt diſcipuli, vt iniquitatis Magiſtri fierent, an *Miniſtri?* Illud enim eis nomen hæſit, ab Scholâ cui præerant, quæ *Miniſtraria* vocabatur. Ex iis *Vernouium* Pictonibus, *Dugioum* Santonibus, *Balinotum* Aquitanis peruertendis iuſſit incumbere, vel damno capitis; ipſe naſutior, martyrij copiâ ſuis factâ, ne martyr fieret, Neracum ad Margaritam Cantabriæ Reginam ſe contulit. Ibi enim in tuto eſſe potuit, vbi ex *Rufi & Fabri* afflatibus, fides erat in diſcrimine: memi nerat

*Caluinus.*

1534

enim Lilij ad humerum quondam ob crimen ſodomiæ inuſti: & ex ſcintillà augurabatur incendium, ſi *Liliatus* homo Liliatam gentem corrumpere deprehenderetur. Nec enim is erat Franciſcus Rex; qui nouos Apoſtolos impuné graſſari ſineret: cùm *brachium quoque ſuum exciſurum ſe, ac filios abiecturum* palam dixerit, *ſi à peſte infectos ſciret*. Cùm itaque nec ſe tutum Neraco crederet Euangeliſta nouus, euaſit in Germaniam, & inde *Geneuam*: vt poſt varia cum gregalibus certamina; eam tandem vrbem perpetuo domicilio faceret ſentinam hæreſeon, latronum aſylum, & Hæreticorum Romam; ſed qualis in ortu fuit? Cæterùm *Geneua* vt ſe admiſſà hæreſi, quam Farellus & Viretus Zuingliani prædicantes inuexerant, Dei legem excluſiſſe oſtenderet; Sabaudi Principis, cui ſuberat, iugum excuſſit: & ſacris omnibus conuulſis primum libertatis documentum eſſe vult, ſacrilegiorũ licentiã. O quanto ſuo dã o rebellandi fiduciam fecere perduellibus Franci, qui tùm miſerè Sabaudiam diſcerpebant! Fuit enim hęc Ciuitas officina fulminum; quibus Galliæ ſæpiſſimé conflagrarunt.

*Fugit.*

*Geneuam recipitur.*

1535 *Geneuæ defectio.*

## CAPVT XVII.

### *Primum bellum in Hugenotos.*

INquietum malum eſt hæreſis; conflata diſſidio; nec in ſe pacem habet, nec in aliis patitur. Febris nimirum eſt, nonnullas corpori dat inducias, pacem nullam. Id quàm ſæpe in Gallis probatum? Nec e-

nūm vera in ejs ſanitas; etſi à Franciſco & Henrico Regibus remediis cauſticis repreſſa peſtis vim ſuam aliquandiu non prompſerit. Nam iis mortuis, ruptâ veluti cute, per ſingula Regni membra virus erumpens prodidit latuiſſe tùm, cùm putabatur abeſſe. Ad remedium â Franciſco I I. noui Senatorum conſeſſus inſtituti ſunt, qui læſæ Religionis crimina igne comprimerent; & inde *Curiæ Ardentes.* Ad hæc furere perfidi, & in Franciſcum, eique ſuffectum Carolum couiurare. At primâ coniuratione, quâ Regem, & proceres quo que Catholicos, Condeus, Reinaudius & alij, Ambeſij volebant intercipere, Franciſci Guiſij prudentiâ, diſcuſſâ, conflatum fulmen authores obtriuit: Condeo tamen datum viuere; quia Regem intereâ mori contigit. Nec dum tamen fidei ſecuritas; quanquam etiam Poſſiacenſi colloquio, de hoſtium cauillis victrix, & edicto Iuliano hæreſi proſcriptâ: Cuius enim id fructus eſſe poterat; ſi ex Hoſpitalij Cancellarij perfidiâ, profitendæ palam Sectæ copia perduellibus fieri debebat, Edicto Inuariano. Nec enim benè paci conſulitur impunitate ſcelerum, nec ceſſare diu turbæ poſſunt, ſi turbones foueantur. Heu quæ tum ſacrilegia, quæ latrocinia quas cædes gens Franca vidit! quando Rotbomagus, Aurelia, Pictauium, Lugdunum, & aliæ Regno toto nobiliſſimæ vrbes à perfidis occupatæ ſunt, & direptæ. A ſe tamen incumbentem perniciem Thalozates ſtrenuè depulerunt. Nec aliud ab impiis iam auſpicatis ſacrilegia profectum, niſi

*Hugonotorum pæna.*

*Coniuratio diſcuſſa.*

1560

1561

*Hugonon rebellant.*

v: ſe proderent; & ſine innocentium iniuriâ pellerentur. Eorum & aliorum tùm obniſu factum, ne Rex virgis cæſus è ſolio demitteretur ad ſellam, vbi victum opificio pararet: id enim ſibi eſſe in animo noui Enceladi ſæpe iactauerant. At impia exequi non tam in manu, quàm velle. Quippe ad periculum exciti Catholici receptis paſſim vrbibus; apud Druidas non ſine damno quidem, capto Montmorantio, ſed tamen perduelles ſtrennè profligarunt, Condeo qui illis præerat intercepto. Eo fracta vulnere agebat animam rebellio; cum, ingenti Catholicorum damno, & pari luctu, cæſo apud Aureliam Guiſio à Poltroto, quem Admiralius Caſtilioneus, & Beza ad id facinoris ſubornauerant, ſpiritum recepit, & pacem obtinuit quâ mox abuteretur ad bellum.

*Apud Druidas profliganteur.*

1563

*Pax.*

## CAPVT XVIII.

### *Secundum bellum in Hugonotos.*

STatim poſt pacem, actum de bello ab impiis; quaſi ea non eſſet eis indulta niſi vt ad arma ſe diligentiùs accingerent. Occaſio; Regis cum Hiſpanâ ſorore Elizabethâ Baionæ colloquium; & arma contra Albani, ſi quas in Belgium progrediens moliretur inſidias, in Regni finibus apparata. Fit enim vt facilè ſibi parari ab aliis mala putent, qui merentur. Inde habiti clam delectus, & in Regem apud Meldas ſtructæ inſidiæ, Condeo authore: vt qui ex ſcelerum conſcientiâ pœnam ſe meruiſſe nouerant,

*Occaſio noui belli*

1565

1567

rant, haberent impunitatem ex facinorum atrociſſimo. At Heluetiorum indefeſſo præſidio Pariſios elapſo Rege, & perduellibus ad Sandioniſium à Mommorantio, qui ex accepto vulnere interiit, attritis, imago quædam pacis Carnotum, quam fruſtrà rebelles obſederant, inita, non pax vera animos deluſit. Nam quaſi præteritorum veniam non obtinuiſſent, niſi ad futurorum licentiam: breui poſt, Regno cædes & ſacrilegia reddeintegrarunt. Faciebant eis nimirùm animos Angli, Germani, Heluetij in auxilium acciti: Quid ſi adfuiſſet etiam Turca, quem ſpe factâ per Legatos, aditus inde ipſi in Germaniam ſternendi, ad auxiliũ ſollicitauerant? ex hoc Eccleſiæ reformatæ filios noſcas, cuius ad præſidium, & Acheronta ciebant. Nec ſegnius rebelles ad claſſicum, vt Druidenſis & Sandioniſianæ cladis ignominiam, feliciori ſucceſſu emendarent. At Deus aliter; nam Dux Andius Regis frater, ſuccinctus copiis tum Gallicis & Germanicis, tum Italicis, quibus Pij V. nomine Sfortia præerat, eos primùm ad Iarnacum in Santonibus cæſo Condeo, deinde ad Mõcontorium in Pictonibus, acto in fugam Admiralio, feliciſſimè proſtrauit. Debuere tum ſaltem amare pacem, quæ victis indulta eſt, cùm tam improſperè bellum cederet.

*Conſpiratio.* *Pugna Sandioniſiana.* *Inſtauratur bellũ.* *Pugna Iarnacenſis, Moncontorienſis.* 1569

## CAPVT XIX.

### *Tertium bellum in Hugonotos.*

QVi bello victi molliebantur ad pacem, pace potiti bellum moliebantur. Inde

ex promiſſis Rgi factis nihil exequi; promiſſa ſibi à Rege facta minaciter poſtulare; eaque inſuper velle, quæ neganda nouerant, vt ex repulſâ iniuriam facerent, & belli anſam. Ad hæc Rex ægrè quidem, ſed ſeruire tamen tempori; diſſimulare, cum odiis certare beneficiis: nec ante vltionis conſilia admittere; quã Admiralius ipſe glande igneâ ab ignoto Pariſiis ictús, per minacia dicta ad ipſum etiam Regem, qui conſolatum aduenerat, Regem exaſperaſſet. Siquidem vulnus in remiſſorum pœnam ſcelerum à Deo permiſſum, in admittendorum occaſionem conuertebat. Ac prope erat, vt Sicario bene vellet; quod ſibi malé in Regem, & Eccleſiam audendi præbuiſſet anſam. Nec vires deerant: Hugonotis ſeu ad feſta nuptialia (tum enim ad firmius pacis vinculum, connubiali nexu Henrico Nauarræo iungebatur Margarita Regis ſoror), ſeu ad læſi præſidium vnde quaque Pariſios confluentibus. At in auctorum capita malũ recidit. Et Rex ex neceſſitate præuertendi futuras clades, occaſionem vlciſcendi ſimul præteritas faciens, vt *Sambartholomeanâ* clade, perfidi plecterentur aſſenſus eſt. Inde primò Pariſiis Admiralius, & alij multi; tum toto fermè Regno, quaſi ex compacto impij contuſi, patratorum diu facinorum intra paucos dies pœnas dedere. Nauarrum & Condæum naſcendi felicitas exemit à morte, vt veræ vitæ per eiuratam hæreſim redderet. Hinc itum ad arma, vt inſtaretur pauidis, & ſubactis vrbibus, quas rebelles profugi occupauerant; tunc rebellio quieſceret, qua ni-

*Admiralius læditur.*

1572

*Clades Sabartolomæana.*

do nullum ei perfugium ſupereſſet. Nec id operoſum valde, cùm iam fuſâ claſſe Anglicâ Rupella nutaret, ni à certa victoriæ fiduciâ ad Regnum Polonicum accitus intereà eſſet dux Andium. Nam regiæ Maieſtatis ac clementiæ eſſe credidit, illos pace data ſeruare, quos priuatis armis exciſum ibat. At quanti ſtabit ipſi ex Poloniâ, ad mortem Caroli fratris, breui poſt reuerſo, inauſpicatum patrocinium! Nauarrus & Condeus relapſi ad hæreſim, adiuti non ſolùm Germanorum viribus; ſed etiam Politicorum (quæ factio Ducibus Monmorantiis, ac poſtea Alençonio Regis fratre, ex Guiſiorum inuidiâ, pluribus in prouinciis inualuerat) vix dum benè obliteratas tragœdias renouauere; & pacem demùm extorſerunt armati, quę Catholicos exarmaret, & Hugonotorum libidini tantùm non permitteret. Viſum itaque illam non pacem, ſed inſultandi licentiâ, Bleſenſibus Comitiis coërcere. Hincrurſum arma, & ex iis pax ęquior, & quæ Regem non dedeceret. At vel eo, iniqua turbonibus, eiſque propterea bello mutata: Sed per Mayenium in Delphinatu; Bironium in Aquitaniâ; Matignonium in Picardiâ, & alios alibi ſtrenué coërciti, exſcindi omnino poterant, ni vt Carthago illa ſupereſſet, ad eorum qui verè Romani erant exercitium, Deo meliùs viſum. Nam interea Alençonius reconciliatus fratri, à Belgis electus in Principem, Indigenis rebellibus veniam impetrauit à Rege ſuo; vt alienigenas rebelles ſuum contra Regem foueret, & ei non minùs ad ambitionem pro-

1574 *Inſtaurantur bellũ.*

1576

*Pax.*

deſſet placata rebellio, quàm accenſa.

## CAPVT XX.

### *Fœdus ſeu Liga inter Catholicos contra Hugonotos, & quartum in Hugonotos bellum.*

DVm Rex facilitate nimiâ, an neceſſitate miſerrimâ, Hugonotis ſępius parcit, alienauit à ſe Catholicos; & ad Fœdus ſeu Ligam quâ Fidei, Regis, Regnique præſidium ſibi mutuò Deoque promitterent,

*Liga.* egit. Piè ſanè, ſi Rege auſpice. Sed quia id clam factum videbatur, ſuſpicio aliqua fuit, ne *Guiſius*, qui eius author eſt habitus, cer-

1585 té promotor & vindex, Fidei velum ſuis commodis obtenderit: Eam ſubinde non ſolùm Pontifex; ſed Rex etiam Hiſpaniæ, & Duces Sabaudiæ, & Lotharingiæ promouerunt. Quin & Rex ipſe cùm non potuiſſet edicto diſſoluere, ſuffragio approbauit: atque etiam promiſit non paſſurũ ſe ſibi quemquã ſubſtitui, qui Catholicus noneſſet. Hoc ve-

*Eam Rex approbat.* rò, cùm ſtirpis regiæ Principes eſſent Hæretici, aut Hæreticis fauentes, pro adoptione quaſi fuit apud Guiſium. Hinc arma & cla-

1587 des, quâ ad Curtracum Nauarrus Catholicos obtriuit, cæſo Ioioſa Duce. Hæc prima

*Pugna Curtracina.* fuit Hæreticorum in acie victoria, quæ diu inulta non fuit. Nam Guiſius apud Aluæum,

*Guiſius Reiſtros cadit.* in finibus Carnutum, Reiſtris, ſeu Germanis Equitibus, paruâ manu, ad multa millia ſtrenué cæſis, Curtracicæ ſtragis damnum

*Guiſii potentia.* maiori ſtrage reſarciuit. Verùm ſtupendę adeò cladis fama victori in cladem vertit: Pa-

rifios enim inuidioſo populi plauſu exceptus, Regis quo vetante ]aduenerat, in ſe bilem mouit,acceditque; dũ motus populi aduerſus Prætorianos, obequitando per compita, ſolo nutu compoſuit. Viſus enim & feciſſe malum vt ſanaret,& plura poſſe ,ſi vellet. Eum tamen Rex dilapſus Carnutum recepit in gratiam, vt ſecuriùs Bleſis in Comitiis, vnà cum fratre Cardinale perimi curaret. Eò enim aſcenderat vbi ſtare non poſſet ſine ſceptro, nec inde deſcendere, ſine caſu. At non ceſſit ad votum cruentum conſilium. Quia Rex tardius Regem agere auſus eſt; tyrannus audiit: & venit in ſuſpicionẽ læſæ fidei, ex quo non malecontentos ſolum ſeu politicos, ſed Hæreticos etiam Duce Nauarro acciuit ad auxilium. Agnouit ſe ,tùm vix Regem; cum, exturbato Guiſio Regem ſe eſſe ſine Riuali dixit. Nam Mayenius cæſorum frater, fidei & partium ſe Ducem profeſſus, & fœdus regno toto continuit, & ne Rex cæſi Cardinalis reus reciperetur in gratiam, niſi ante dimitteret Cardinalem Borbonium, & Archiepiſcopum Lugdunenſem Bleſis interceptos, cum Sixto V. Pontif. egit. Nec ſegnius Rex Lutetiam premebat; vt in vrbe Regnum ſubigeret: & quæ prima eiurato obſequio,miſſoque in carcerem Senatu, rebellionis ſignũ ſuſtulerat, pœnas prima ferret. At vbi acceptæ iniuriæ v tionem quærit, illatæ pœnam reperit, à parricida Dominicano, ad Sanclodoaldi trucidatus.

1588 *Guiſiorum cædes.*

*Mayenius facet.*

1589 *Rex caſus.*

## CAPVT XXI.

## *Liga diſſoluta ex Henrici IV. conuerſione.*

*Nauarrus Rex ſalutatur à Regiis.*

INaudito facinore vita exui Rex potuit, at non Rege regnum. Nauarrus enim futurum ſe Catholicum, vbi decore ſaluo poſſet, iureiurando pollicitus, Rex ab exercitu ſalutatus eſt. At fœderati, Religione integrà, non poſſe illi deferri obſequium rati, Cardinalem Borbonium Regem dicunt. Sed infœlici omine, cum captiuus eſſet & iã effætus: nec fefellit augurium. Quamquam enim Rothomagi, Lutetiæque obſidione, ab Alexandro Parmenſi excuſſus ipſe Henricus, nonnihil cladium ſubinde ſenſerit: id tamen tandem virtute ſe fecit, & victoriis, quod iam erat naturâ, & meritis. Ad id iam tum viam ſtrauerat, cum ad Arqueſiam & Iuriacum Mayenium repulit & afflixit. Sed nobiliori multò palmâ non diu poſt in planum deduxit obices; & operoſa Philippi Hiſpaniarum Regis conſilia exſufflauit. Nam ad Sandioniſij, Eccleſiæ ſe filium profeſſus, pro Rege paſſim haberi meruit. Et reſiſtendi fiduciam hoſtibus excuſſit, ex quo ipſe veritati non reſtitit. Quamquam non ſtatim concidit nomen fœderis, & erat multis Religio, eum habere Catholicum, quem Clemens VIII. Pontif. quamquam à Niuernenſi legato Regio enixè rogatus, vt talem non agnouerat. Conabatur & ſcrupulum facere Cardinalis Placentinus, qui, ne quis Præſulum, vel docendi cauſâ ad ipſum

*A fœderatis Cardin. Borbonius.*

1560

*Nauarrus conuertitur.*

acccderet, prohibuit. Suam in hoc ſuſpectus vendidiſſe fidem, qui tam parui diuinam in alio fecit. At per Perronium tandem, & Oſſatum exoratus Pontifex, eum receepit in gratiam, cui ſuam Deus indulſerat. Date, iam manus fœderati; ſi duret contumacia, ſuſpicio erit, non tam voluiſſe vos Regem Catholicum, quàm Borbonium noluiſſe. Cunctari tamen aliquandiu Mayenius, Nemoroſius, & Mercurius, vt & clementiâ dignum ſe ſolio Rex nouus oſtenderet; quod ſi naſcendi ius non dediſſet, virtus meruerat. Sed illis demum in gratiam receptis, litatum paci, quæ Regno diuturnis conuulſo motibus, & non tantùm ad alienos à Regià ſtirpe, ſed etiam ad alienigenas inclinanti, datum tandem quieſcere. Non pœnitet iam Catholicorum fœderis; debetur illi Regis conuerſio: & ad poſtera ſæcula inculcabit, non alium quàm fide Catholicum, & ſanguine Regium regnare poſſe in Galliâ. Id ſi per tot pericula, per tot damna impetrandum erat; *pericula ipſa damnaque, hac mercede placent.*

1595 *In gratiā recipitur à Papa.*

*Pax.*

## CAPVT XXII.

### *Pax inter Catholicos & Hugonotos ſtatuta per edictum Nannetenſe.*

DVm Catholicos exarmauit optimus princeps, eorum ſe legibus addicens, parùm abfuit quin armauerit Hugonotos, quorum ex albo ſe expunxit. Nec enim ex iis erat, vti ſperabant plurimi, non pauci vere-

*Rex vere Catholicus.*

bantur, qui eodem in lararıo, vnà cum Chriſto, idola coleret, & non quam veram crederet, ſed quam vtilem, Religionis cultor eſſet. Periculum itaque erat, ne breui diſſidia recrudeſcerent; ni quorum ſacra in ſe horruerat, ea in ipſis paſſurum ſe indicaret. Quidni verò vltrò ſectam pateretur, quæ ab annis quadraginta, tot vexata prælijs, tot cladibus afflicta, robuſtior inualuerat? Tum oportuit malum caueri; cum citari fautores ad formulam poterant. Sed quando eò res venerat, vt rei agi non poſſent, niſi ante vincerentur acie, cum *Orthodoxiæ* periculo, ferendi fuerunt, ſi pacem ipſi ferrent; & prudentiæ Regi fuit adultam & prædualidam factionem pati, quam inani conatu aſſequi, vt palam fieret, cui malo eſſet impar. Hinc edictum Nannetenſe, quo eos Rex vnà cum Catholicis, vt eiuſdem ſaltem Regni accolas connecteret, cum non poſſet vt eiuſdem fidei cultores. Conatus & hoc, permiſſo ad Fontembellaqueum colloquio, quo Perronius, in quodam Pleſſij libro ſexcentos Doctorum textus corruptos, probaturum ſe receperat. Nec id operoſum viro Doctiſſimo, ni ex euentu primæ diei, qua quidquid in examen venit, deprauatum fuiſſe conſtitit, perculſus Pleſſius, & ex ignominiæ ſenſu grauiter ægrotans, ſequentium dierum decus præuertiſſet. Ex agnitâ Doctoris ignorantiâ, ſcientia fidei multis illuxit. Rex ipſe Romanæ ſe fidei firmiùs adſtrinxit, ſuffuſus, quòd doctrinæ, quam ipſis in fontibus adeo impuram nouerat, tam diuturnus aſſertor fuiſſet.

*Patitur Hugonotos.*

1598 & 1599

*Colloquiũ Perronij cũ Pleſſio.*

## CAPVT XXIII.

## *Gueuſiorum in Belgio ortus, & primi conatus.*

INterclusſo hæreſi aditu ad ſua Regna, Catholici cognomen meruerant Carolus & Philippus Hiſpaniç Reges, ni ab Auis habuiſſent. Philippo enim quid religioſius? Qui, ſi ſaluos ſibi Belgas vellet eis profitendæ ſectæ copiam faciendã audiens; *Malim,* inquit, *non habere ſubditos, quàm ſi ij ſint* *Religio* *Eccleſiæ rebelles.* O vocem quæ vno in Rege *Philippi II.* exſcriptos Conſtantinos, & Ludouicos, nedum Recaredos, & Rodolphos probet! ea mihi pluris, quàm Belgæ omnes, non modò Ordines fœderati. At quis zelus hominum ſeruet, quos occultum Dei iudicium reprobat? Per quæ repreſſam hæreſim voluit Rex pius, per ea inualuit. Nam ad nouos in Bel- 1559 gio inſtitutos præſules, qui nouos lupos arcerent à gregibus, commoti qui iam dubiæ Religionis erant, vel etiam perditæ, eum eſſe gradum ad Inquiſitionis tyrannidem immurmurantes, multos etiam Catholicos traxerunt ad partes. Author primarius tra- *Gueuſiorum ortus & parens.* gœdiæ Aurangius fuit, ſed qui per fratres, Comites Brederodium, Culembergium, Berghenſem, & alios fabulam egit. Ad hos, quadragenùm numero, Bruxellas venientes, cum nonnihil eſſet exterrita Margarita Par- 1565 menſis, fratris Philippi nomine Belgium regens; *nihil eſt* inquit Barlamontius, *cur timeas ab illis Gueuſijs.* Sic apud Gallos audiunt, qui re perditâ, victum emendicant.

Inde factioni nomen,& ſymbolum. *Appenſa ad collum bulla, hinc Regis, inde Fidei ſupra manticam, imaginem inſcripta*, cum hac epigraphe. *Fideles Regi, vſque ad manticam.*

*Teſſera.* Contra illam factionis teſſeram, bullas etiam Chriſti Deiparæque inſignitas effigie, ipſi ſibi Catholici curauere. Eis cum Indulgentias Pius V. attribuit, orbe toto ſupra aurum & gemmas, expetendas fidelibus fecit. Cum ſuæ poteſtatis non eſſe nouos Præſules abolere; quæ pro ſeruandâ fide Carolus & Philippus Reges ſtatuerant, abrogare; & abdicato Cardinale Granuellano, libertatem conſcientiæ permittere; vt Gueuſij minaciter poſtulauerant, Gubernatrix reſpondiſſet, miſſi ſunt in Hiſpaniam, qui id à Rege impetrarent. At non admodum eis cordi Regis imperium, quem iam in corde eiurauerant. Ideo nihil morati quid ipſe ediceret; Conciones Caluini ritu celebrant, cœnobia multa diripiunt, ſacra quæque violant, ſuo denique more reformant. Adhæc Gubernatrix, peiorum metu multa indulſit, & malum alicubi vltro pati pro remedio habuit. Nec dum tamen ex vero pax: vt quos indulgentia non flexerat, arma ſubigerent. Sic per Nočrcamium receptis Valencianis, turbonum aliquot, & prædicantium morte litatum paci. Et cæſis vbique Gueuſiis qui motus conciuerant, atque Aurangio & Brederodio, qui oleum incendio infuderant, in Germaniam vltrò dilapſis, ſua Belgio tranquillitas, ſuum ſacris decus reſtituta ſunt.

*Poſtulata.*

*Sacrilegia*

*1566*

*1567*

*Pax.*

## CAPVT XXIV.

## *Gueuſiorum in Belgio ſecundus conatus, & clades victoriaque.*

INclinatam & iacentem in Belgio hæreſim Albanus Margaritę ſuffectus, dum penitus voluit exſcindere, exſuſcitauit. Quid profuit ad Gemingam denùm è ſuis damno, ſeptem rebellium & proteſtantium millia contrucidaſſe, ad fugam acto Ludouico Naſſauio Aurangij fratre, & quam ab eo in Arembergio, qui cum copiis in Friſia cæſus fuerat, cladem acceperat, vindicaſſe? Quid ipſo in Germaniam retruſo Aurangio cum aſſenſu omnium, nec ſui ſine Regis & Pontificis plauſu, Concilium Tridentinum promulgaſſe? Si lictoris ferro addictis Egmondano, Hornano, & aliis innocentiæ probatæ proceribus, multorum opibus publicatis; indictoque præter ſolitum tributo, corrupturus victorias erat? Hinc enim, cum nec ab eius clementià plurimi, nec à ſuà innocentià alij ſecuritatem ſperarent, ſumpſerunt ab audacià: & quia priora ſcelera atrociùs vindicata fuerant, ea in Batauià, & aliis patrata ſunt, vt iis vindicandis Rex non eſſet. Ac nouæ Reipublicæ fundamenta tum iacta firmiùs in terræ angulo, an ſcopulo; ad quem tota ſuæ potentiæ mole armatus Hiſpanus allideretur. Fuſi tum quidem Hugonoti & Proteſtãtes, qui Ducibus Genliſio & Aurangio veniebant ad auxilium: Recepti Montes, Harlemus, & alia paſſim; Sed vt rebellãdi animus, & in dedititis accreſceret,

*Albanus.*

*Gueuſij profligati.* 1568

*Et Catholici.*

*Seueritas nimia Catholicis obfuit.*

*Gueuſij victi.*

1572.

vt quos nouà Lanienà victor efferauit. Nec immeritò in ſacrilegos Iconoclauſtas, diuinæ humanęque Maieſtatis non ſemel reos videri poterant exacerbata ſupplicia, ni temporum ratio clementiam ſuaſiſſet. Expendere tum oportuit quid tutò fieri poterat, non quid ius vellet. Satiùs erat ſaniem tum in corpore pati, quàm ipſius purgandæ ſpecie, cruorem etiam exprimere, & impreſſo altius in vomicam ferro, vnà cum parte noxià, ſanam alicubi exulcerare. Id Regi tandem viſum, ſed tardius quàm oportuiſſet. Nam Requeſenius Albano ſuffectus nullâ manſuetudinis ſpecie, nullò veniæ promiſſo lenire animos potuit, quos tum hæreſeos genius, tum Albani atrocitas ex deſperatione ad rebellionem egerat. Cum igitur colloquia de pace non procederent, nec vllam Gueuſij veniam vellent, quæ ſectæ licentiam non daret, ventum iterum ad arma. Quibus Requeſenius damnum Migdeburgi, quod expugnauit Aurangius, & Lugduni, quod expugnare ipſe non potuit, acceptum, fuſis ad Mou-Kum propè Moſam Proteſtantibus, & tribus eorum Ducibus Henrico & Ludouico Naſſouiis Aurangij fratribus, & Chriſtophoro Palatini filio, cæſis, ſtrenuè vltus eſt. Quin & hoſtes ex toto fermè continente pulſos, è ſuis erat excuſſurus inſulis, ni excuſſus ipſe è viuis, morti de ſe trophæum poſuiſſet, qui ſibi de victis hoſtibus trophæum poſitum ibat.

*Pœna in rebelles.*

*Requeſenius.* 1573

*Repellitur*

*Profligat hoſtes.*

*Moritur.* 1576

## CAPVT XXV.

### *Gueuſiorum in Belgio tertius conatus, & Victoriis mixta clades.*

POſt mortem Requeſenij, ex ancipiti remedio, malum inualuit. Annuit Rex, vt penes Senatum rei ſumma eſſet, ſi fortè ſui reuerentiam populis redderet, dum Imperium quaſi populare facit. Nec id tum viſum ſine fructu, Gueuſijs cum Senatu aſſenſis, vt ſaluum ſemper Regis obſequium maneret, dum Hiſpani è Belgio pellerentur. Si tamen & hæc conſpiratio non fuit, id certè ita viſum Hiſpanis militibus, & ideo vltionis agitare conſilia, prædas quà dabatur agere, & exiguà quinque millium manu, Antuerpiam ipſam, totius orbis fermè tum populoſiſſimam, tum opulentiſſimam, & fœderatorum permunitam copiis, inuadere, &, fœdiſſimè depopulari, duce Sanchio Auilà. Recrudeſcente inde magis in Hiſpanos odio, ita ſe Ordines Ioannem Auſtriacum Regis fratrem, qui interea aduenerat, in Prçfectum accepturos dixerunt; ſi pacem, quam Regis nomine, Gandaui ipſi promulgauerant, in quà de vnicà Religione Catholicà, Regis obſequio, & Hiſpanorum abitu inter alia cauebatur, ratam ipſe haberet. Quam verò pacem illi ferant, qui nulla Imperia legitima ferre poſſunt? Dicas ob id vnum obtentam, vt inermis Prorex faciliùs Bruxellis interciperetur. Euaſit ille tamen Namurcum, vt reuocatis ex Italiâ copiis, Alexandro Farneſio Duce bello vrgeat,

*Belgium penes Senatum.*

*1576*

*Antuerpia direpta.*

*Ioan. Auſtriacus.*

*Pax.*

*1577*

*Rumpitur*

qui pacem fregere, & læſæ Maieſtatis reos inſequatur armis, à quibus ipſe tanquam fœderis fracti reus proſcriptus Edicto fuerat. In fiduciam & omen victoriæ, vexillo ſuo Crucem appingi iuſſit, cum hoc emblemate. *In hoc ſigno vici Turcas, in hoc & vincam Hæreticos.* Nec euentus abluſit, hoſtibus ad Gemblacum Alexandri Parmenſis

*Auſtria vincit.*

1578 conſilio & impetu fœdiſſimè profligatis, & vrbibus, ex cladis acceptæ nuncio perculſis, latè receptis; quamuis eis Archidux Mathias eſſet auxilio. Felix victoria, ni Amſtelodami damno, quam interea ſubegere Gueuſii, & factâ ipſis, ab Ordinibus Catholicis ſuæ ſectæ vbiuis copiâ, corrupta fuiſſet. Quamquam & inde fortè lucri occaſio. Hinc enim apud Arteſios & Hannones ducibus Heſio, & Capreſſo *Malecontentorum* ſocietas; qui libertati patriæ ſemper ita conſultum voluerant, vt ſine mixtura hæreſeos, Regi & Eccleſiæ obſequium ſaluum eſſet,

*Malecontenti.*

Hos Parmenſis Auſtrio Auunculo interea ad

1577 Namurcum defuncto ſubſtitutus, ſibi Regique aſſeruit: & poſt tentatam fruſtra principum ſtudio pacem tum alibi; tum Coloniæ, quò eorum Legati conuenerant, indefeſſo victoriarum curſu, ſic paſſim hoſtes exterruit, vt cum à Mathiâ non ſuppeterent auxilia; nec quas Caſimirus, & Alenconius, fratres, ille Palatini, iſte Regis Franciæ, copias ante adduxerant, multum promouiſſent: Regem in Comitiis Hugæ Comitis ſolenni ritu exautorauerint, & in Ducem perpetuum Alenconium ſibi elegerint. Mira veſania, vt ſubditi ſe Sacramento

*Parmenſi iunguntur.*

liberent: principum ſortem ſui iuris faciant? 1581
& quo auſu ſacrum Dei,& Præſulum, eodem *Regis obſequium*
politicum Regum imperium eiurent. Id *ad formula n*
verò nouarum hæreſeon ingenium fuit, vt *eiuratu.*
ex tragicis Galliæ, Angliæ, Scotiæ, Septentrionis totius documentis innotuit: neſciunt ſe meminiſſe ſubditos, qui per hæc tempora, ſe profitentur hæreticos.

## CAPVT XXVI.

### *Gueuſiorum in Belgio 4. conatus, & mixta victoriis clades.*

PVdendum imperium admiſit Alenconius, hoc eſt perduellium ſe mancipium fecit, cum Ducis nomen & inſignia penes ipſum, res penes Aurangium eſſet. Sed *Alenconius Dux Belgij titulo tenus*
apud ambitioſum, & inquietum tanti erat vmbra imperij, vt ad illam vel famæ,& fidei Catholicæ damno, cuius vix ipſi ex pacto fiebat copia, euadere non erubuerit. Nimirùm ex nomine, & vmbrâ ad rem progreſſurum ſe vel dolis ſperabat. Sed indigenarum diligentiâ ab vrbibus, quas die certâ, à ſuis intercipi iuſſerat, excluſus, exceptis 1583
Dunkerkâ, Teneramundâ & aliis, quas breui poſt Parmenſis inuaſit, agnouit factitium principem vix habiturum populos obſequentes, qui legitimum & naturalem abiecerant. Interea Parmenſis, nouus Poliorcetes, Gandauo, Hyprâ, Brugis, Bruxellis, & aliis ſtrenuè potitus, fines ſuos latè promouebat ex rebellium damnis. Ac magnâ, induſtriæ & fortitudinis laude, ſubactâ demum Antuerpiâ ſubnaſcentẽ Remp.

*Parmenſis progreſſus.* ex caſu ſui fulcri Aurangij, quem à Rege proſcriptum, Delfis Gerardus quidam Bur-gundio igneâ glande peremerat, lapſantem
*Aurangius Caſus.* ad ſuos ſcopulos demerſum ibat, quidquid ad eius præſidium, quod Henricus Rex Gal-
1584 liæ negauerat; Elizabetha Angla per Leice-ſtrium conaretur; ni Philippus ipſe, abrupto victoriarum curſu, fractis & exhauſtis reſ-pirandi, atque adeo exſurgendi otium de-diſſet. Dum enim per ingentem illam claſ-
1588. ſem, ſub quâ laborauit Oceanus, & pepen-dit orbis, Angliam tentat, & per Ligam Gallias, ſuos Belgas perduellibus prodidit, & Æſopicus Canis, ſua perdidit, dum ad aliena intendit. Parmenſis tamen reuerſus è Galliis, in eo erat, vt victorias retexeret,
*Parmenſis moritur.* ni Deo meliùs viſum vt de morte Atrebati triumpharet. Tam piè deceſſit, quàm ſtre-
1592 nuè vixerat: & vitæ fluxæ damno, æternam apud Deum gloriam, cui ſe virtutibus pro-bauerat, & apud homines, quos victoria-rum famâ defixerat, ſibi aſſeruit.

## CAPVT XXVII.

### *Gueuſiorum in Belgio noui progreſ-ſus, & libertas per inducias aſſerta.*

CVm Alexandro concidere viſa, in Bel-gio, res Philippi & Eccleſiæ. Nec enim pono inter proſpera, receptum à Comite
1595 Fontano, poſt mortem Erneſti Auſtriaci gu-bernatoris, Belgium adminiſtrante Came-racum, Caletum, Ardram, & alia ab Al-berto Cardinali Auſtriaco ſubacta. Quippe non iam in Gueuſios; ſed in Catholicos

Catholici

Catholici depugnabant. Vtra pars vinceret, victam ſe in ſuis Eccleſia indolebat. Quin, ne vna tantùm ex parte dolendi cauſa ſuppeteret, Mauritius interea Aurangius, Patri ſuffectus Hiſpanis non ſemel cæſis, ſuos fines ſtrenuè & vindicabat, & propagabat. Eo denique res adductæ, vt quaſi de victoriâ ſuis auſpiciis Philippus deſperaret, in Clar. Eug. Iſabellam filiam Alberto patrueli, qui diademate galerum purpureum mutauit, nuptam, dotales illas Prouincias tranſmiſerit. Hoc eſt, nouos coniuges hoſtibus obſtinatis obiecerit. Noui regiminis infauſtum ſtatim augurium illuxit ex clade Neoporticâ, quâ fractus à Mauritio Albertus eſt. Nec valde felicius ex Oſtendâ, poſt triennalem obſidionem Ambroſij Spinolæ virtute ſubactâ, vt quæ non victorem minùs, quàm victum exhauſerit; cùm interea Sluſis, & aliis occupatis Mauritius, id damni largè rependeret. Denique nouo Principi rogandus demùm hoſtis fuit, vt pacem daret, eamque ad annos duodecim obtinere, non minoris operæ, quàm Oſtendam capere. Nec ante de ipsâ ſeriò actum quàm *Ordines* liberi, ſuique iuris, & à Rege agnoſcerentur. Hac vnâ victoriâ priores omnes exſcriptæ, imò & ſuperatæ: quippe non pugnatum alibi, non victum, niſi vt demùm hoc vinceretur.

*Belgium tranſmiſſum in Iſabellam* 1598

*Clades Neoporticâ.* 1600

*Oſtenda* 1604

1606

✱✱

## CAPVT XXVIII.

## *Hæreſis à Colonia excluſa.*

COloniam quoque afflauit peſtis hære-
ſeos, vt eo tentamento probata Ciuitas
non magis Auguſtæ Romanæ, quàm fidei
*Coloniam* ſe proderet. Authores periculi
fuerunt ipſi præſules, Hermannus, & Tru-
cheſius qui pleno gutture hauſtum virus ef-
fundebant in plebem, vt inficerent, & ſub
ſpecie paſtorum lupos agerent, gregemque
diſperderent. Obtendebat emendationem
*1547 Hermannus Præſul hæreticos acciuit.* populi Hermannus: ſed pro emendatoribus
Bucerum, Melancthonem, & alios acciuit,
qui Septentrionem totum infecerant. Ad
hæc ciues bono principi parere tam faciles,
quàm impio reſiſtere, reclamant, & quia
nec precibus eum, nec monitis ab incepto
abducunt, agunt cum Paulo III. Pont. &
Carolo V. Imp. vt abdicetur, eius in locum
ſuffecto Adolfo: vt ſuæ priuatus emenda-
tioni vacaret, qui tam malè princeps publi-
cam curauerat. Audacior aliquanto poſt
Truchefius, vt crimine ſe ſupra vulgus
*Abdicatur.* proderet Dei thalamum inceſtauit: &
fractâ, quam Deo fidem obſtrinxerat,
1582 Agnetem Mansfeldiam Deo in cœnobio
dicatam, in ſponſam allegit. Et ſic dum
ex Agnete Lupam; ex paſtore ſe ipſe Lu-
*Truchefius Præſul ſponſam capit.* pum fecit. Ad prioris victoriæ memoriam
ſtimulati Ciues, Clerus, Senatus, & Aca-
demia nouo ſe trophæo parant, & ſtrenuo
in ſuum, non iam principem, & Epiſcopum;
ſed tyrannum & transfugam obniſu, mori
apud ſe fideles, non mori zelum pro fide

probant. Nec minus ipſe in cœpto pertinax, collectis copiis, Bonna & aliis circa Vrbem arcibus occupatis, theſauroque Eccleſiæ direpto. Eam illi faciebant audaciam, ingentibus promiſſis, & Gueuſij Batavi, & Proteſtantes Germani, & Hugonoti Franci. Quid enim non ſpondeant iſti vxorio Præſuli, & qui per introductos Prædicantes in oppida Euangelij noui ſe fœtum, & vindicem prodiderat? Sed fruſtra fuere promiſſa ſubſidia; nam ad Greg. XIII. Pontif. & Rodolfi Imp. monita iuſſaque nihil reſipiſcens, è ſacris demùm eiectus eſt, qui ſacra inquinauerat: & Eccleſiæ dominio cedere iuſſus Erneſto Bauaro: ne principem iam Eccleſiæ ſe putaret, cuius nec ſubditus erat. Hinc rurſus claſſicũ. At Erneſtus tũ ſuis, tum Alexandri Parmenſi copiis ita impurum attriuit, vt Caſimiro Palatini fratre ad ſua fœdè reuerſo, Bipontino & aliis Apoſtatę fautoribus fractis ipſe demum excuſſus Bonnâ in Batauiam effugerit. Non fuit cur vel in rerum omnium penuriâ, & vulgi ludibrio dignitatem amiſſam in dãnis poneret, cui datum eſt, ſuam Agnetem habere fortunæ ſociam; quam ſupra omnem dignitatem ſemper habuerat

*Factum armis tuetur.*

*Abdicatur.*

*Armis pellitur.*

## CAPVT XXIX.

### *Caput Anacephalæoticum, de hæreſeon cladibus vel vindicatis, vel reſarcitis.*

NVſquam pertinaciùs impugnata Eccleſia eſt, quàm per recentes Lutheri,

Caluini, & aliorum hæreſes: nuſquam animoſiùs propugnata. In eam actum fraudibus, armis, conſiliis, parricidiis, clade principum, Regum cæde, Regnorum ſubuerſione. Id verò prodigiorum orſus eſt Monachus excucullatus, adeo ad ſubuertendum vel infirmitas potens eſt! & vel à ſcintilla conflari poſſunt incendia, ſi in materiam ſiccam inciderit! Quantùm Eccleſia in ſuis hoſtibus eſt experta perfidiæ, & audaciæ; tantùm in ſuis aſſertorbus fidei, & conſtantię. Ne plus pro impietate auderent orci ſatellites; quàm cęli miniſtri pro Religione. Hinc Præſulum pro antiquis ritibus decreta; Academiarum vindicię, Doctorum ſcripta; & Principum etiam arma. Hinc bella Proteſtantica in Germaniâ, Hugonotica in Galliâ, Gueuſia in Belgio, Zuingliana in Heluetiâ, & alibi alia: de quibus vel dictum ante; vel quantùm opórtuerit poſtea memorabitur. Sacri & inde Ordines prodierunt in aciem, ſiue illos iam ante, quaſi ad bellorum ſubita & incerta conſcripſiſſet Eccleſia, ſiue tunc ad iſtius quaſi militiæ Sacramentum allegerit. Sed nuſquam pugnatum animoſius, nuſquam feliciùs victum, quàm Tridentinâ in Synodo; vbi fulminati noui Promethei, tanto luctuoſius protruſi ſunt ad baratrum; quanto veſanius in cælum ſe ſuâ ſtultitiâ ſuſtulerant. Iſta etiam ſtrictim & ordine referre placet: vt ſi quid ex tot molitionum, fraudium & cladium memoriâ mæroris inhæſerit, vltionis id acceptæ ſolatio leuiatur.

## CAPVT XXX.

### *De Concilio Tridentino.*

SVus etiam venenis vſus eſt. Non ita pertinaciter lædunt, vt non aliquando vel fiant antidota, vel fieri doceant. Id & probatum in hæreſibus, ad quarum veluti cotem veræ fidei aurum probatur: per hæc tempora permiſſum diu creſcere illud lolium; vt adultum faciliùs internoſci poſſet in Euangelicâ meſſe; & decretorum falce in Synodo reſecta, anathematum igne comburi. Ad hoc indictum primò Mantuæ à Paulo III. Concilium; tum, non probato omnibus loco, Vicentiam tranſlatum; demum Tridenti duos annos conſtitit, vt poſt id temporis, morborum ſeu causâ, ſeu prætextu Bononiam transferretur. Ad hæc queri Cæſar, & imperioſiùs vrgere, & Patres Bononiæ, & Pontificem Romæ, vt Tridentum Concilium referretur. Non tamen, ob cauſas, quas poſtea conuenientiùs referam, euicit; vt id gratiæ, Iulio III. ipſi interea ſuffecto, deberetur. Quamquam ea valdè imminuta, ex alienato interea Rege Chriſtianiſſimo, ob proniorem in Cæſarem animum. Quo Reges magnos non agit iniuriæ vel ſuſpicio? Hic oblitus eſt fermè ſe Chriſtianiſſimum, dum ſe Regem nimium meminit, ſiue quia per Amiotum Concilio detrectauit obſequiũ; ſiue quia Proteſtantiũ defectionem in Cæſarem fouit: & occaſio magnam partem fuit, vt ex armorum, quãuis adhuc procul inſonantium, metu Con-

*Concil. indictum*

1545

1547

*Intermiſſum.*

1550

*Redintegratum.*

1552

cilium diſſolueretur Id quam gratum & Germanis Proteſtantibus, & Anglis Hierolaicis, qui celebrem illum Præſulum quaſi Areopagum, non aliter ſemper horruerant, quàm Iudices rei; Dominos fugitiui. Hortati quidem eos ſæpe ſunt Pontifices, Cæſares, Patres, datis etiam ſecuritatis literis; vt ad Synodum conuenirent. At ſurdis fabulæ; emendari puduit, ne dicerentur erraſſe: horrebant medicinam quæ ægros proderet,: & ſua magis volebant foueri vulnera, quàm ſanari. Inde ea in Synodo ab ipſis poſtulata, quæ ſi darentur, Synodus non eſſet. An enim Eccleſiaſticus ille conſeſſus; quem non Pontifex indiceret, ſed Cæſar!& in quo, etiam laicis Apoſtatis, ſuffragij ius eſſet: & id genus alia quæ ſi darentur, non expungeretur antiquus error, ſed nouus admitteretnr. Haud ſegnius tamen à Pio IV. qui Iulium III. poſt Marcellum, & Paulum IV. excepit, redintegratà Synodo, in abſentes dictũ eſt anathema, qui pręſentes reſipiſcere noluerant. Ad hanc incudem vocatà illa nouorum dogmatum ſyluâ; nullum fuit qui malleum ferret; quod ſuis Authoribus placebat vt aurum, vitrum, & ſi quid fragilius repertum eſt. Nec tantùm damnatæ hæreſes, &|ſacra dogmata prope omnia, quę poterant controuerſiam pati, expreſſa clarius, & firmius ſtabilita; ſed piè, & ad ſenſum veterum viuendi norma præſcripta Chriſtianis. Meritò igitur hanc Synodum dicas, *Orthodoxiæ* Regulam, hæreſeon omnium malleum, virtutum Chriſtianarum ærarium, piæ vitæ normam; Conciliorum de-

*Intermiſſum.*

*Ad illud Heretici non venerunt.*

*Quare.*

1562

*Redintegratum hæreſes damnat.*

niſque omnium non tantùm ſummum; ſed etiam ſummam.

## CAPVT XXXI.

### *De Ordinibus Minimorum, Theatinorum, Capucinorum, & Recollectorum inſtitutis.*

INſtituti etiam tùm vel reſtituti Religioſi Ordines, qui contra rebellantem hæreticorum aciem Eccleſiæ eſſent vel præſidio, vel ſolatio: Et non tantum transfugas effringerent; ſed Catholicos etiam ad pietatem promouerent. Id iam in anteceſſum feliciter impleuerat *Franciſcus à Paula*, inſtituto nouo Olympionicorum ordine, qui dum ab 1473 omnibus, quibus non licet in quadrageſima veſci, ſe abſtinent; Epicuream Nouatorum ſectam, ante Deum, Veneri, & Baccho litare ſolitam, proſcriberent, antequam naſceretur. Iſtos vt re coram Deo eſſent ante *Minimi.* alios, infra & nomine eſſe coram hominibus conditor humillimus voluit, dum vt *Minimi* dicerentur inſtituit. Quippe hic vnus apud Deum creſcendi gradus, apud homines demitti.

Nec minus Eccleſiæ roboris ex Theatinis, *Theatini.* quos vt ad vitam profeſſioni conſonam Clerum reduceret; Petrus Caraffa Archiepiſ- 1524 copus tùm Theatinus; poſteà Paulus IV. inſtituit ad eximium illud opus, collaborantibus Marcello Caietano Tianeo, Bonifacio à Colle, & Paulo Conſiliario Sacerdotibus piiſſimis, ex Hadriani primum VI.

tum Clementis VII. ſuffragio. Hi vt Apoſtolos, & ipſis coæuos Chriſtianos perfectius exſcriberent; abdicatis omnino opibus, nihil ſibi ad victum parari voluerunt, niſi quod vltroneis, & non quæſitis Eleemoſinis ſuppeteret. Non nomine ſolùm, ſed re magis addictos diuinis, diuinoſque vel inde noſcas; qui enim magis tales, quàm qui terrenorum poſito ſtudio, totas ſuas curas in cœlos inferunt? His addas Capucinos licet; quibus authore Matheo Baſſa, excitatà ad literam S. Franciſci regulà, adeo paupertas placuit, vt ea ſola ſaginati, & non degeneres ſui Patriarchæ filios, & dignas Deo victimas ſe reddant. Cum iſtis iungere Recollectos placet, ex Obſeruãtibus natos, quãtulum enim eſt diſcrimen Cucullus, ſi & paupertatis ſtudio & Regulæ obſeruantià, & vitę totius auſteriori cultu non ſunt diſpares? Per hos, vt per viuã Apologiam etiamnùm probat Eccleſia Rom. puram ſe ſcrdiũ, quas Hæretici obtrudunt. Efficax enim in matre innocentiæ præiudicium; ſi filios integritatis laude conſpicuos monſtret.

*Capucini.* 1525

*Recollecti.* 1532

## CAPVT XXXIII.

### *De Ordinibus Barnabitarum, Somaſchorum, & Doctrina Chriſtiana Inſtitutis.*

NOn diſpari ſacræ Militiæ ſtimulo prodierunt in aciem *Barnabitæ*, qui quaſi Phœnices, ex cineribus Romani excidij ſurrexerunt. Nam ad conciones, quibus Seraphinus quidam diuexati populi lachrimas deterſum

deterſum ibat, excitati Morigia, Ferrara, 1535
Zacharias, & alij abſcedunt à ſæculo, vt *Barnabitæ.*
æternitati ſe dedant: nec in eo ſibi tutum manere putant, vbi rarò eſt in tuto innocentia; ac approbante poſtea propoſitum Paulo III. Eccleſiam S. Barnabæ Mediolani impetrant, (inde ipſis nomen) quam facerent inſtituti quaſi Metropolim, & Apoſtolicorum militum officinam. Nec ſtudium *Somaſchis* diſſimile, quos ad Militiæ Diuinæ *Somaſcha.*
ſacramentum adegit, geſta parum proſperè prophana militia. Nam Hieronymus Æmilianus Patricius Venetus, parùm ex voto 1531
cum hoſtibus Reip. congreſſus; poſt libertatem miraculo adeptam, militiam agitauit animo, in quâ nunquam vinceretur, ſi nollet. Eius in ordine, qui nomen dant, ita Deo ſe vouent, vt orphanis ſe quaſi parentes addicant, eos ad pietatem inſtituant, & ad artes, quas quiſque pro indole malit, promoueri curent. Deum iſti demereri efficacius non poterant, certum enim iis eum eſſe pro patre, qui egenos adoptant in filios. Hi per totam Italiam iam diffuſi iniere fœdus cum Patribus Doctrinæ Chriſtianæ in Gallia. *Patres*
Iſtorum Inſtitutor fuit Cæſar de Bus, qui *Doctrinæ*
vt Doctrinæ Chriſtianæ cognominis dignos *Chriſtianæ.*
per verba præcones faceret, eam ipſe in ſe per facta expreſſit. Hoc maximè in votis 1592
habuit vir pietatis eximiæ, & Apoſtolicus ex vero, vt rudioribus præſertim informandis, ſui addicerentur, & in ſe illud apprimè impleretur, *pauperes euangeliſantur.* Nouum hunc Ordinem Clementis Octaui ſuf- 1617
fragio inſtitutum, cum Somaſchis iunxit *Somaſchis iuncti.*

Paulus quintus: ſed diſſoluto poſteà ab *Innocentio* decimo Gallorum cum *Italis* fœdere; vt ſuis ſub auſpiciis bella Domini Doctrinarij pugnarent, Alexander ſeptimus voluit. In id ipſi iam ſedulò incumbunt: eam Spartam ornant, & augent vberiori fructu, quàm pompa. Nec enim mundanâ luce radiare tanti eſt apud illos, qui ſpreto ſæculi rumore, vnum duntaxat pro Chriſto ambiunt, animarum ſalutem. Quo tempore cepit in Galliis Congregatio Patrum Doctrinæ Chriſtianæ, cepit & Vrſulinarum Societas, quæ tum etiam ab explicandi Doctrinæ Chriſtianæ prima rudimenta puellis, & ſui ſexus rudioribus munere nomen habuit: dicebantur enim tunc filiæ D. Vrſulæ Doctrinæ Chriſtianæ. Author eius primarius fuit Cæſar de Bus adminiſtroP. Romillono, per quem Inſulanæ in Comitatu Veneſſino domus, quæ prima in Galliis fuit, fundamenta iacta ſunt, cooperantibus ad id ſtrenuè Caſſandra; de Bus, quam patruus Cæſar ad pium illud inſtitutum dudum formauerat, & Franciſca de Bremon; & Cæſare ad primos ſumptus ducentos nummos impendente. Promouit non diu poſt opus ipſe per ſe Cæſar Auenionem digreſſus, aggregatis & hic eiuſdem inſtituti pijs Virginibus, quas ſub ipſius auſpiciis, probatiſſimæ pietatis vidua Ioanna de Capellis regeret. Cum poſtea Pater Romillonus à Congregationis Patribus Vrſulinarum, quæ tunc eorum regimini ſuberant, dictus Prior diſceſſiſſet à Cæſare, inſtitutam illud apud Salyos, & alibi ſuo marte promouit.

*Margin notes:* 1647 *Sciuncti.* — *Vrſulinæ.*

Cum inſuper ex domo Auenionenſi Arelatenſis & Tholozana, viuente adhuc Cæſare, & ex illis aliæ poſtea innumeræ toto regno prodierint.

## CAPVT XXXIII.

## *De Ordine Oratoriorum & Ieſuitarum.*

SVas & partes ad Eccleſiæ decus & præſidium egere feliciter Oratorij. Eis ex ſuffragio Gregorij XIII. originem dedit *Philippus Nerius* flammæ diuinæ diuturnus martyr; vt qui effractis per amoris vehementiam coſtis pectus ampliauerit, quo Dei eſſet capacius; vt nihil mirum ſit diſcipulos humanorum affectuum eſſe planè vacuos, quibus magiſter planè diuinus obtigerit. Quos homines hic Ordo aluerit, æſtima ex *Baronio* & *Taurusio*. Quantum iſti ſuæ Societatis decus! quorum ex virtutibus magis enituit Cardinalis purpura; quàm ipſi ex purpura Cardinali. Baronius ſucceſſu planè mirabili effecit, ne ſuam originem, & progreſſum ignoraret orbis Chriſtianus, editis Annalium Eccleſiaſticorum libris, qui ſoli rerum pietatis & Eccleſiæ curioſis, ſint inſtar omnium. *Taurusius* illuſtrata virtutum decore Italia, ad Auenionenſis Eccleſiæ infulas promotus Gallias erudiit; & ſi auguria non fallant, totum orbem, quando Cæſarem de Bus ad inſtitutum ſuum proſequendum iuuit, & eius Congregationis ſe patronum ac vindicem profeſſus eſt. Ne ſuum Nerium Italiæ Gallia inuideret, *Berullius*

1575 · *Oratorij Inſtit.* · *Baronius* · *Taurusius.* · 1593 · *Berullus.*

1513 *Oratorij Galli.* efficit, pietatis exactiſſimæ Cardinalis, inſtituto in Galliis Oratoriorum Ordine, qui & doctrinam Eccleſiæ ſtrenuè tuerentur, & fidelium mores ad Euangelij normam dirigerent. *Ieſuitæ.* Poſtremò refero Ieſuitas, qui inter 1540 primos locum habere meruerunt: quippe qui ſeu Ordinis amplitudine; ſeu rerum geſtarum famâ nemini cedant. Eorum Societatem inſtituit *B. Ignatius.* *B. Ignatius Loyola, Cantaber*: approbarunt Paulus tertius & Iulius tertius, vt eius opera fidei lucem latè diffunderent; eo etiam quo ſol vix ſuam: quod vt diuinitùs inceptum, ſic & feliciter adimpletum eſt.

## CAPVT XXXIV.

### *De Humiliatis extinctis, & Oblatis inſtitutis.*

VT acies Chriſtiana non magis inclareſceret, ex vocatis ad Sacramentum nouis legionibus, quæ Dei cauſam tuerentur, quàm ab exauctoratis veteribus, quæ ipſam *Humiliati inſtituti.* prodiderant; Humiliatorum Ordinem aboleuit. Hic olim Mediolani ſub Lucio III. inſtitutus, nomen à virtute habuerat, quæ Chriſtianum re facit & prodit. Cum illis conſenſere titulo quidam ex pauperum Lugdunenſium ſcholâ profecti, vt impunè ſub humilitatis elogio ſuperbiam abderent, ac hæreſes diſſeminarent. Factum enim ali- *Pſeudo-Humiliati.* quandiu, vt ſine vlla litterarum notitiâ, & ſacra populis è ſuggeſtu exponere; & ſine Præſulum ſuffragio reos à noxis abſoluere 1199 attentauerint. Sed ab Innocentio III. de-

mùm proſcripti documento fuerunt; quos nominis contagione infamauerant, non fuiſſe ipſis ſocios culpæ, cùm non fuerint & pœnæ. Quamquam fortè præſtitiſſet vel innoxios tunc perire, ob alienam culpam; ne poſtea perirent ob ſuam. Nefas! pietatis illam Academiam, in ſcelerum officinam tranſiiſſe, & ex effræni vitiorum in iſtis licentià, innocentes Ordines veniſſe in inuidiam; ſed quantò facinoroſiùs, quòd à ſuis ſordibus ne abducerentur, facinorum atrociſſimum agitauerint; vt in Carolo Borromæo Archipræſule Mediolanenſi, qui ad meliorem illos frugem reuocare voluerat, virtutum omnium ſpirans exemplar tollerent, qui omnem in ſe virtutis ſenſum extinxerant. Adeo deſperatus eſt à ſummo ad ima caſus! At fruſtrato mirabiliter ictu, quem per ſubornatum Sicarium exploſeraut, quantum auſi eſſent parricidium ediſcunt; dum non perficiunt. Hinc à Pio V. meritò extinctus Ordo; ex quo prodierat qui lucentem & ardentem Eccleſiæ facem extingueret. Nec inde damnum Eccleſia ſenſit; ſiue quia in ſuperſtite Borromæo vno, pluſquam totum Ordinem habuit: ſiue quia ipſe, velut in ſupplementum, *Oblatorum* Societatem inſtituit. Sacerdotes hi erant, qui quaſi Chriſtiani, ſub Archipręſule magiſtro, Peripatetici, per amplæ Diæceſeos Oppida obambulando, diuinæ Philoſophiæ dogmata circunferrent: & ita Deo ſe Oblatos meminiſſent; vt ſui muneris eſſe crederent, alios Sacerdotes & populos dignos reddere, qui Deo offerrentur.

*Proſcripti.*

*Alij D. Carolum necare attentant.*

1571

*Oblati inſtituti.*

## CAPVT XXXV.

### *Abyſſini in Æthiopiâ ad obſequium Eccleſiæ, & Pontificis addicti.*

ACceptas ab hæreticis clades ex eo etiam ſolata eſt Eccleſia Romana, quòd ſuum ius latè per Affricam & Aſiam redintegratum nouit. Inter primos refero Abyſſinos, quibus Preto-Ioannes imperat
1521 in Affricâ. Eorum Principes Dauid, & ipſius Auia Helena, per Matthæum, ad Emanuelem Luſitaniæ Regem, legatum, curato contra Turcas fœdere; ex eo tempore, ſe Chriſtianos animo probauerunt, quo Lutherani eſſe deſierant. Ne de ſuo erga Eccleſiam ſtudio dubitari poſſet, Clementi VII. per Zangarabo legatum detulerunt obſequium. Ita fieri oportuit, vt, quantas vices à Candacis tempore leges Chriſtianæ paſſæ apud ipſos eſſent, innoteſceret, ac primæuæ integritati redderentur. Sacramenta Chriſmatis & vnctionis reſpuebant, vt ſuperflua: connubium Sacerdotibus permittebant: Iudaicos in cultu Sabbati, ciborum diſcrimine, & aſſerendâ vnà cum Baptiſmo, Circumciſionis neceſſitate, ritus amplectebantur. Breui, & hæreticorum damnatis, & ſchiſmaticorum vetitis, & Iudæorum abrogatis placitis ſimul collectis, veram apud ſe Chriſtianitatem vel corruperant, vel obruerant. Nec ſtatim errores eiurati, quamuis in eo Luſitani, Pontifices, Ieſuitæ, & alij ſtrenuè deſudauerint. Non enim vnius diei opus eſt, à multis ſæculis inolitam ſuperſtitionem

*Fœderantur cum Luſitanis*

*Pontifici ſe ſubdūt.*

*Errabant.*

abrogare. Apud illos præſertim, quorum ſacris ille ſummo iure præerat, quem ex gentis ritu, ex ſuperſtitioſa Monachorum B. Antonij in Ægypto colluuie; Alexandrinus Patriarcha ſchiſmaticus ad infulas promouebat. Neceſſe erat vt in membra virus diffluerct, quod reſtagnabat in capite. Operis nimirum perfecti gloria reſeruabatur ad Seltanum Cogetum gentis Principem, qui miſſis ad Vrbanum VIII. internunciis, è Regno potentiſſimo, Eccleſiæ Romanæ Prouinciam fecit.

## CAPVT XXXVI.

### *Poteſtas Pontificia in Orientem latè propagata.*

NEc minor in Orientalibus Patriarchis, Antiocheno, Alexandrino, & Hieroſolymitano, in Eccleſiam Romanam veneratio. Quippe aſſenſi demùm Concilio Florentino, cuius authoritatem diu refugerant, Pio II. per Legatos obſequium detulerunt; glorioſius rati Eccleſiæ Romanæ membra eſſe, quàm ſuarum capita. Nec improbauere factum poſteri, Theophilo & Gabriele Alexandrinis Prçſulibus per Legatos ad Hadrianum VI. & Clementem VIII. durare 1523 ſe in obſequio teſtatis, à quo ſecedere perire eſt. Vidit etiam Antiochenus, perennare vitâ non poſſe membro, cui nullus eſt nexus cum capite. Ob id ſuæ reuerentiæ monitum per Legatos voluit Iulium III. Prô, quam latè per Orientem reuixit, authoritas Pontificia? Quid quod tranſmiſſis Arme-

1594

*Patriarchæ Orientis Romano ſe ſubdunt.*

niis, ad vltimas vſque Orientis oras, ſui maieſtate nominis omnia impleuit? Armeniam certè iam tum à tempore Synodi Florentinæ, in fide Romanæ Eccleſiæ eſſe Gregorius Naxauienſis Archiepiſcopus Iulio I I. teſtatus eſt. Vltra verò, Simon Sulaka om-
1553 nium qui trans Euphratem ad Indos vſque Chriſtum colunt, factus Patriarcha; haud ritè delato munere functurum ſe credidit, niſi ex Iulij I I I. ſuffragio, quem propterea adiit, illud exerceret. Ab iſto ſuam & ab ignotis gentibus potentiam agnoſci Pontifex Rom. didicit; & é ſuorum numero eos eſſe, qui per multa ſæcula Neſtoriani audierant. Eos enim vt illibata fide imbueret, Marcus Patriarcha; Romæ, quo Pontificem veneraturus acceſſerat, à trecentis iam annis ex illimi fonte ſanam doctrinam hauſerat.

## CAPVT XXXVII.

### *Poteſtas Pontificia Maronitis & aliis agnita.*

MAronitæ, cum aliis Orientalibus Eccleſiæ Romanæ profeſſis reuerentiā, locum habere debuerunt, niſi ex fido magis obſequio, proprium meruiſſent. His adeo non nocuit, fuiſſe diu Monothelitarum ſobolem, vt poſt eiuratos apud Haicmerium Antiochenum Patriarcham, & Innoc. III. errores, ad maiorem Eccleſiæ cultum, multum profuerit. Ex falſitatis abiectæ memoria: magis & in perpetuum placuit veritas. Tanti eſt eam ab iis fontibus haurire, vbi

*Vnde Maronitæ.*

pura eſt: Id Ionæ eorum Patriarchæ cælesti prodigio demonſtratum. Dum enim Romæ, quò ad Lateranenſe Concilium, ſub Innocentio III. venerat, ſacra faceret, ritu 1215
Græcanico: fermentatum panem in azimum, & ligneum calicem in argenteum *Prodigium.*
conuerſa mirabiliter ſuſpexit, Deo per ingens prodigium Romanis ritibus, contra Græcanicos, ſuffragante. Quā efficax ad erudiendos homines ſtimulus, didiciſſe à Deo: qui talem magiſtrum habuerat, facilè Armenos, Georgianos, Iacobitas, & ſuos przſertim Maronitas inter diſcipulos, eòſque dociles habuit. Inter eos Maronitæ qualem tum fidem acceperant, ſine vlla errorum mixtura ſeruaſſe ſe probauere, per internuncios ad Gregorium XIII. Digni pro- 1577
pterea, quos ille Pontif. inſtituto Romæ in ipſorum gratiam collegio, & Clemens VIII. Pauluſque V. miſſis per Legatos ſacris muneribus, Catholicos agnoſcerent, & Eccleſiæ Romanæ cultores. Audeant iam deſertores improbi præ largo pulmone vaticinari Pontificiæ Maieſtatis excidium! caſum non timet illa, quæ ſui perennitatis Deum vadem habet: nec bonum ruituri corporis augurium eſt, purgamenta euomuiſſe.

## CAPVT XXXIII.

### *De Cophtorum pertinacia.*

HAud par obſequium in Cophtis, quorum Patriarcha, qui ſe Alexandrinum nominat, Cairi ſedem habet. Spem quidem fecerat eius obſequij, Abrahamus qui-

dam Syrus, qui eius ſe Legati nomine, Romæ ad Paulum IV. venditauerat At citra
1561 fructum ſpes emarcuit, Patriarcha ad Pij IV. qui Paulum exceperat, per Legatos, Abrahami dicta reprobante.

*Pertinacia.* O cæcum qui cæcos ducit in foueam, dum non vult ab alio regi; & diabolico ſub iugo gemit, dum Pontificium non ſubit. Quis neget, cum & ſchiſmate à ſuo capite, & quod ſequitur, hæreſi, à vera fide, & diuelleretur ipſe, & quos regebat abſtraheret.

*Hæreſes.* Septenarium Sacramentorum numerum ita admittunt; vt Matrimonio, Confirmatione, & Extrema-Vnctione excluſis; Fidem, Orationem, & Ieiunium ſubſtituant. De Spiritu Sancto idem quod Græci; nec diuerſum à Monothelitis de Chriſti voluntate & operationibus ſentiunt. Sponſam repudiare, nouamque ſuperinducere non ipſis in vetitis. A ſacris Ordinibus nec pueros quinquênes excludebant. Quos tamen tam facile ad munia, virilem ſupra maturitatem poſita admittebant; non ante per Baptiſma introducebant in Eccleſiam, quàm Circumciſionis ſignati ſtigmate, annos aliquot Iudæi fuiſſent. At ne tunc quidem fiebat intinctio ſine ſacrilegio, cùm ad trinam demerſionem pueri, ter totam Sacramenti formam proferrent. Iſtos, cum tam denſis inuoluerentur tenebris, ad lucem tamen venire puduit. Inde fuit, cur alij factam ſibi gratiam pluris facerent, vt quam oblatam quidem omnibus, ex ingenti miſericordià, non acceptam tamen omnibus, ex culpabili prauitate nouerint.

## CAPVT XXXIX.

## *De Iaponiorum conuerſione, & eorum ad Greg. XIII. legatione.*

EXiguum damnum Copthorum pertinacia, illudque Iaponiorum delato ad Gregorium XIII. obſequio largè penſatum. Illos populos ad Orientis vltima trans orbem poſitos, Deo iam ante initiauerat magnus ille Indiarum Apoſtolus Franc. Xauerius, cuius victoriæ multo plura ſubdiderunt Eccleſiæ, quàm Lutheri & aliorum defectio detraxere. Quæ tùm latè, illas apud gentes, iacta ſunt fidei ſemina, tam fœlici culturà curauere ipſius poſteri, & diſcipuli, vt frugem pluſquam centeſimam in horrea magni patris-familias collegerint. Id Gregorio XIII. cum voluptatis ſuauiſſimæ ſenſu, probatum; quando tres tractuum illorum reges ei tanquam Chriſti Vicario per Legatos detulerunt obſequium. Vt ſcirent hæretici, in Regionibus vltra ſolis annique vias poſitis, tunc Eccleſiæ ad natos eſſe filios & ſubditos, quando ei ſe ipſi proximè ſpurios, & hoſtes prodiderunt. Nec poſthac dubitent, quam in ipſis Eccleſia iacturam fecit, reſarcire tam in promptu fuiſſe Deo; quàm facilè erat impedire: ni iuſtitiæ interfuiſſet eos perire, qui miſericordiá quaſi exhauſerant. Cæterum Gregorius ex prouentu intelligens, quàm boni operarij Ieſuitæ eſſent; eos ſolos in Iaponiis Euangelij præcones eſſe voluit. Id tamen non viſum Clementi VIII. qui & aliis eò

*Xauerius in Iaponia.*

1545

1585

*Legatio ad Pont.*

*Soli Ieſuita in Iapon.*

lucem Euangelicam diffundere, liberum vt eſſet, edixit. Maieſtatis Eccleſiæ nimirùm eſſe credidit; Neophitis illis oſtendi, ei, & aliorum Ordinum viros eſſe, à quibus vinci poſſent: nec id inuidioſum cuipiam fore. Qui enim Chriſtiani ex animo ſunt, non quæ ſua ſunt quærunt, ſed quæ Chriſti: & ad Apoſtoli normam; non curant à quo, dum intelligant Chriſtum annunciari.

1600

*Clemens omnibus ire permiſit.*

## CAPVT VII.

### *De cauſis interrupti Concilij Trident & de bellis inde inter Pontifices, Farneſios, Francos, Hiſpanos, & Caraffas ortis.*

INterturbatum fuiſſe Tridentinum Concilium, ſub Paulo III. & Iulio III. dum de ipſo, meminimus. Iam quando eſt liberum, nec ab argumento res abit; qua id occaſione contigerit, carptim memorandum. Porrò Paulum adductum dicunt, vt Concilium primò transferri, tùm interrumpi fineret; quòd in eo ſuæ dignitati detractum iri, ex artibus Cæſaris, vereretur. Erat enim cur ab eo ſibi timeret, quem filio Petro Aloiſio iniquum nouerat; ſiue dum eum Parmæ & Placentiæ Ducem ſuffragio ſuo dicere diu noluit; ſiue dum eumdem Placentiæ à ſubditis cæſum, adeo non vultus eſt; vt occupatâ, per Ferdinandum Ganzagam Mediolani præfectum, Placentiâ, ſuſpicionem fecerit cædis ſe ſuaſorem fuiſſe, cuius præmium inuaſerat: Siue, quod caput, & rei cardo erat; quia putabat Pon-

*Cur Paulus Concilium diſruperit.*

1547

tifex Cæſari eſſe perſuaſum, non efficaciorem eſſe rationem reſtituendæ in integrum Maieſtatis Imperatoriæ in Proteſtantium animis; quàm ſi de Pontificiâ detraheretur. Inde factum, vt dum priuata quiſque nimium quærit, publica neglexerit. Et quis ſciat, ſi quando Germanicæ Eccleſiæ rebus non prouidebatur à Concilio, ad ſuum ipſe *Interim* condendum, adductus Cæſar non fuerit? Defuncto interea Paulo; ita Concilio adiecit animum Iulius III. ipſi ſuffectus, vt in ipſo ſtatim initio impegerit. Occaſio ab Octauio Farneſio Aloiſij filio; cui Parmam attribuerat. Cum enim Octauius Cæſarem, quamuis ſocerum, parùm æquum experiretur; nec à Gonzagæ artibus tueri vltra ſe poſſet, Henricum II. Galliæ Regem vindicem acciuit, admiſſo intra Parmam Francorum præſidio. Inde bellum Octauio indictum à Pontif. quod inter Regem & Cæſarem alterutrius vindices, magno ipſorum, nec minori Eccleſiæ damno atrociter exarſit. Cum inde Henricus & Proteſtantium res fractas per ſuum auxilium erexerit: & vt Concilium, cuius authoritatem iam per Amiotum legatum infregerat, prorſus diſſolueretur; occaſio ex parte fuerit. Nec mortuo interea Pontifice, (in quo etiam, Iulios parùm æquos eſſe Gallis conſtiterat.) receptiſque à Cæſare Senis; quæ pulſo Hiſpanorum præſidio, Francos acciuerant, ſeque ſtrenuè aliquandiu Monlucio Duce defenderant, ceſſatum eſt ab armis, per quinquennales inducias, niſi vt ſtatim Sacramento poſthabito, ab Henrico, ex Pontificis im-

1548

*Belli origo.*

1552

*Quo Concil. abrumpitur.*

*Senæ ſubactæ.*

1556

pullu & veniâ reſumerentur. Quippe Paulus IV. poſt menſtruum Marcelli II. regimen, Iulio ſuffectus, Caraffam non exuit in Pontifice; & ex ſtirpis ſuæ indole, viſus non eſt initio infulas obtinuiſſe, niſi vt ad Nepotum libidinem, ad rem Francam, contra Hiſpanam in Italiâ promouendam, eas impenderet. Ideo ſtatim in Columnios quaſi coniurationis reos dictum anathema: & illorum vrbes occupatæ. Nec à procellâ tutum præſtitit ſacrum ſuum munus, Oratorem Philippi Regis, qui quaſi Columniacæ coniurationis reus in carcerem truſus eſt. Hinc nomine Caroli & Philippi indictum bellum Pontifici ab Albano Neapolis Prorege, & totum fermè Latium ſeruandum, vt dicebat, Eccleſiæ, futuroque Pontifici occupatum; non multo fructu, Stroſſio, Monlucio, Guiſio, & qui omnibus Pontificiis prçerat, Hercule Ferrariæ Duce, obluctatis. Accreſcebat Pontificis in Italia periculum; ex Sanquintineâ clade illatâ Francis in Picardiâ: ni Guiſius, ob id in Galliam reuocatus, fuiſſet author Pontifici, vt cum Albano pacem, quam ſui Regis nomine frequens obtulerat, iniret. Ab hoſtibus conuerſus ad ſuos, Cardinalem Caraffam, Paliani & Montiſbelij Regulos, alioſque cognatos, qui motus conciuerant, vt piſcarentur in turbido, omni adminiſtratione abdicatos à curiâ procul ſemouit. Nec enim debuerunt vltra rebus Eccleſiæ præeſſe, quas in prophanam nundinationem mutauerant: meritoque Pontifex ſui illum Pontificatus annum primum, qui fuit vltimus vitæ, di-

*1555* (beside "lus IV. poſt menſtruum")

*Bellum recrudeſcit.*

*Pax.*

*Papa nepotes pellit à Curia.*

*1559* (beside "meritoque Pontifex")

rit: Fuit hoc imminentis à Pio IV., qui Paulum excepit, tragœdiæ triſte præludium. Quando Caraffæ aliqui proceres, inter quos Carolus Cardinalis, diminuti capite, alij poſt longum carcerem exhauſti opibus, omnes indigni dicti, qui ad Eccleſię vnquam munia promouerentur. Prodigioſa mutatio; vt qui in magno illo theatro ſublimes & pluſquam Reges inceſſerant; iidem mox cothurnis, & ſpecioſo cultu, quaſi poſitis, deiecti, miſeri, nulli deſpicerentur. *Carraffarum pœna.*

## CAPVT XLI.

### *Turcæ ab inſula Melite fœde pulſi.*

CVm nouos hoſtes intra ſuum ortos ſinum, & intima depaſcentes viſcera vel mollire clementiâ conabatur Eccleſia; vel minis & armis præfocare: non ei quies fuit à veteribus, & externis: vt quia nulla erat ei pars ſine periculo, nulla etiam eſſet ſine pugnâ, nulla ſine palmâ. Veteres porrò eius hoſtes Turcæ ſunt, quibus cum naſci ex cladibus, & creſcere ruinis contigerit, fixum eſt non ceſſare, donec & per ſtrages eâ ſint adepti magnitudinem, vt maiorem non poſſint: & iam nõ ex ficto, ſuæ inane lunæ imperiis quaſi orbibus impleant. Inde Solymãno iam ſeneſcẽte, Conſiliũ Hoſpitalarios Melite excutere, vt pulcherrimâ victoriâ, bella & vitam clauderet, quã pluribus triũphis cõtexuerat: ſimul, vt eâ ſublatâ remorâ, facilius poſteri fines promouerent. Nec putabat è dignitate Senioris & veterani, quotidianos eorũ inſultus impunè pati; quos iunior & Tyro excuſſos

*Qui Duces Turcarum quæ claſſis.* Rhodo infregerat. In eos igitur ſuſcepta expeditio Ducibus Muſtaphà & Piali: qui cum ducentarum nauium claſſe; quibus poſtea acceſſere, cum ſubſidiis, Dragutes Tripolis Proſultanus, & Chaſanes Barbaroſſæ filius, Algerij Rex. Sub medium Maij Inſulam applicuerunt: An inciderunt in ſcopulum? Nam vltra quinque & viginti ſuorum *Quæ damna.* millia amiſerunt, nec in ſolatium, Inſulam, vt olim Rhodi ſubegerunt. Iam quidem S. Hermetis arx, an Arcis fœda veſtigia ceſſerant; & diſiecta S. Michaëlis & Burgi propugnacula, ſpem conſummatæ victoriæ hoſti fecerant. Sed in ipſis Equitibus, ac Valetæ imprimis ſupremi Magiſtri animis ac manibus, obiecti ſunt aggeres; qui nullis machinis, nullis aſſultibus expugnarentur. Inde conuaſandi Barbaris, ac abeundi conſilium. Sed cum in ſuperuenientes interea ex Siciliâ auxiliares, atque ex recenti nauigatione nauſeabundos fortunam iterum tentant; qui vltro diſceſſiſſe credi poterant, ex- *Pelluntur.* pulſi ſunt ſub medium Septembris. Suæ virtuti plurimum debuerunt Equites, ſed multo plura diuino præſidio, quod ad ſupplicationes à Pio IV. indictas promptius fuit; *Cunctatio Garsiæ.* quâm à Garciâ Siciliæ Prorege, ad Philippi iuſſa. Hic enim dum anxiè nimis cauet, vt ſine periculo mittat auxilia, prope non miſit. Solymannus pudorem cladis, dicto cele- *Dictum Solymanni.* bri abſterſit; quando abiectis in terram quæ rem indicabant, epiſtolis, à ſua vnà manu, ſuum feliciter ſtringi gladium, dixit.

CAPVT.

# CAPVT XLII.

## Turcæ inſulâ Cypro potiti.

ACceptam Melite à patre ignominiam vt Selimus vindicet, in Venetos intentat arma, ni Cypro vltro cedant: vt quam Inſulam, ſollicitato, promiſſis etiam auxiliis, Sabaudo ad illam ſibi aſſerendum, per ſpeciem alieni iuris non inuaſerat, per apertam demùm iniuriam ſubigeret. Ideo validiſſima tranſmiſſa claſſe, ducibus Muſtaphâ, Piali, & Hali, primò Nicoſium vi expugnatum, deinde anno poſt Famaguſtà, poſt continuam duorum menſium oppugnationem, in fidem acceptà, & in duabus primariis vrbibus tota Inſula ſub iugum miſſa. Amiſſi tam citò Regni culpa penes claſſem fœderatam fuit, quam Pontificiæ, Hiſpanæ, & Venetæ naues conflauerant. Dicas eam coïuiſſe, vt circa inſulam profecta illatæ cladis magis teſtis eſſet, quàm vindex; vt quam nec prohibere, nec vlciſci tentauerit. Quanto audacior Nicoſiana illa virgo, cuius nomen latuit, vt ei de ſola virtute nomen eſſet! Nam vt ſe ab obſcœno Selimi igne, cui cum aliis vtriuſque ſexus Iunioribus deſtinabatur, eximeret; Heroïcum auſa nefas, igne in nitratum puluerem iniecto, ſe, comites, & naues aliquot, deſolatæ patriæ ſpoliis onuſtas ſuccendit. In Virginei decoris ſocietatem dignus qui veniat Bagradinus Famaguſtæ præfectus. Magnum in eo, quòd disjectæ iam vrbi diu pro muro fuerit, & ſexaginta hoſtium millibus contrucidatis, ſibi ſuiſque

*Nicoſiũ ſubactum & Famaguſta.*

1571 *Et tota Inſula.*

*Puellæ factum Heroïcum.*

*Bagradini conſtantia.*

glorioſè parentauerit. Sed illuſtrius multò quòd Muſtaphæ, præter fidem, atrociter ſęuientis ferociam infractus exhauſerit. In eo virtutis conſummatę impleti tum numeri ſunt; nec enim mihi perfectus ille, qui fortitudinem agendo prodidit, niſi virtutem conſummauerit patiendo. Sic amiſſo, per nefas, regno, quod per nefas inuaſerant, experti demum Veneti ſunt; *non legum formulis, ſed armorum viribus in ius Principum Regna cedere*; vt hæc verba quibus, ſæculo ante, Mocenicus Carlotæ rationes eluſerat, non magis fuerint ſpoliatæ Reginæ ludibrium, quàm ſpoliandæ Reipublicæ præſagium.

## CAPVT XLIII.

### *Victoria Naupactea de Turcis.*

AD hoſtis victorias exciti fœderati, ſe accinxere demùm ad vindictam, qui prohibuiſſe debebant iniuriam. Venetis nauibus præerat Sebaſtianus Venerius, abdicato Zanio, qui ante nullo operæ pretio

*Duces* præfuerat. Pontificias regebat M. Ant. Co-
*Christia-* lumna, Hiſpanas Ioannes Auſtriacus, penes
*ni.* quem ſumma rerum erat. Ab illis ſimul ad Naupactum, in ſinu Corinthiaco, ea eſt re-
1571 lata victoria, quæ ſummouendi ab Europâ Barbari eſſet initium; ſi cum vti victoriâ oportuerat, frui non maluiſſent. Certè Selimus cladem acceptam maioris auſpicium ominatus, adfuturoſque propediem Bizantio victores ratus, cò ſtatim, ad præſidium Hadrianopoli accurrit. At illi quaſi nihil ſuper-

eſſet, quod vincerent, diuiſâ inter ſe nauium centum & octoginta captarum prædâ; dimiſſis, ad quatuordecim Chriſtianorum millia, quos liberauerant: ( cæſa hoſtium plus viginti quinque millia dicuntur ) ad ſua ſe quiſque, prætextu vario, receperunt: & illuſtri victoriâ partum decus, receptu inglorio dedecorarunt. Quamquam ſi ſuorum, ſi hoſtium longè maiorem numerum, ſi ventum, in ipſo ineundæ pugnæ articulo ad vota mutatum, reputent, non planè victores ſe, ſed inſtrumenta dumtaxat victoriæ fatebuntur. Adfuere de cœlo auxilia, quæ eximia Pij V. Pontificis pietas, & ſollicitudo acciuerat, in erebi miniſtros. Quando enim cum hoſte manus miles conferebat, ſuis Pontifex in cœlum ſublatis, non ante à poſcendis auxiliis deſtitit, quàm per illa ad Deiparæ patrocinium impetrata, fractum hoſtem, eo ipſo, quo vincebatur, momento, diuinitus nouit: nimirùm ſub Octobris initium. Inde inſtitutum, ad memoriam, vt quotannis eo tempore, feſtum in honorem Deiparæ celebraretur, ac vt ea in Litaniis *Auxilium Chriſtianorum* poſthac in perpetuum diceretur. Simul ad noua & maiora intentus Pontifex, fœderatos admonuit, ne parti decoris gloriam, incuriâ labefactarent. Nec dubium, quin, qua erat authoritate in homines, & pietate in Deum, ad nouas victorias excitaſſet, ni fuiſſet ipſe interea vocatus ad æterni triumphi gloriam. Ea mors fuit hoſti pro victoriâ: ex eo enim & ipſe reparatâ claſſe inualeſcere, & conſeneſcere fœderati. Verè dictum Selimo poſt cla-

*Damnum hoſtium.*

*Victoria de cælo.*

dem tùm conſtitit: *Et abraſam à Chriſtianis barbam in claſſe, quæ citò ſuccreſceret; Chriſtianis ab eo reſciſſum brachium in Cypro, quod numquam redderetur.* Nec minor veritas Tammaſi Perſarum Regis dicto, quando vrgentibus Satrapis, vt arma palam in Turcam clade fractum indueret, non ante id ſe facturum dixit, quàm de Chriſtianorum progreſſibus quid maius inaudiuiſſet. *Parui eſſe magno principi ligna amiſiſſe, dum ſupereſſent ſyluæ, vnde noua ſuppeterent.*

## CAPVT XLIV.

### *Diſſidium inter Paulum V. & Venetos.*

EX vulnerum ſenſu, quibus apertè hoſtes lacerarunt Eccleſiam, diligentius & à Catholicis cauendum ſibi cenſuit Paulus V. ne leui diſſimulata iniuriâ gradus fieret ad grauiorem. Quamquam Veneti, qui non peccauerunt in Eccleſiæ dignitatem, niſi ex acriori politicæ, apud ſe, ſtudio, non putabant eſſe ſe in vitio; cum ſi iſta non ſit in integro, illam tandem labi, neceſſe ſit. Nec ſine quâdam æquitatis ſpecie licitum ſibi putabant ad prophanum tribunal Clericos vocare, quos Præſulum incuria quibuſque prophanis ſceleſtiores faceret. Nec minori iuris ſpecie viſi edicere; ne, ſine Senatus calculo, bona poſthac ſtabilia Eccleſiis attribuerentur; aut ſacræ ędes conderentur. Verebantur nimirùm viri prudentiâ politicâ magis fortè, quàm Chriſtianos deceat, imbuti; ne Clericorum opes, in egeſtatem laïcorum

*Cauſa diſſidij.*

verterent : & ne potentior Eccleſia Reipublicæ damnum traheret : quæ ſi vacillet, ſua Eccleſiæ firmitas ſtare non poteſt. At humanior illa prudentia diuinæ fortè iniuria fuit : Nec enim auferuntur opes Reipublicæ, quæ Deo dantur, qui omnia quæ per ipſas habent homines, per ſe ipſe dare poteſt ſine ipſis. Ad hæc Pontifex commotior dum monitis nihil proficit, diris agit : totamque ditionem Venetam ſacris interdicit. Illi contra obluctari, negare ſe reos læſæ Eccleſiæ, cauſari inanem illam eſſe ſententiam, vtpote iniuſtam : populis demùm & clericis, ne à ſacris abſtineant edicere. Ab ſcriptis & verborum rixà, ibatur ad arma ; Hiſpano ad Eccleſiaſticæ dignitatis præſidium auxilia promittente. Nec ſtetiſſet in Italià flamma diſſidij ; ad partium ſubſidium venientibus fœderatis : ni eam authoritate comprimere, magis Regium putaſſet Henricus IV. partium medius ; quàm alteri addictus alere. Eius itaque nomine, Cardinales Ioioſa, & Perronius, ita rem compoſuere ; vt Venetis, poſt redditos, qui erant in vinculis, ſacerdotes, pollicitis non vſuros ſe iure controuerſo, donec de ipſo clarius liqueret, Pontifex anathema reuocaret. Sic in integrum omnia reſtituta : At non Ieſuitæ. Maluerant illi, cum Capucinis excedere, quàm ad præſcriptum Senatus, in contemptum Pontificis, ſacra facere. Redeundi copia facta Capucinis ; At non ipſis. Victimæ in hoc obſequij & pietatis, dum exceſſerunt vt Pontifici parerent ; Pacis & moderationis, dum non redierunt, ne pacem turbarent. Vtrobique digni, quos

*1606 Veneti ſacris moti.*

*1607 Pax.*

reſtitui demùm curaret Alexander V I I. & Veneti admitterent.

## CAPVT XLV.
## *Hæreſis apud Griſones & Valeſtinenſes afflicta.*

AD Rhætos, ſeu Griſones ab Heluetiis tam latè ſe promouerat hæreſeon virus, vt nihil in fide ſani reliquiſſet; ni medicam ei manum admouiſſet animorum ille non infelicior emendator, quàm felix aſſertor fidei, Carolus Borromeus, Mediolanenſis Archiepiſcopus Hinc acrius Hæreticorum odium; &, quò tutius poſtea ſæuiret, diu tectum. Ex occaſione fœderis cum Hiſpanis initi, eò tandem aſperius erupit, quò diutius delituerat. Nam quaſi is eſſet aditus Hiſpanico apud ſe iugo, Catholicos fœderis authores præcipuos vexari, pelli, cædi crudeliter curant: & Curienſi Præſule in perpetuum pulſo; Sundrenſem Archipreſbyterum, & alios impiè necant. Breui imaginariam tyrannidem, verâ mutant; & fœdus cum exteris ſoluunt, indigenarum excidio. Id nimirùm hæreticis libertas eſt; impunè poſſe Catholicos vexare. At & modum habet aliquando patientia; & eò inardeſcit ad vltionem acriùs, quò diutius ad iniurias tacuit. Inde enim Valliſtelinæ Catholici Griſonibus ſeu ſubditi, ſeu fœderati, facinus audent, ad ſuam fideique ſalutem magis neceſſarium, quàm legitimum. Quamquam haud videtur ſemper iniuſtum, cum pereundum, aut perdendum eſt, perdere, ne pereas;

*Hæreticorum ferocitas.*

tunc maximè, ſi perire non poſſis, quin tecum fides. Valleſtinenſes igitur Catholici ne pereundo fidem perdant, fidei hoſtes, ex Ducis Feriæ Mediolanenſium præfecti auxilio, trucidant; Griſonibus, qui magno numero ad vltionem accurrebant, ſtrenuè repreſſis. Inde facta Duci Feriæ copia conſtruendarum aliquot arcium, ad præſens gentis præſidium, &, ſi daretur, ad futurum Hiſpani dominium. Ad hęc queri Sabaudus, Veneti, ac etiam Franci, quaſi aditu illo Germanis & Heluetiis clauſo, ſub iugo eſſet Italia. Nec Rex Catholicus ad Chriſtianiſſimi monita, arces disjicere detrectabat, dum aliter Catholicorum præſidio caueretur. Sed quia tardius pro voto implebantur quæ voluerant; ipſi per ſe Rheti, ſuum ius armis promouere tentant. At vbi ius eſt in armis, ei malè conſulunt infirmi contra potentes. Adeo igitur non diruerunt arces, vt fœdè repulſi, viam ad ſua hoſti patefecerint. Nam hinc Dux Feriæ, inde Leopoldus Archidux Rhetiam ingreſſi violatæ Religionis pœnas ab impiis exigunt, & reuocato Curienſi Præſule Romanam fidem vbique reſtituunt. Nec ſuperfuiſſet hęreſis; ni ſuſpecta ſemper vicini potentia, cum nimia eſt, Francum perculiſſet. Ideo miſſus cum copiis Cuearius, qui Hiſpanorum victoriis obſiſteret. Inde pax, qua ſtatutum, vt in Valletelinâ ſoli Catholici degerent, quibus liceret eſſe ſine noxa in Rhetiâ, cum hæreticis mixti. Sic ſuis ex damnis auctâ fide, ſuis machinis hæretici conciderunt.

*Atrox Catholicorum facinus.*

1620

1621

*Catholici præualent*

1626

*Pax.*

## CAPVT XLVI.

### *Hæreſis in Bohemiam, Hungariam, Tranſiluaniam & Auſtriam propagata.*

*Unde in Bohemia hæreſis.* IN Germaniâ tùm, Bohemiâ & Hungariâ monſtrum Lutheranum longè atrocius ſe commouit. Quippe in ſuo ſterquilinio hęreſis magis ferox. Nec mirum de Bohemiâ: ſuam in Lutheranis propaginem agnoſcebant Huſſitarum reliquiæ. Non mirum etiam de Hungariâ & Tranſiluaniâ, turbas enim amat hæreſis, quibus, iam tum à Lutheri æuo, diuellebantur illæ prouincię: & eas, ſi datur, excitat, ſin minùs *Et in Hungaria & Tranſyluania.* quęrit. Hinc Ioannes Sigiſmundus, quem perduelles Hungarię Regem dixerant, & eius poſtea filius Ioannes, vt ſe à Ferdinandi Auſtriaci iure & viribus tuerentur, acciuere Turcicas in auxilium, & etiam Tartareas hęreſi admiſsâ: vt & ad Hungaricam tyrannidem vis & impietas aditum aperiret. At perfidi, tyrannidi quidem & impietati ad alienum Regnum aperuere viam; ſibi verò à ſuo etiam Tranſyluanię ſolio aditum tandem precluſerunt. Nec enim improbitati ſemper fortuna ridet. Sed tum pręſertim inualuit hęretica lues; cum Georgius Monachus interemptus eſt. Tum enim Georgius Blandrata ſe proferre liberius; ac ad nouas hęreſes, antiquas Arij, Samozateni & aliorum adjungere, non in Tranſyluaniâ ſolum, ſed & in Poloniâ & Lithuaniâ, quas iam ante

ante Confeſſioniſtæ corruperant, & poſteà; ne qua ibi peſtis ceſſaret, Caluiniſtæ infecerunt. *Inualeſcit* At ne de nouorum intruſione dogmatum ſibi tum Blandrata ſolus placeret, ei adfuere Comites Gentilis, Alciatus, Gribaldus & alij, quorum poſteà plurimi defecerunt ad Mahometanos; Tranſgreſſu facili, quantulum enim inter ipſos diſcriminis? *Eam Turca prohibet.* quamquam ab eorum placitis Solymannus abhorruit, vt qui, ne illis ſectæ copia in Tranſyluaniâ fieret, edixit. Hungariam autem adeo pertinaciter lues inſedit, vt Rodolphus Cæſar, deſperatione remedij, eius libidini, ad poſtulata Boſtkai, qui occupatus ab hæreſi Tranſyluaniam occupauerat, Regnum illud permiſerit. 1606 Oleum incendio ſuperfudit haud multò poſt Bethlemgabor, qui Prouincias illas Turcarum auxilio iuuaſit. Sed venit ad vltima furor, quando perfidus ille cum hæreticis Bohemię, fœdus icit. *Permittitur à Rodulpho Imp.* Tunc enim Rodolphus, non Bohemis tantum, ſed & Auſtriacis, qui diſcordiam inter ipſum & fratrem Mathiam, in occaſionem ſtabiliendæ ſectæ verterant, profitendę palam impietatis copiam facere coactus eſt. Sic ex malo Principum domeſtico publicum emerſit, & fratrum piiſſimorum diſſidium ſocietatem an conſpirationem impiorum peperit. Quę Palatino Principe, & Anhaltino Vicario Ducibus *Correſpondentium* dicta eſt: ex quâ Bohemię primum, tum Germaniæ prope totius, atque adeo Europę euaſtatio erupit. Hinc enim furor Bohemicus; hinc procella Suecica; hinc bellum Hiſpano-Francicum, & inde quid non Europâ totâ

(multos enim Proteſtates, inſolentia facinoris à Correſpondentium fœdere abduxerat) per Ducem Bauariæ, Buquoium, Tillium, & alios, receptis aliquot Prouinciis, ipſum demum Palatinum ad Pragam tanta clade perculit; vt qui alienum Regnum inuaſerat, ſuo Palatinatu ceciderit. Eo interea Bauaro & Spinolà, qui cum copiis è Belgio aduenerat, potitis. Pragenſem victoriam Deo tulit acceptam Imperator: quam Christi hæc verba, *Reddite quæ ſunt Cæſaris, Cæſari*: quæ tunc in Euangelio legebantur, promiſerant: Et Dominicus à Ieſu Maria, Carmelita excalceatus & prædixerat, & cum imagine Deiparæ, cui oculos rebelles effoderant, per ordines inter pugnandum circumcurſans, ex parte pepererat. In monumentum, conditum in loco prælij Templum in honorem Deiparæ Victricis; vt eam Imperator ornaret, quam vindicauerat: & Victrix ea dignoſceretur, quæ vincendi fiduciam dederat. Hinc reſtitutis Catholicis, fauſtà vice Hæretici in perpetuum exularunt, & Electoralis Dignitas Bauaro collata. Palatinus tam ſua perdere impatiens, quàm aliena inuadere auidus; è Batauià quò euaſerat, nihil qua precibus, qua armis non egit, quo Imperatorem ad veniã molliret. Sed qui per iniuriam rapta reddere iuſſus noluit, iure perdita recuperare proſcriptus non debuit. Nec Angli, Bataui & Daniæ præſertim Rex, eius ſe præſidio felicius addixerunt. Hic enim à Tillio, Vvaſteinio, Papenheimio, & aliis Cæſareorum ductoribus ſæpe cæſus didicit, qui perduellibus fauent, perduel-

1620 *Vincuntur.*

1622 *Noui Regis pæna.*

lium pœnas ferre. Cum arma non procederent, itum rurſum ad preces, nec fruſtrà cum interueniente ad patrocinium Hiſpano, flecti iam videretur Imperator; ni ipſe interea Palatinus cum Guſtauo Sueco fœderatus, clementiæ aditum obſtruxiſſet, breui poſt, tædio Moguntiæ periturus. In rerum omnium indigentià, nouo ſe titulo paſcere potuit; & qui ex amplà ditione nec glebam poſſidens, Regis nomen retinuit, dici poteſt laboraſſe in titulum Sepulchri. Nec duobus eius filiis fortuna proſperior; Quippe dum patris ſecuti veſtigia, vi repetunt quod obſequio debuerant, cladem ſic augent, vt alterum euaſiſſe, altero Viennam abducto, pro lucro fuerit. Denique non ante illis datum redire ad ſua, quàm Pax Monaſterienſis Germaniam totam pacaſſet. Tum egregio documento probatum, pacem æquam non tantum vtilem eſſe victis, ſed ſæpe pro victoriâ.

*Sueco iungitur.*

*Pax.*

## CAPVT XLVIII.

### *Tertium Bellum Proteſtantium, ſeu Suecicum.*

*Guſtauus Suecus.*

SVis ex cladibus animoſior Proteſtantium factio inſurrexit iterum, & fortunam pertinacius vrgendo, ſuarum tandem partium fecit. Eius primum & maximum beneficium fuere Guſtavus & Ludouicus Reges, ille Sueciæ, iſte Franciæ. Guſtavum autem, fuiſſe turbarum fomitem, & hæreticorum aſſertorem, qui à puero innutritus hęreſi fuerat, nihil mirum. At Ludouicum Regem

piiſſimum, in Germaniâ iniſſe fœdus cum hæreticis, quos ſua in Galliâ ſubegerat, mirum magis; ni potius id Eccleſiæ fuiſſe patrocinium videretur. Impiis ſe admiſcuit Rex Chriſtianiſſimus, vt eorum ferociâ mitigatâ Eccleſiam & pios facilius tueretur. Non ſic Germani proceres, quibus perire fuit quaſi in lucro, dum Auſtriacos, & cum ipſis Eccleſiam perderent. Quod enim beneficium ſperent à Barbaro niſi Polyphemicum; nempe vt poſtremi deuorentur: Vel eo miſeri, quod patriæ ſuperſtites erunt. Id ſeriò agebat ille; poſt pulſos leui manu ex Pomeraniâ & Megalopoli Cæſareos, ad interiora Germaniæ, per magnas iuteriacentium ſtrages, progreſſus. Alicubi tamen obſtabat Tillius, & quantum dabatur, Germaniam & rem Catholicam à caſu prohibebat, cæſis etiam ad Magdeburgum hoſtibus, & vrbe illâ, ob pertinaciam, funditus euersâ. Sed eo primùm ad Lipſiam fœdè profligato, deinde ad Lycum amnem ita cæſo, vt breui poſt obierit, impunè Franconiam, Vveſtphaliam, Bauariam, Sueuiam peruagatus eſt, direptis Cœnobiis, violatis Eccleſiis, viris ſacris pulſis; cum interea Elector Saxonicus Bohemiam ſubdidiſſet. Paucis ſuis ita ruinis obruebatur paſſim Germania & Eccleſia; vt vtrique ab excidio vindicandæ, nec ſalus ipſa eſſe videretur. Cum ecce velut ex machinâ Deus ad auxilium. Dicas eum fluctuare ſuos diu paſſum, vt per quem euaſiſſent clarius cognoſcerent. Nam Vvalſteinius, plurium palmarum Imperator, Tillio ſuffectus, in recupe-

*Eius fœderati.*

1630

*Progreſſus.*

1631

ratâ ſtatim Bohemiâ, vindicandæ Germaniæ præſagium dedit. In hoſtem itaque, vnà cum Papenheimio, totâ virium mole mouēs, eum ad Lutzenam, nō procul à Lipſiâ, vel vicit, vel ne vltra vinceret, fecit. Imo vicit. Nam etſi cadens, more fulminis ruinam haud modicam cæſo cum copiarum parte
1632 Papenheimio, fecerit, cecidit tamen, & qui
*In acie trucidatur.* alieni ſanguinis haud parcus fuerat, ſuum ipſe, hoſtili transfixus ferro, fudit. Exinde in Cæſareos fortuna pronior, Suecos Ducibus Vveimario, Hornio, & aliis paſſa non eſt exurgere, & nonnumquam præualere, niſi vt grauius affligerentur. Nam ad Nor-
1634 thlingam, Ducibus Ferdinandis, illo Re-
*Sueci vaduntur.* ge Hungariæ, iſto Cardinale Infante Hiſpaniç, Bauaro, Lotharingio & aliis: nec non breui poſt, ad Argentinam, Ducibus Lotharingio & Vuertio, tanta clade fracti ſunt, vt cęſis viginti, minimùm, millibus, ſuo ſanguine extincturi fuiſſent flammas, quas excitauerant, ni in tepidis adhuc cineribus eas per Longauillam, Guebrianum, Anguienum & alios Francus excitaſſet. Bellatum poſthac aliquandiu Marte vario, & alternans victoria, ſic ad Francos & Suecos dedeflexit, vt Cæſareos viciſſim ſuperiores faceret. Cum interea miſera Germania alienæ ambitionis & ferociæ pœnas daret, & ab eis paſſim hoſtilia pateretur, qui ipſius libertatis ſe vindices venditabant. Vtra pars vinceret, ipſa ſemper vincebatur, & victoris fiebât ſpolium. Nec per tot bella vnquam
1648 ex vero vicit, niſi cum pace Monaſterienſi
*Pax.* promulgatâ vincere vltra non eguit; & in-

ſtrumenta belli, in feſtorum ignium materiam mutata vidit.

## CAPVT XLIX.

## *Quintum & vltimum Bellum in Hugonotos.*

RErum in Galliâ potitus Henricus IV. multa vltro Hugonotis indulſerat, ne per vim plura exprimerent; dum tamen ſua ipſi Catholicis bona, Templaque redderent. Ad hoc tamen in Bearnio, quoad ipſe vixit, & in teneris Ludouicus eius filius fuit, adacti nõ ſunt. Ne dũ in vnâ Prouinciâ Religioni conſulitur, in toto regno noceretur. Nondum enim cicatrix vulnus obduxerat, nec poterat in ipſum ferro agi, ſine ſenſu & damno partis ſanioris. Sed Ludouicus ſui per ætatem factus arbitrij Regem ſe Prouinciæ 1617
non putauit, quæ Deo non obſequeretur: 1619
edixitque improbis, vt ſtatim Eccleſiijs bona Eccleaſis bonis redderent. Obſtitere tamen, à Lodunenſi ſuorum Conuentu, præter iuſſa regia diutius protracto, in pertinaciâ cõfirmati. *Bearnenſium pertinacia.*
Ni mirùm vt cogi poſſent; vel Regiæ ſolâ Maieſtate præſentiæ. Id verò quàm facilè! cum ſine ſanguine; quàm citò! cum quinque dierum ſpatio eos Rex adierit, viderit, vicerit. *Subiguntur.* Ex mirabili ſucceſſu quantus Scipio, ad ſuæ ruinã Carthaginis regnaret, proſpicere debebant: Non verò conſtitutâ Rupellæ, 1620
Reipublicæ nouâ formâ, ſub Rohanij & Subiſij præſertim præſidio, & excidium accerſere fugiendo; & Regem, qui munitiſſima eorum Oppida ſubdidit, prouocare deficien- *Rupellana Reſp.*

do. Montalbanus quidem cæſo Maienio, & Regiorum obſidentium diſceſſu, diſtulit cladem; at non euaſerat, per Guiſium intereà & Monmorantiùm nauticâ pugnâ victis Rupellanis; ni Rohanus, armato ſe Regi noſcens imparem, clementiam tentaſſet; & promiſſo ad Monſpelium obſequio, ſibi &
1622 ſuis impetraſſet. At quam neceſſitas pacem
*Pax.* expreſſerat, Anglici auxilij fiducia violauit. Nempe vt ita demùm vincerentur; vt iterum non deberent. Primum decus victoriæ Toraſio debitum, qui Anglos Duce Bukingamio Ream inſulam, non procul a Rupellà, apulſos tandiu exiguâ manu ſuſtinuit, donec ab adueniente cum auxiliis Schom-
1617 bergo profligarentur. Ab exteris relata vi-
*Angli ad Ream.* ctoriâ, præiudicium fuit reportandę ab indigenis. Hinc itum ad Rupellam, vt hæreſeos jugulum peteretur; & vitam ſperare deſineret monſtrum diu atrox, cui eſſet ablatum caput. Obluctata diu pertinaciter impia ciuitas; quaſi ſpes eſſet eius euadendi iugum, qui per obiectos aggeres Neptuno acto in vincula, arte naturam domuerat. Rediere tamen Angli ad auxilium; ſed vt fœdè repulſi, teſtes eſſent excidij ſociorum, non vindices. Poſt longam igitur & nihil
1628 non expertam famem, Victoris tandem leges ſubiit, quæ iugum Regno parauerat;
*Rupella deditur.* & disjectis mœnibus, vel feris patuit, quæ Regi ſuo diu fores clauſerat. Cautum etiam; ne quis poſthac non Catholicus in eam migraret; ne nouâ hęreticorum colluuie, vltra pagi menſuram creſceret, quæ ſuâ magnitudine tam malè vſa fuerat. Vis tamen huic

legi facta tractu temporis; vt eam tanto parente digna ſoboles, Ludouicus X I V. reſtitueret, multis Hugonotorum familiis aliò migrare iuſſis. Auſum poſt Rupellam Priuatium reſiſtere, vt poſſet expugnari. In aliis nihil laboratum, vt qui à ſubactis perduellibus inuictus Rex innotuerat, à ſeruatis agnoſceretur clemens. Exciſæ tamen paſſim arces, vt ſublata turbandi fiduciâ, paci tandem inquieti aſſueſcerent; & illarum excidio ipſi ſeruarentur. Turbatum ſubinde tamen, nonnihil alicubi; ſed leuiter, & ſine publicæ pacis damno; & ideo ſæpius diſſimulatum. Vt ſubactæ belluæ, iactare iugum, frænumque mordere pro ſolatio eſſet. Quâquam id etiam tandem à Rege piiſſimo vindicatum, Montalbani & alibi addictis ad pœnam reis; fanis quæ præter Edicti Nannetenſis leges conſtructa fuerant, dirutis; & Arauſionis etiam propugnaculis, quæ ſola ſectariis in Gallia ſupererant, in planum deductis. Erant eæ Ludouico X I V. *ſtrumæ*; Illas in Regno pati noluit, quas vt ſanare poſſit in homine, Deus indulſit.

1660 *Et omnia poſt ipſa* 1660

Et hic finis ſit *Floro Chriſtiano*, vt qui ab Imperatore pacifico, ſub quo Chriſtus natus eſt, habet exordium, in eo finiatur Rege, qui nihil Auguſto minor, pacem Europæ non dedit, niſi vt ſuo in Regno, renaſceretur erga Chriſtum reuerentia, ſicubi per bella interciderat. Velim vt ea (Lector Chriſtiane) tuo excitetur & foueatur in animo, mei ex lectione opuſculi. Vt tibi ſit pretium operæ, in legendo, quod mihi ſcopus præcipuus fuit in ſcribendo. Vt enim

valde cupiuerim Florum meum placere floſculis, vt verè ſit *Florus*; magis tamen prodeſſe fructibus, ne fruſtra ſit *Chriſtianus*. Vtrumque ſi obtigiſſe nouerim, dabo operam, vt magis placeam & proſim, in editione altera: Interim his vtere (mi Lector) & vt Deo ſolo vnà fruamur, eum quæſo te, apprecare, per quem, & ad quem ſolùm, bonus omnis vſus eſt. Vale.

FINIS.

---

# ERRATA

*Aliqua ex erratis quæ irrepſerunt in impreſsione hic emendata, lector, habes, cætera, ſi quæ occurrerint, per te ipſe facile emendabis.*

| *Pagina.* | *Linea.* | *erratum.* | *emendatio.* |
| --- | --- | --- | --- |
| 6 | 25 | transfugar | transfugas |
| *ibid.* | 27 | alma | palma |
| 10 | 12 | audiendi | audendi |
| 14 | 5 | damnabat | damnabit |
| 17 | *vltima* | latens | patens |
| 45 | 4 | labente | latente |
| 129 | 18 | verum | merum |
| 334 | 4 | Gotheſcalci placi | attributis Goteſcalco placitis |
| 391 | 22 | ememorant | memorant |

# INDEX RERVM.


A

Bailardus hæreticus. 451
Abiſſini. 796
Acephali hæretici Eutychiani. 202
Adelbertus Pragenſis. 350. 383
Adelbertus Hamburgenſis. 349
Adeodatus Pontif. 281
Æones Valentini hæretici. 51
Afflictio vtilis. 273
Agapetus I. Pontif. 244. II. 379
Agatho Papa. 281
Agobardus Lugdunenſis vult Crucem coli, & non alias Imagines. 298
Agnoitæ hæretici Eutychiani. 203
Agripa Rex. 22
Alexander I. Papa. 60. II. 428. 395. III. 485. IV. 527. V. 603. 665. VI. 661. 673.
Alexander Parmenſis. 780. 782
Alaricus Gottus Romam capit. 177
Albanus contra Guiſios. 777
Albigenſes hæretici. 436. 438 440
Cardin. Albornorſius ditionem Eccleſiaſticam ſtrenuè vindicat. 551
Almericus hæreticus. 453
Alpais Pipini pellex. Lambertum præſulem occidi curat. 302
Amandus Flandrorum & Vaſconum Apoſtolus. 302
Ambroſius cum Iuſtina 127. pugnat contra Victoriam 137. Theodoſium arguit. 138
Ambroſiana Eccleſia in ſchiſmate. 388
America ſubacta 685. Chriſti legibus imbuta. 690
Amurates Turcarum Imper. laſè vincit. 621
Anabaptiſtæ hæretici. 743
Anacletus Papa. 47. 59
Anaſtaſius I. Papa 158. II. 219. III. 377. IV. 484.
Anaſtaſius Imperat. Eutychianus 202. Fulmine perit. 205
Andræas Apoſtol. 28
Andium Dux hæreticos ſternit 767. Rex Poloniæ creatur. 769
Angli Britanniam occupant. 686
Fiunt Chriſtiani. 263, 271.

Anglorum Regum eximia pietas. 274
Anglorum Regum ſacrilegia. 209. 412
Schiſma faciunt. 749
Angliæ Rex capite cæſus à ſubditis. 756
Anicetus Papa. 49. 61
Antonius Monachorum conditor. 98
Anſelmus Cantuarienſis vexatur pro iure Eccleſiæ 409. certat contra Græcos. 432
Anſgarius Hamburgenſis præſul. 331
Anterus Papa. 103
Antidicomarianitæ hæretici. 186
Antropomorphitæ hæretici. 159
Apollinaris hæreticus. 128
Apologiæ pro Chriſtianis. 63
Apoſtoli vocati 6. Sp. ſancto pleni 16 Ob. bem inter ſe partiuntur 22. pro Chriſto patiuntur. 17 28
Apoſtolici hæretici. 54. 56. 562.
Apoctatici hæretici. 562
Aqua benedicta. 60. 359
Aquarij hæretici. 54
Aragonia. 264
Aragonij certant pro Sicilia 515. 524. 516. & pro Neapoli. 612. 659.
Ariſtotelis libri damnati. 452
Arbogaſtes Gratianum necat. 137
Arius hæreſiarcha. 112
Arianorum molitiones 113. 115 120. 122. vide Gottos, Vuandalos.
Arnulfus Imperator Romam capit. 337. 359
Armeni Catholici. 477
Arnaldus de Brixia hæreticus turbas ciet 445. crematur. 447
Artis miracula. 257
Aſcodrytæ hæretici. 54
Aſtati Manichæi. 313
Athanaſius exagitatus pro fide 113. 114. 115. 123. &c.
Atila Rex. 184. 217
Auares barbari. 235
Auarus iudex iniquus. 26
Audæus hæreticus. 159. 160
Auenio Pontificum. 595
Auitus Viennæ præſul contra Semipelag. 165 Sigiſmundum Regem Burgund. conuertit. 181
Auguſti dictum de Herode. 3
Auguſtinus Manichæus. 77. eos refutat. 78. & Donatiſtas 87. & Priſcillianum 143. & Pelag. 163. & Semipelag. 165
Auguſtinus alter Anglorum Apoſtolus. 269
Auguſtiniani. 495. 497
Auſtriaci Principes. 347. 536
Auxentius Arianus. 126
Auxumitæ conuerſi. 228

Aurangius Guſiorum fautor 775 cæditur 782

B

Bajazethes. 618
Balduinus Rex Hieruſalem 458. 459
Balduin. Imperat. Conſtantin. 469
Baptiſmus Conſtantini. 97
Baronius. 795
Bartholomæus Apoſtol 28
Clades Sanct. Bartholomeana. 768
Bardeſaniſtæ hæretici, 54
Barnabitæ. 791
Baſilius Magnus. 125
Baſilius Imperat. piſſimus. 367
Beguini. 591
Belleſarius 178. 180 150. 153. 229. 235.
Benedictus I. Papa 146. II. 282. III. 355. IV. 377. V. 380. VI. 381. VII. 382. VIII. 423. IX. 374 425. XI. 590. XII. 593.
Benedictus Monachorum conditor 99. quid ipſi cum Totila. 194
Beneficiorum pluralitas. 596
Beda venerabilis. 274
Berengarius Foroiulienſis Italiæ Rex. 337. 338
Berengarius Eporedienſis Italiæ Rex. 338. 342
Berengarius hæreſiarcha. 426
Bernard. Claraual. contra hæreticos 435. 436. expeditionem in Orientem promouet 459 Innocentio II. in Schiſmate fauet 442. Abailardum refutat 451. Clarus habetur. 492
Berta Regina in Anglia fidem promouet, 269
Berullus. 794
Bibliotheca ab Iconomachis incenſa. 291
Bizochi. 559
Boëtius. 192
Boij populi fide imbuti, 229
Bohemia Christiana. 350. hæreſi infecta 814
Bolena pellex Henrici VIII. 750
Boleſlaus Dux Bohemiæ Chriſtianus. 250
Bonifacius I. Papa 214. II. 244. III. 278. IV. 278. V. 279. VI. 359. VII. 344. 382. VIII. 518. 519. 534. IX. 599.
Bonifac. Mogunt. Germaniæ Apoſtolus. 284
Bonifacius Ruſſorum Apoſt. 363
Bongomili hæretici. 452
Boruuius Dux Bohemiæ, 350
Bragradini pia generoſitas, 807
Brancaleo Romæ tyrannus. 450
Braccius bellator ſtrenuus, 615

Bretiſlaus Bohemus Poloniam vaſtat. 360
Brigitani Monachi. 490
Britanni Chriſtiani 92. nomen ſuum dant Armoricis. 183
Brunehildis Regina. 301
Bruno Ruſſorum Apoſtolus. 363
Bruno Carthuſianus. 493
Burdinus Antipapa. 404
Burgundi. 180
Bulgari. 305
Bellum Bohemopalaniticum. 816

C

Cadolaus Antipapa. 395
Cadolaitæ pro Nicolaitis. 387
Cahiani hæretici. 53
Caius Papa. 106
Cappucini. 790
Caliphæ. 702
Calliſtus I. Papa. 102. II. 481. III. 669.
Caluinus hæreſiarcha. 763
Calumniæ Græcorum in Latinos. 364
Cœnobitæ 98. 503. pro ſacris imaginibus vexati. 293
Cœnobij Caſſinenſis ingens theſaurus direptus. 364
Cæſar Borgia. 658
Cæſar de Bus. 731
Calendarium reformatum. 728
Carolus Martellus Saracenos ſternit 262. tuetur Pontifices 309. Fidem promouet in Germania. 284
Carolus Magn. tuetur Pontificem & dicitur Imperator 304. fidem promouet in Hiſpania contra Mauros 265. Longobardicum regnum extinguit 288. Saxones domat. 286
Carolus Caluus ius Eccleſiæ violat 414. aliena inuadit. 324
Carolus Craſſus. 336
Carolus Andegauen. 512, 531
Carolus VIII. in Italia, 657
Carolus V. in Affrica 683, pro Americanis leges condit 688. Turcas à Vienna repellit 708. pro Mediolano certat 711, Florentinos domat 717. Proteſtantes 739. Interim condit. 741
Carrafæ vexati. 804
Carolus Borromeus. 795, 812
Cardinalium origo, 152
Carmelitæ. 489
Camaldulenſes. 494
Carthuſienſes. 493
Catenæ Petri venerabiles. 23
Caſimirus Rex Poloniæ Monachus 360
Caſſanus Tartarorum Rex. 583
Caſtellanum regnum. 369
Caſtitatis facinus. 66, 82, 236. 328.

Catharina Alexandrina. 82
Catharina Senenſis. 522. 540
Caribertus Rex excommunicatus 302. Tria Capitula. 222
Charitas Amidæ præſulis. 170
Celibatus Clericorum 385. 388
Celeſtius Pelagianus, 162
Celeſtinus I. Papa 163. 215. II. 483 III. 487. IV. 526. V. 217 533.
Chriſti primordia 1.2. &c. miracula & transfiguratio 8. Conſilia, Præcepta Sacramenta 9.&c. paſſio 13. Reſurrectio & Aſcenſio 15 Chriſtiani 19. effigies in nummis. 366
Chriſtophorus Papa. 377
Ciſtercienſes. 492
Circumcellion[illegible]. 86
Synodus Chalcedonenſis 198. impugnatur. 201. 202
Claraualenſis. 492
Claudius Taurin. Iconomachus. 298
Clemens I. Papa 44. II. 425. III. 487. IV. 529. 592. V. 594. VII. 721. VIII. 730.
Cletus Papa. 40. 43
Clodouæus Rex Francorum. 182
Clodoaldus Princeps Monachus & Diuus. 301
Condormientes hæretici. 569
Columbanus Abbas fidem propagat. 228
Colonia hæreſim excludit. 784
Conon Pontifex, 282
Conon Cardinal. pro iure Eccleſiæ etiam contra Pontificem. 403
Conſtantius Chlorus. 78. 73
Conſtantius Imperat. Arianus vexat. Catholicos. 117. 118. 119.
Conſtantinus Magnus. 94 Baptizatur 97. Conſtantinopolim condit. 97
Conſtantinus Copronymus. 293. 294
Conſtantinus Papa. 307. 308
Conſtantinus intruſus. 267
Conſtantinus Pogonatus contra Monothelitas. 251
Conſtans Monothelita plectitur. 251
Cophti. 799
Cornelius Papa. 104
Crux Conſtantino viſa. 94. Inuenta 100. ſemper integra 101. Captiua 238. reſtituta 240. 241. eius ſigno incendium extinctum 354. in vexillis. 94. 789
Cyprus conuerſa à Paulo 25. Luſinianis attributa 466. à Turcis ſubacta. 807

## D

DAmaſus I. Papa 155. II. 426
Dani Angliam ſubigunt 328. trucidantur 330. fiunt Chriſtiani 331. 349. item Lutherani. 748
Demetrius Rex Ruſſorum Romanæ ſedi Vecti-galis. 363
Deſiderius Rex Longobardorum. 288
Diaconi eliguntur 18. contendunt cum presbyteris. 158
Diocletianus. 78
Dioniſius Pontifex. 105
Dioſcorus Alexandrinus. 172
Dioſcorus Antipap. 244
Docitæ hæretici, 55
Donatiſta. 83. 85. 87
Donus Papa. 381
Dominicani 496. Florentia pulſi & reſtituti. 723
Doctrinæ Chriſtianæ Patres. 731
Domitiani perſecutio. 40
Dunſtanus Cantuarienſis. 388. 329.
Deciana perſecutio. 67
Diſſidium inter Paulum & Barnab. 25. inter Epiphan. & Chriſoſt. 149

## E

EAdmundus Rex in Anglia martyr. 328
Ebbo Rhemenſis abdicatur & reſtituitur 322. fidem promouet in Daniam. 331
Ebroini ferocitas. 302
Ecdilbertus Rex in Anglia fit Chriſtianus, 269
Ecthesis pro Monothelitis. 246 279
Ecelinus tyrannus. 541
Edelburga Regina in Anglia fidem promouet. 269
Eccleſiæ firmitas 35. 49. 83. Non iniquinatur ex vitijs miniſtrorum. 345
Eduinus Rex in Anglia victor ex prece ad crucem. 272
Electio diuina diſcrimen non inuenit, ſed facit. 22
Electionis Pontificum libertas violata 192 390. reſtituta 282. 352. 390. ius eius defertur Germanis. 394
Electores Imperij. 346
Eleuterus Papa. 62
Elizabetha Angla hæretica 754. proſcripta. ibid 727
Encratitæ hæretici. 54
Eon præſtigiator. 452
Entuſiaſtæ. 131. 744
Epiſcopus quinquennis. 415. duodennis. 419
Epheſina Synodus. 196
Epheſinum Latrocinium. 198. 217
Equites militares. 474. 475. 498

Eruli. 177
Eſſenii. 7
Eſtenſes Ferraria potiuntur 548. deijciuntur. 730
Ethelredi Regis in Anglia pia fiducia. 329
Euariſtus Papa. 59
Eucharistia. 86. 569
Euchitæ hæretici. 131
Eulalianum ſchiſma. 171
Eugenius I. 280. II. 478. III. 483. IV. 631. 667.
Eulogius pro Martyribus. 261
Euſebius Papa. 133
Euſebius Vercellenſis. 140. 116
Euſebiani Ariani. 114
Euatſſiani hæretici. 130
Eutyches hæreſiarcha. 197
Exarchi Rauennates. 233
Euphraſiæ pia fraus pro virginitate. 83
Exarchatus Papæ attributus. 187
Expeditiones in Orientem contra Mahometanos. 456. & ſeq.

F

FAbianus Papa. 103
Fauſtus Regienſis ſemipelag. 244
Felix Papa I. 106. II. 119. 156. III. 219. IV. 244.
Felix Antipapa mire pius. 835
Feliciſſimus ſchiſmatis author. 68
Ferdinand. I. Caſtellæ Rex. 365
Fides inter perſecutiones propagata. 91
Fontebraldini Monachi. 492
Formoſ. Portuenſis abdicatur, reſtituitur, & fit Papa 339. turbæ ex eo. 340 359
Poſſarij hæretici 567
Franci in Gallijs 181. fiunt Chriſtiani 182 Imperium exſuſcitant 303. in Sicilia trucidantur 513. pro Neapoli certant 514. 516. 608. 612. 656. 659. item pro Inſubria 711. 713. Hiſpanos præcedunt. 720
Franciſcus I. Galliæ Rex 711. 719
Franciſcus Xauerius. 695
Franciſcani. 495
Francofordienſis Synodus. 298
Fredegundes Regina ferox. 301
Fratricelli hæretici 559
Flagellantes varij 563 565 566
Florentini rum varia diſſidia. 538. 540 716
Florentinum Concilium. 635 643
Flauianus Antioch. ad Theod. 189

Flavi n. Conſtantinop. in Neſtor. 198
Fridericus Ænobarbus renouat diſſidia pro inueſtituris 406 Antipapam promouet 406. ad pacem agitur 409. mouet in Orientem 463
Fridericus II. Mouet in Orientem 466. Schiſma conflat 508. Miſere perit 509. item & liberi. 510
Friſij conuerſi. 276
Frumentius Indis prædicat. 92
Falconis Rhemen. magnanimitas. 415
Fulgentius Ruſp. exulat pro fide 190. agit contra Semipelag 166. & pro Monachis Scythis. 212

G

Gabrinus Romæ tyrannus. 554
Gallicanus martyr ſub Iuliano. 135
Gelaſius I. Papa. 219. II. 481
Genua Metropolis facta. 483
Genuenſes cum Venetis certant. 588
Geneua apoſtatat. 764
Genſericus Romam capit. 179. 217
Germania latè Chriſtiana 284 Vaſtatur à Lutheranis 736. 739. & ſuecis. 819
Germanus Byzantin. pro Imaginibus 346
Goſtici obſcœni. 52
Godefridus Poloncus 456
Gonzaga Mantua potitur. 548
Gothescalcus an prædeſtinatianus. 332
Gotthi 176. Romam capiunt 177. Italiæ dominantur 178. Ariani ſunt in Italia 191. & in Hiſpania 187. extinguntur in Italia 178. 192. fiunt Catholici in Hiſpania. 188
Grandimontenſes. 493
Gratianus Imper. paganos premit 136. occiditur. 128
Gratianus presbyter Schiſma ſopit, & fit Papa Gregor. VI. 374
Gregor. I. Papa 247. 269. 385 388. II. 292. 308. III. 309 292. IV. 353. V. 344 383. VI. 375. 425. VII. 395. 429. VIII. 487. IX. 525. X. 530. XI 597. XII. 664. XIII. 727.
Gregorius Nazianzenus. 123
Gregor. Turonenſis. 301
Granatenſe regnum conſtitutum à Mauris 370. ſubactum à Ferdinando. 608
Græci in Latinos iniqui 458. 460. 462. ſunt in ſchiſmate 637. non reſipiſcunt bona fide 640. Eorum imperium ex-

tinctum. 649
Griſones Catholici contra hæreticos. 812
Guaſca Americam pacat, nec fit ditior. 689
Guelphi & Gibellini. 508
Guilhelmus Angliæ Rex ius Eccleſiæ vſurpat. 409
Guilhelmus Aquitaniæ Dux in ſchiſmate 442. pœnitet. 443
Guſij Belgici 775. 777. 779. 781. 783.
Guſtauus ſuedus. 818
Guiſius ligam promouet 770. vnà cum Fratre Cardinale necatur. 771

H

HAdrianus I. Papa 311. II. 356. III. 358. IV. 484. V. 530. VI. 720.
Haraldus Rex Danorum Chriſtianus. 331
Hegira Mahometis. 255
Heluetij Zuingliani. 761
Heluidius hæreticus 167
Hemerobaptiſtæ. 7
Herodum mors tetra. 3. 23.
Herodiani. 7
Henoticon Zenonis contra Concilium Chalcedonenſe. 205
Henriciana Schiſmata. 395 402
Henricus II. Anglus violat Eccleſiæ ius & Thomam Cantuar. vexat. 410
Henricus VIII. Schiſma facit. 749
Henricus III. occiſus. 771
Henricus IV. Galliæ Rex vincit Catholicos 770. Conuertitur. 772
Henricus Hæreticus. 435
Hermenigildus martyr. 188
Hermogenes hæreticus. 55
Hieruſalem exſcinditur 37. vocatur Ælia 64. regnum excitatur 3. Chriſtianis 457. exſcinditur à Mahometanis, 461
Hilarion Cœnobiarcha. 99
Hierarchicus ordo inter miniſtros Eccleſiæ. 61. 106. 311. 314.
Hieronymus pro fide contra varios. 146. 141. 162. 168. adeſt Damaſo 157. Spernitur à Siricio. 158
Hieronymitæ Monachi. 494
Hieronymus Prag. crematus. 628
Hieronymus Sauanarola. 674
Hilarius Pictauienſis. 116. 126
Hilarus Papa. 217
Hincmarus Rhemenſis. 322 329. 333.
Hildebrandus 389
Homeritæ conuerſi. 228
Hiſpania à Barbaris ſubacta 175. fit Ariana 187. fit Catholica 188. ſubigitur à Mauris 259. vindicatur, & multa in regna diuiditur. 264

Hiſychiſtæ hæretici. 641
Honorius *I.* Papa 249. 279. *II.* 482. *III.* 524. *IV.* 532.
Hoſpitalarij equites. 471. 704
Hugo Arelatenſis in Italia, 338. 341
Hugonis de Atro Cardin. factum illuſtre. 404
Hugonoti Caluiniſtæ. 763. 764. 765. 768.
Humiliati extincti. 794
Huniades in Turcas. 621
Hunni. 183
Huſſitæ hæretici. 627. 629. 631. 646
Hungaria à Turcis vaſtata 621. 651. 706. ab hæreſi corrupta. 814

I

Acobi duo Apoſtoli. 22. 29.
Iaponij. 801
Iconomachi hæretici. 89. 290 damnantur. 195. 298
Ieſuatæ. 497
Ieſuitæ 794. Venetijs excluſi & reſtituti. 812
Ignatius Loyola. 794
Ieſus ſaluris nomen à ſanguine 2. pro omnibus 2. pro omnibus 2. 14. 21. 7
Ignatius Byzantinus vexatus. 315
Ignis Deus apud Perſas. 70
India à Luſitanis luſtrata 591 fidei initiata. 593
Imperium Occidentis exciſum 177, excitatum à Francis 303. aſſertum Germanis. 346
Imperium Græcorum 9: cupatum à Francis 468. exciſum à Turcis. 649
Innocentes caſi. 3
Innocentius *I.* Papa 230. *II.* 432. 441. *III.* 505. 522. *IV.* 526. *V.* 530. *VI.* 595. *V.* 693 *VIII.* 673. *IX.* 730.
Interim Cæſareum. 741
Ioann. Apoſtol. 41. Baptiſta 4. Chryſoſt. vexatur à Theophilo 147. 149. 150. prouocat ad Papam 151. tuetur cœlibatum Clericorum 385 Simoniacos abdicat. 388 poſt mortem colitur 151. eius fautores dicti Ioannitæ. 151
Ioann *I.* 192. 243. *II.* 244. 213. *III.* 246. *IV.* 279. *V.* 282. *VI.* 307. *VII.* 307. *VIII.* 323. 324. 339. 357. 365. *IX.* 341. 376. *X.* 357. 377. *XI.* 341 378. *XII* 342. 343 380. *XIII* 343. 348. *XIV.* 344. 382. *XV.* ibid. *XVI* ibid. *XVII.* 423. *XIX.* ibdi. *XX.* 424. *XXII.* 552. 593. *XXIII.* 665.
Ioann. Eleemoſinarius. 239
Ioann. Damaſcen. 291
Ioann Zemiſces Imperat. Ruſſos cædit 362. & Saracenos 366. eſt valde pius. ibid.
Ioan. Auſtriacus 808. 779
Ioann ſine terra Rex Angliæ impius 412. 413. abdicatur. ibid.
Incorrupticolæ hæretici. 201

Inueſtituræ ad ſacra. 390
Iouianus Imperator. 136
Iouinianus hæreticus. 168
Irenæus martyr. 63
Irene Imperatrix. 295. 370
Italia Græcis ſubducta ob Monomachiam 292. in varios regulos diuiſa & inde diuexata 536. 537. 538. &c.
Iſmaë. Sophi. 696
Iubilæum. 572
Iulius I. 514. II. 675. 718. III, 723.
Iulianus Apoſtata. 133
Iuſtiniana Imperatrix in Ambroſ 127
Iuſtinianus Imperator. 204 223
Iudæi vbique vexati 38. 63. 166. 167. 578. &c.
Iudaizantes. 57. 61

L

Lapſorum Schiſma. 68
Laudo Papa. 377
Latinorum in Orientem expeditiones variæ 456. &c. 584.
Laurentius in Angl. præſul ab Angelo flagris admonitus 271
Laurentianum ſchiſma. 207
Lazarus Monachus pro ſacris Imaginibus. 297
Lazi conuerſi 227
Leo I. 184. 216. 198. II. 282. III. 303. 351. IV. 292. 354. V. 377. VI. 378. VIII. 381. IX. 376 426. X 719.
Leo Iſaurus Imper. Iconocl. 290
Leo Armen. Imper. Iconoch. 295
Legio Chriſtian. fulminatrix. 50
Leodegarius Auguſtodun. 302
Leouigildus Hiſpan. Rex. 188
Lepra Conſtantini. 97
Liga in Francia.
Linus Papa. 43
Licinius. 95
Liberius Papa 118. 119. 120. 155
Liuonienſes equites. 476
Libellatici. 68
Libri ſacri cremari iuſſi à Diocl. 79. hinc origo ſchiſmatis. 83
Longobardi in Italia. 230
Longobardia inter varios regulos diuiſa. 537. 548
Liga in Francia contra hæreticos 170. diſſoluta. 772
Lotharius Rex Monachus. 317
Lotharius alter impurus & periurus. 327
Lotharingia à quo dicta. 323
Lucifer Calaritan. & ab eo ſchiſma. 140. 155
Lucilla Donatiſtarum fautrix. 84
Lucius I. Pontif. 104. II. 483. III. 486.
Lucius Rex Britan Chriſtianus. 98

Ludouicus Pius Imper. 322
S. Ludouicus Rex. 441. 470
Lugduni Martyres. 50
Pauperes de Lugduno. 436
Luitprandus Rex Longob. 232
Lupus Trecenſis contra Pelag. 163. Flectit Attilam. 184
Lusitania Mauris adempta 370. Caſtellanis ſubdita & ſubducta. 700
Lutherus 732. 737. Lutheranorum progreſſus 734 domiti 736. diſcordes 742

M

MAcedoniani hæretici. 122
Magdalena in Gallia. 20
Magnentius tyrannus. 110
Mahometes. 254
Mahometani latè vincunt & vexant Chriſtianos 256. vide Turcas & Saracenos.
Mahometes II. 622. 623. 624. 649. 651. 652. Turbæ Byzantij ob Mœchiam. 370
Manes. Manichæi 76. 216. 312.
Mamaluchi. 703
Manfredus Sicilia potitur. 511. 512.
Marcitæ hæretici. 54
Marcellus I. Papa 152. II. 724.
Marcellinus Papa. 107
Marcianus Imperat. 198
Marcion Hæreticus. 36
Maria Aragonia Angliam Eccleſiæ obſequio reſtituit. 752
Maria Stuarta Regina Scotiæ capite Cæſa. 760
Maronitæ. 798
Marozia Romæ imperitat. 331. 341
Marinus I. Papa. 280. II. 288. III. 379. IV. 514. 232. V. 606. 666.
Margarita Auſtriaca Florentiæ & Parmæ Dux 717. Belgium regit. 775
Maſſa Candida martyres. 73
Maſſaliani hæretici. 131
Maſſilienſes Semipelag. 165
Mattheus Apoſt. 28
Mathias loco Iudæ. 29 30
Martyrium improbatum à Valentino 51. item ab Hiſpanis præſulibus 261 Propugnatum ab Eulogio. *ibid.*
Materiarij hæretici. 55
Mathildis Comitiſſa. 431
Mauri in Hiſpania variè vexati. 264. 679 681
Mauritius Imperator. 236. 237. 247.
Maximus tyrannus. 127
Maxentius tyrannus. 94
Maximus Abbas contra Monothelitas. 250. 251
Medicæi Florentiæ Domini. 715
Mediolanum exciſum. 193. 408. Diſſidijs laceratur. 543. 711.
Melchiades Papa. 153

Meletianum ſchiſma. 88
Melitem Paulus appellit, & mira in ea præſtat 27 eam ſtrenuè tuentur Equites hoſpitalarij. 805
Methodius poſtea Patriarcha Byzantinus ſtrenuè tuetur Imagines. 297
Mendacia probat Priſcillianus. 142
Millenarij hæretici. 160
Mimi Martyres. 81
Mincius Antipapa. 428
Minimi. 672. 789
Minoritarum diſſidia. 557
Minutius Felix. 63
Miſco Polonorum Dux Chriſtianus. 360
Modus etiam in bono neceſſarius. 56
Monachi primi 98
Monfortius in Albigenſes. 439. 440.
Monaſterium ab Anabaptiſtis inuaſum. 745
Monothelithæ. 248. 251
Monophyſitæ. 202

N

Victoria Naupactea. 808
Nazaræi. 7
Narſes. 194. 230
Nauarra fit regnum. 264. ab Hiſpanis inuaditur. 678
Edictum Nannetenſe. 775
Neapolitana eccl'a. 511. 514. 516. 607. 609. 612. 655. 659.
Neronis perſecutio. 33
Neſtorius Hæreſiarcha. 194 215
Nicolianæ Virginis factum heroicum. 807
Nicolaus *I.* 306. 316. 323. 355 *II.* 428. *III.* 531. *IV.* 533. *V.* 666.
Nicæa ad Varum Turcas arcet. 710
Nicenum *I.* Concil. contra Arianos 115. *II.* contra Iconoclauſtas. 295
Nicephorus Imperat. Manichæus 313
Normanni in Gallis 325. Fiunt Chriſtiani 327. Sicilia potiuntur 419. Regum nomen obtinent. 420
Noruegia conuerſa 349
Notarij ad acta Martyrum. 103
Nouatianum ſchiſma. 66

O

ODo Abas Cluniacenſis 342. Romanos motus componit. 376. 379
Odoacer Rex Erulorum 177
Octauianus octolennis Pontificatum inuadit ſub Ioannis nomine 342 primus Pontificum nomen mutat. *ibid.* & 380 abdicatur, *ibid.*
Oblati. 795
Oblationes & benedictiones frugum, 106
Gradatio in Ordinibus. 106, 214. 311.
Ophitæ hæretici. 52.

Oratorij. 795
Oranum ab Hiſpanis ereptum mauris. 683
Origenes 67. 144. Fautores habet 145. Eos opprimit Theophilus Alexandrin. 146. 147. 149.
Oſtenda. 783
Oſtrogotti. 176
Otto Magnus Italiam pacat 342. Fidem latè promouet 348. 350. Ditionem Eccleſiæ attributam confirmat. 343
Otto *IV.* contra fidem datam peccat, & piiſſime pœnitet. 345
Otto *IV.* certat pro Imperio. 505

P

PAgani vnde III. noua moliuntur. 135 136. 137
Pachomius 99
Pœnitentia publica 103. 93
Pontænus Indiæ Apoſt. 92
Parochiæ. 59. 105. 152
Palladius Scotorum Ap. 163
Papa Octodennis 281. 380. item duodennis. 374. 425
Parma Farneſijs attributa. 717
Paſchalis *I.* 352. *II.* 402. 479
Paſtorelli hæretici. 472
Patripaſſiani hæretici. 73
Pauperes de Lugduno. 436
Paulus Apoſt. 20. 25. 27. 34
Paulus Sergius. 25
Paulus Samoſaten. 74
Paulus Anachoreta. 96
Paulus *I.* Papa 311. *II.* 670. *III.* 722 *IV.* 724
Paulinus Nolanus 190. 158
Perſica bella. 169. 258
Perſica perſecutio. 132. 169
Perſecutio fidei vtilis. 19. 91. 191
Perſecutio Neronis 33. Domitiani 40. Traiani 47. Aurelij 48. Seueri 62. Maximini 65. Decij 66. Valeriani 75. Diocletiani. 78
Perſecutores puniti. 89
Pelagius Pelagiani. 161. 215. 219
Pelagius *I.* Papa 146. *II.* 146
Petrus Apoſt. 6 16. 17. 22. 23. 30. 32. 34. 41.
Petrus Alexandrin. 81. Mogus 202 Gnapheus 209. Damiani 389. 429 495. De Bruis hæreticus. 435
Philippus Nerius. 793
Phariſæi. 7
Philippus Apoſt. 28
Philippi duo Reges Franciæ ob pellicatum excommunicati. 417. 418
Philippi Imperator. Chriſtiani. 67. 93 103
Philippus pulcher. 506
Philippus II. Hiſpan Rex. 775
Philippus Imperator German. 506
Philippus Melancton. 776
Photinus hæreſiarcha. 129
Photius ſchiſma facit 1 & promouet per multa ſcelera 314 316. 319. 321

Pilinius

Picininus bellator ſtrenuus. 615
Picti conuerſi. 228
Pius I Papa 61. II. 669. III. 718. IV. 725. V. 726
Cardinalis Polus. 753
Polonia Chriſtiana. 360. 385
Policarpus. 49
Pontianus Papa. 103
Prætexta us cæſus. 301
Prædeſtinatiani. 333
Præſidentia ſtolida. 744
Præmonſtratenſes. 493
Pragmatica ſanctio. 634. 711. 719
Priſcillianus hæreticus 142
Propo ferrum candens tractat in argumentum fidei. 332
Proſper. contra Semipel. 165
Proteſtantes Lutherani. 737
Proteſtantica bella. 737. 816. 118
Prodigia contra Iconomachos. 291. 292
Prudentia carnis cæca. 3, 371
Pruſſia Lutherana. 741
Pulcheria in connubio caſta. 198
Puritani Caluiniſtæ. 757

Q

Quartadecimani. 57. 61 62
Quiniſexta Synodus. 252

R

Requeſcenius contra Guſios. 778
Roma capitur ab Alarico 177. à Geiſerico 179. à Totila 193. ab Arnulfo 338. ab Hiſpanis. 713
Roma ſedes conſtituta 23. omnium prima 23. 45. à nemine indicatur. 107. 381.
Romana diſſidia 446 448. 450. 554. 555.
Romanus Papa. 359
Rabiodus ſtolide impius. 277
Rachiſis Rex Monachus, 232
Radegundes Regina pia. 301
Rauennæ præſules 233. 282. 356
Recollecti. 790
Recaredus Rex Catholicus. 189
Regnerius Dux pœnitens. 416
Redituum ſacrorum partitio. 154. 218 219.
Reſidentia. 595. 596
Religio non conſtat ſi non ſit vna. 7
Reliquiæ non tangi debent à prophanis 279. earum cultum Vigilantius damnat. 169
Romualdus. 434.
Rodolphus Auſtriacus. 53
Rhodos à Chriſtianis propugnata 474. expugnata à Turcis. 704
Ruffinus. 141. 146. 158
Ruſſi fiunt Chriſtiani 362. 363. Vectigal's D. Petri 363. ſunt in ſchiſmat. Græcorum. 644

Repella expugnata. 822

S

Sabellius hæreticus. 73. 105
Sabinianus Papa. 278
Saccophori hæretici. 131
Sacramenta. 10
Sacramentarij. 433. 426. 761
Saducæi. 7
Saladinus. 461. 702
Samaritani conuerſi. 59
Santabarenus. 320
Saracenorũ primordia 174. ſiunt Chriſtiani 175. in Hiſpania præualent & ſæuiunt 258. 260. irruunt in Gallias 262. in Calabria ſubguntur & alibi 263. 366. & 354.
Scaligeri Vermentes. 549
Scandelbergus. 623
Schiſma quartadecim 52. Lapſorum 68. rebaptizantum 70. Traditorum & Donatiſt. 83. Meletij 88 Felicis 118. Vrſicinij 139. Luciferi 140. De tribus Capitulis 222. Laurentij 207. Eulalij 171. Photij 314. Benedicti IX. 374. Petri Leonis 441. Henricorum 395. 402. Friderico um 406. 507. Ludouici Bauari 552. Petri de Luna 600. Græcorum 637. Baſileenſe. 633
Scoti conuerſi 165. in hæreſim pertracti. 758
Sebaſtianus Luſitanus. 700
Sedes Pontificia Auenione. 520
Semiariani. 122
Semipelagiani. 164 244
Sergius I. Papa 283. II. 354. III. 339. 340. 577. IV. 423.
Sfortia. 614
Sethiani hæretici. 53
Seuerus Antiochenus. 202
Seuerinus Papa. 279
Sigiſmundus Imperat. 604. 605. 629. 591.
Bella Sicula. 514. 516. &c.
Simon Magus 32. Sectatores habet. 35
Simoniaci. 387
Syluerius Papa. 245
Syluester I. Papa 154. II. 422
Symmachus Papa. 242. 208
Sixtus I. 41. 60. II. 105. III. 216. IV. 671. 716. V. 728
Slaui. 235. 348
Sophronia ſe pie necar. 82
Somaſchæ. 791
Soter Papa. 61
Standingenſes hæretici. 569
Stephanus primus Hungarorum Rex. 361
Stephanus protomartyr. 18
Stephanus Monachus pro ſacris imaginibus. 294
Stephanus I. 104. II. 310. III. 310. IV. 311 V. 352. VI. 358. VII. 359. VIII. 378. 341. IX. 379. X. 427
Suecia Lutherana. 746
Sueci i Germania. 318

Suen Rex Danorum Chriſtianus. 332
Sueui Chriſtiani. 228
Stuprum impie vindicatum 259. pie vindicatum. 264
Symbolum Apoſtolorum. 22

T.

TAmbarlanes. 617
Tartari. 580. 581. 582. 583. 617
Tatianus hæreticus. 54
Taboritæ. 630
Taurufius Card. 793
Teleſphorus Papa. 46. 60
Templari equites. 473
Teutonici equites. 476
Tenquelinus hæreticus. 435
Theatini. 725. 789
Theodorus I. Papa. 280. II. 360
Theodorus ſtudita pro Imaginibus. 295. 296. 297
Theodorus alter & Theophanes fratres pro eadem cauſa certant. 297
Theodora Aug Eutychiana. 203. 221. 222
Theodora altera pro Imaginibus. 298
Theodoricus Italia potitur. 178. Æquus in Catholicos 192. in eos ſæuit. 193
Theodelinda Regina. 231
Theodoſius imperat. Maximum vincit 128. 137. & Eugenium. 137
Sæuit Theſſalonicæ & pœnitet 138. parcit Antiochenis 139. Ethnicos reprimit. 138. &c.
Theopaſcitæ hæretici. 209
Rixæ inter Catholicos de Theopaſciſmo. 211
Tertullianus pro Montano 57. Pro rebaptiſmo 71. contra hæreſicos 37. 52. 57. pro Chriſtianis. 63
Tiburtini Romam vexant. 377
Ticinenſis Epiſcopi priuilegia. 377
Timotheus Æburus Alexandrin. 200
Thomas Apoſt. 28
Thomas Cantuarienſis pro iure Eccleſiæ. 410. 418
Tonſura Clericalis. 68
Totila Rex. 193
Traditio ſe manda. 71. 114
Traditores. 83
Trullana Synodus. 251
Turcarum primordia. 454. Conſtituunt Imperium. 587. Late vincunt 588. 589. Subigunt Conſtantinopolum & alia 649. 651. 700. 705. 707. 509.
Thurificati. 68
Tunetum ab Hiſpanis occupatum. 683
Thurificati. 68
Turriani Mediolanenſe 543
Concilium Tridentinum. 787. Interruptum. 802.

V.

VAlentinus hæreſiarcha. 51
Valentini gregales. 52
Valentinus Papa. 353

Valens Arianus Exuſtus. 124. 125.
Valentinianus I. 134. 136
Valentinianus II. 137
Vallumbrutenſibus. 494
Vualdus hæreticus. 436
Vaſa in eccleſia primitiua argentea. 102
Veſtes ſacræ extra Eccleſiam vetitæ. 105
Vvandali in Hiſpania. 178. in Africa. 179. Romæ. 179. Arianiſmum fouent. & Catholicos vexant. 189. Extinguuntur. *ibid.*
Venetiæ conditæ. 185
Veneti in Oriente contra Saracenos 459. Sacris interdicti. 549. 676. 810
Vvenceſlaus Rex martyr. 350
Vvenceſlaus Rex ignauus. 628
Veſper ſiculus. 513
Vigilantius hæreticus 168
Vigilius Antipapa reſipiſcit. 221 Certat pro tribus Capitulis 222. 245
Vicecomites Mediolanenſes. 543. 545
Victor. I. 62. 63. II. 427. III. 432. Cardin Vvitelleſcus captiuus. 616.
Vvicleuus. 629
Vviſigotti. 179
Vvilo Spoletanus Imperat. 336
Virgo Deipara 30. inuocata Conſtantinopolim ſeruat. 237. 257. & Carnutum. 327. & Bohemiam. 819. & claſſem Chriſtianam 809.
Vitalianus Papa. 280
Vnuanus Hamburgēſis 349
Vrbanus I. 102 II. 432 III. 487. V. 528. V. 595. VI. 598. VII. 729.
Vrſicinus Antipapa 139
Vrſula. 183
Vrſulinarum in Galliis origo. 792

X

Xeriforum Imperium. 698

Z

Zacharias pater Ioan. Bapt. 4
Zacharias Papa. 303. 310
Zelotæ Iudæi. 38
Zeno Imperator Eutychianus punitur. 205
Ziſcha Huſſitarum Dux. 630
Zenobia. 73
Zuinglius Zuingliani. 761. 762

FINIS.

A0/1470559